BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 L
25

Digitized by Google

A VII b 48

Digitized by Google

Digitized by Google



DE DEO TRINO, ET VNO

PER

P·F·GREGORIVM SCHERIVM

Lycienſem, Lectorem generalem Prouinciȩ Reformatȩ S.ᵗ Nicolai elaboratum, Opus maxima eruditione refertum; In quo nedum mens Scoti ſolidatur, Verùm et aliorum contradicentium opiniones ſubtiliſſimè confutantur, Omnibus Sacræ Theologiȩ uacātibus neceſsariū.

Reuer.ᵐᵒ Patri

F·BENIGNO À GENOVA

Totius Ordinis S.ᵗⁱ Fran.ᶜⁱ P.ʳⁱ, et Comm.ʳⁱᵒ Generali Dicatum.

...VCIL. Apud Petri Michaelē et Nicolaū ...



Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI,

ac meo Patrono Colendiſsimo

P. FR. BENIGNO A GENVA

THEOLOGO,

TOTIVS ORDINIS SANCTI FRANCISCI Patri, & Commiſſario Generali S.P.D.

CORDETENVS ſemper mihi placuit (Reuerendiſſime Pater) vulgatiſſimũ illud, atque piiſſimum axioma: Deo, parentibus, & Magiſtro, parem gratiam referre non poſſumus; Et equidem à Deo, 1.Cor. c.4.
nedum eſſe, verum & omne gratuitum emanat, vt diceret Apoſtolus: Quid enim habes, quod non accepiſti? A parentibus, & generationem naturalem, atque æducationem, tamquam à cauſis ſecundis, trahimus; A Magiſtro verò, bene eſſe recipimus; Quam ergo parem gratiam referamus non video; Cum Tobiolus ſciſcicanti Tobi. c.12.
Patri; Quid poſſemus dare Viro iſti ſancto, qui

* ve-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

venit tecum? Reſponderit; Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit eſſe beneficijs eius? Nunc à maiori ad minus, ſi ſancti illi pro Peregrino benefactore, dignum quid remunerationis excogitare nequibant, quam ergo nos parem gratiam, Deo, Parentibus, & Magiſtro referemus? Paritas non reperitur in terris, ſaltem imparem, vt quimus, referamus, ne ingratitudinis, vel inſipientiæ arguamur à Seneca, dicente: Itaque negamus, quemquam ſcire gratiam referre, niſi ſapientem; Creatori meo obſequor, atque pro vniuerſis ab eo beneficijs acceptis, quantum in me eſt, infinitas refero gratias; Parentibus, rèquiem æternam imploro; Magiſtro autem meo non minus me debitorem recognoſco: Fuit meus in Sacra Theologia quatuor, per annos Magiſter, Pater Frater Gregorius Scherius Lycienſis, huius noſtræ Reformatæ Prouinciæ Sancti Nicolai Lector Generalis, decus, honor, & gloria noſtra, qui adhuc impubis Sacræ Theologiæ operam dedit, per plures annos, ſub diſciplina Doctiſſimorum Patrum, (ac potiſſimè Patris Lorcæ) in Hiſpania vbi quantum profecerit, indicant Cathedræ Generales, Concionatores, & Lectores, qui ſub eius auditu diſcipulati ſunt; Dignitates, & replicatæ Prælaturæ in hac noſtra Prouincia, quàquàm latioribus fuerit benemeri-

Epiſt. 81.

tus:

tus ; Scripta ab eo ædita in omni facultate Scholaſtica, vt dicere verè poſſimus; Quod ſicut eius fuit vniuerſa vita vnum in omnibus ſtudium facultatibus, ſic fuit omnium Theologicarum veritatum proſpector, indagator, & dilucidator mirificus, itaut multi ex noſtris Italiæ Prouincialibus ſollicitè procurarent, ſuos iuuenes ſub eius diſciplina æducari, vt paruæ, vel nullæ ſint in Regno hoc, vel etiam extra, Prouinciæ, in quibus aliquis ſupradicti mei Patris Lectoris diſcipulus non inſit, quod neque Paternitatem Suam Reuerendiſſimam latere puto; Quid de Theologalibus, & Moralibus Virtutibus eius dicam? Fortis in aduerſitatibus velut inſula tempeſtatibus, Patiens in aduerſis, vt alterum Athanaſium dixerim, de quo legitur; quaſi vniuerſus coniuraſſet orbis contra ipſum; Prudens in actionibus, Exemplaris in conuerſationibus, Doctus in lectionibus, Subtilis in argumentationibus, & Obſeruator in ſuæ regulæ promiſſionibus; Nonnè ergo bene dixi, decus, honor, & gloria noſtra? Sed proh dolor, inuida fęlicitatis pallida mors noſtræ, ne immortalis videretur, & fieret, ſuccidit æternam ſibi texenti, vitam temporalem; Sed, quæ eſt ſapientia, quodué conſilium contra Deum? Mortis, liceat mihi dicere, Morſus, Mors ſua fuit; quia nomen

ſibi comparauit æternum, dum moriens viuit; non ſicut cæteri, qui ſolo Baptiſmatis nomine gloriantur; Sed pro immortalitate ſibi contexenda, materiam Diuinæ Trinitatis Typis dare, ex tot ſuis doctiſſimis ſcriptis determinauit, & quaſi alter Dauid; Ante mortem ſuam omnem præparauit impenſam; Et iam morti proximus, ſenſibus ſanis aſſiſtenti mihi loquutus eſt, dicens: Fac ne paueas, ne timeas perficere opus, & prælo mandare; Quod Reuerendiſſimi Patris noſtri Commiſſarij Generalis Nomini dicare curabis, ſemper enim Protector mihi Benigniſſimus in meis neceſsitatibus adfuit; Nunc ergo, Reuerendiſsime Pater; vltimæ morientium voluntates ſunt ex lege adimplendæ; Librum hunc igitur ad te mitto, vt in tuo Nomine appareat, quoniam hac Diuina Sapientia es imbutus, non tantum libros, & voces intelligendo, ſed opera exercendo, quibus, hoc præſertim tempore, opus eſt nimis; Fides enim à fiendo dicitur, eo quod fieri debet, & opere compleri, quod creditur; ſi viua debeat eſſe fides, cum ſine operibus, etiam ipſa mortua dicatur: Calumnijs autem, quæ mihi opponi poſſunt, quaſi alieno lumine lucere nitentem, præterquam quod, velut ſcutum: Omnia tela nequiſsimorum confringet, & coronabit Reuerendiſsimum Nomen tuum tute-

lare

lare meum ; Adeſt Diuus Iſidorus Peruſiota in illis verbis ; Videris (vt nonnulli aiunt) alienis laboribus te ipſum ornare , atque aliorum ſudoribus frui , cæterum aliqui quidem hoc Nomine te accuſant, Ego verò non nihil laudo: Et illud Diui Hieronymi ; Lege primum Samuel , & Melachim meum , meum inquam meum ; Quicquid enim crebrius vertendo,& emendando ſollicitius, & didicimus , & tenemus , noſtrum eſt : Et illud Varronis: Quod alterius fuit id, vt fiat meum neceſſe eſt aliquid interuenire : An non aliqualiter in opus iſtud elaboraui ? & ſcribendo , & emendando , & per multos corrigendo , qui vel ex Typis , vel in curia Scriptoris emerſerunt errores ? Et quicquid pro expenſis defuit ſupplendo ? Saltem aſſequar illud Ciceronis de Cæſare reponente ſtatuam Pompei , quod ſuam ſtabiliuit ; Quicquid autem ſit de me , Paternitati ſuæ Reuerendiſsimæ dicatur liber , vt liberè vagari queat ; Nec alteri, meo iudicio , debebatur de iure : Nec propterea veſtrum puto extendere nomen , hoc enim eſſet velle, ſoli ſuperaddere lumen , aut alas ventis , & Famæ pennas ; Notum enim mihi eſt, tot grauiſsimos , atque Doctiſsimos Patres , copioſiſsima ſuo Nomini dedicaſſe volumina , vt maxima non caperet Bibliotheca, ſi redigerentur in vnum : Quis enim ex tot noſtri Seraphici ordinis

Epi. ad Paulū ſuā familiarem.

Prolo. Bibliæ

Lib. 1. c. 12.

In Poliātęa.

dinis

dinis tranſactis Generalibus vnquam extitit, qui in Reformatione profeſsionem emiſerit, præter Paternitatem ſuam Reuerendiſsimam? Quis per triginta ferè annos, vmquam, Religionem gubernauit, & rexit, & à ſecretis Generalium, & Diffinitor Generalis, & totius Ordinis Sancti Patris, N. F. Generaliſsimus, & per tres vices, Commiſſarius Generalis, fuit electus, præter Paternitatem ſuam Reuerendiſsimam? Quod non ſuſcepiſti pro eiuſdem ordinis reformatione opus? aut, quos non es amplexatus, pro regulari obſeruantia labores? Aſpernatus es itinera, aggreſſus es incommoda, famem, ſitim, frigus, calorem, incommoda omnia, vt Fratres Chriſto lucrifaceres, etiam mortis pericula? Quæ non es paſſus in Gallia pro reformatione maioris Conuentus, vt diceret Rex Chriſtianiſsimus; Nouum Gallias Apoſtolum adijſſe? Quis vmquam tam rigidè Regulam obſeruauit? & Pontificum decreta? vt pro eorum obſeruantia non reſpiceres perſonas hominum, etiam cum iactura alicuius perſonalis expectationis, vt ſoli Deo placeres? Vita tua apparet omnibus admirabilis, quamuis rationabilis, & ſi difficilis; Admirabilis in vita communi, Admirabilis in reſponſis, Admirabilis in religioſa grauitate, & compoſitione, Admirabilis in inceſſu, & deuotione, Admirabilis, in Anima, & Corpore;

pore; Nunc ergo videant qui ſanis ſunt oculis, ſi rationabiliter Paternitati tuæ debebatur opus; Et cæteris poſt habitis; Nonnè Paternitas ſua Reuerendiſsima me Concionatorem, & Lectorem inſtituit? & Patri noſtro Miniſtro, & meo Auunculo tot honoratas commiſit uiſitandas Prouincias, & eundem Miniſtrum Prouincialem huius noſtræ Prouinciæ Reformatæ effecit? Recipe igitur munus Lectoris, ſed à diſcipulo oblatum, à ſeruo delatum, & à Filio dedicatum; Amplexare diſcipulum, qui dilexiſti Magiſtrum; blandire ſeruo, & oſculare Filium tuum in Chriſto obedientiſſimum. Dum ergo ipſe humillimè inclinatus, tuas ſanctas, & benedictas manus deoſculor, rogo Deum, vt te incolumem, ad commune noſtrum beneficium, & in ſua gratia ſemper conſeruet, & vt me commendatum habeas, iterum, atque iterum rogo. Vale ex Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ de Templo, prope Lycium. Die 22. Menſis Decembris 1643.

Paternitatis ſuę Reuerendiſs.

Deditiſsimus ſeruus in Chriſto

Frater Seraphinus à Seclì Reformatus.

FR. SERAPHINVS A SECLI,

AD BENEVOLVM LECTOREM S.

Onſpicuum eſt omnibus (ſtudioſiſsime Lector) Artes, quò nobiliores ſunt, eò obſcuriores interdum eſſe ſolere, propter quod doctiſsimos, et eruditiſsimos interpretes neceſſariò habere oportet: Cumque præclarum quoddam ſtudium ſit, ac inter ſtudia hominum præclariſsimum, Diuinarum rerum contemplatio, & Sacrarum rerum cognitio. En tibi breuem, eruditiſsimum, atque clariſsimum tractatum, ſuper materia Sanctiſsimæ, & Indiuiduæ Trinitatis Diuinæ, Patre Fratre Gregorio Scherio Lycienſi Authore, ſecundum mentem Scoti inſpiciendum offerimus, Cuius quanta ſit doctrinæ claritas, eiuſque ingenij fœcunditas, experientia noſces ex vſu, & profectu, quem aſſequeris ex eo; Cuperem tamen, vt priùs errores, qui ex Typis inciderunt, eoſque in nouiſsima pagina, pro maiori parte emendatos exhibemus, ipſe, in principio lecturæ proprijs in locis accommodes; Mirabar enim quondam ſi typis in eſſent errores, & nunc admiror niſi inſint. Quod ſi aduertero opus iſtud tibi gratum futurum, Cæteras eiuſdem Patris materias, quamprimum cuddi curabimus. Interim Vale, & Authori gratias, quàm maximas age.

Digitized by Google

FRATER BENIGNVS

A GENVA

Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, & Reformatorum Ciſmontanæ Familiæ Commiſſarius Generalis, & Seruus.

DILECTO NOBIS IN CHRISTO.

P. FR. GREGORIO DE LYCIO

Prouinciæ noſtræ Reformatæ S. Nicolai Concionatori, & Lectori Generali Salutem.

CVM iuxta Apoſtolicas, & Ordinis noſtri Conſtitutiones reuiſum, & approbatum fuerit Opus à te collectum, cuius Titulus eſt (*Tractatus de Deo Vno Trinoque*) Nos tenore pręſentium, cum ſalutaris obedientię merito facultatem tibi facimus, quatenus ſeruatis ſeruandis cum Typis mandare poſſis. Vale in Domino, quem pro nobis exorare memento. Dat. Romæ die 12. Aprilis 1642.

Fr. Benignus à Genua Com. Gen.

CVm ad me Miniſtrum huius Reform. Prouin. S. Nicolai ex officio ſpectet meorum Fratrum reuidere, & perſpicere Opera Typis vulganda, reuidi, & perſpexi Librum iſtum, qui de *Deo Trino, & Vno* inſcribitur, Auctore Reuerendo Patre Fratre Gregorio Lycienſi Lectore generali eiuſdem Ordinis, ac Prouinciæ, in quo cum nihil contra Catholicam doctrinam, & bonos mores contineatur, ideò lucem, ac laudem mereri videtur, atque adeò dignus, qui Typis mandetur. Datum ex Conuentu noſtro S. Bernardini prope Barium die 19. Menſis Ianuarij. 1644.

Fr. Franciſcus à Secli Miniſter Prouincialis.

¶ Ego

EGO Frater Gaſpar Petruſus à Caſtro Ioanne, Art. & S. Th. D. ac in Almo Diui Franciſci Minorum Conuentualium Gymnaſio Lycienſi Regens, ex commiſſione Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domini D. Aloyſij Pappacodæ, vidi, & legi *Diſputationes de Deo Trino, & Vno*, ab Adm. Reu. Patre Fratre Gregorio Lycienſi Ord. Min. Strictioris Obſeruantiæ elucubratas, in quibus, nil Sacrę Doctrinę, ac bonæ Philoſophię repugnans depræhendi, quin potius in eis maximus Authoris labor, ac ingenij acumen elucet; & quæ difficillima captu ſunt perſpicuè declarantur difficultates, paſſim ex proprio ingenio excitantur, & ſoluuntur; omnia denique Sacrorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum authoritatibus, ac firmiſſimis rationibus comprobantur. Quare tanta eruditione refertum Opus, luce dignum iudico; Lycij in Conuentu S. Franciſci Min. Con. hac die 24. Octobris, Anno Salutiferę Incarnationis 1642.

Frater Gaſpar, qui ſupra.

Imprimatur. Datum Lycij hac die 18. Nouembris 1642.

Marcellus Piſſimus Maceratenſis Vicarius Gen. Lycienſis.

Illuſtriſſime, & Excellentiſſime Domine.

VT protinus tua exequar mandata legi, & perlegi *Diſputationes de Deo Trino, & Vno*, à R. P. Fr. Gregorio Lycienſi Ord. Min. Strictioris Obſeruantiæ elucubratas, in quibus nihil inueni, quod, vel contra Fidem inſit, vel à bonis honeſtiſque moribus abhorreat; quorum laudabilis ſat è ſint, quam ob rem Typis excudendas cenſui; ne deinceps posterorum animis arcat, quod noſtris oculis ſit. Tantiſque virtutum floribus ſemper vernit.

Excell. Veſtræ dediti ſſimus ſeruus

Doctor D. Petrus Santillan.

Viſa ſupradicta relatione Imprimatur. Neap. die 23. Ian. 1643.

Tapia Reg. Brancia Reg. Zufia Reg. Sanfelicius Reg.
Azcon Reg. Capycius Iatro Proreg.

T A-

TABVLA

DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM *IN HAC MATERIA* DE DEO TRINO, ET VNO *CONTENTARVM.*

DISPVTATIO PRIMA.
de Deo, & eius eſſentia.

QVæſtio prima. Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum, & an aliqua demonſtratione demonſtrari poſſit.
Quæſtio ſecunda. Vtrum eſſe, & exiſtentia ſint de eſſentia Dei.
Quæſtio tertia. Vtrum tantum ſit vnus Deus, & vtrum hoc ſit relatiuum, an ratione naturali cognitam.
Quæſtio quarta. Vtrum Deus ſit ſumme ſimplex, ita vt nec ſit compoſitus, neque cum alio in compoſitionem venire poſſit.
Quæſtio V. Vtrum cum ſimplicitate diuina, ſtet quod Deus, vel aliquid dictum de Deo formaliter ſit in genere.
Quæſtio VI. Vtrum Deus ſit nominabilis à nobis viatoribus aliquo nomine proprio, & quidditatiuo.

DISPVTATIO SECVNDA.
De Attributis Diuinis in communi.

QVæſtio prima. Vtrum attributa à ſe inuicem, & ab eſſentia diuina diſtinguantur formaliter ex natura rei, itê relationes originis ab eſſentia, & ab attributis.
Quæſtio ſecunda. Vtrum omnia attributa enuncientur de Deo, & de ſe inuicem, & quomodo enuncientur.

DISPVTATIO TERTIA.
De Diuinis attributis in particulari.

QVæſtio prima. Vtrum Deus, & ſolus ipſe ſit infinitus per eſſentiam, & quæ ſit ratio formalis infiniti per eſſentiam in vniuerſim.
Quæſtio ſecunda. Vtrum Deus ſit æternus.
Quæſtio tertia. Vtrum Deus ſit immenſus, & vtrum Deum eſſe præſentem vbique ſecundum potentiam neceſſariò inferat eſſe vbique ſecundum eſſentiam.
Quæſtio quarta. Vtrum Deus ſit immutabilis.
Quæſtio V. Vtrum Deus ſit omnipotens.
Membrum primum. Vtrum Potentia Dei exequutiua ſit intellectus, & voluntas eius, an diſtincta ab illis, ſicut in nobis.
Membrum ſecundum. Quæ ſit infinitas Potentia Dei.
Membrum tertium. Qua ratione talis potentia infinita Deo conueniat.
Quæſtio ſexta. Vtrum Deum eſſe omnipotentem ratione naturali demõſtrari poſſit, & quare dicatur Deus omnipotens.
Quæſtio ſeptima. Vtrum eſſe bonum per eſſentiam ſit proprium Dei, & quę ſit ratio formalis boni in vniuerſim.

DISPVTATIO QVARTA.
De Perſonis Diuinis in communi, & de ijs, quæ ſibi conueniunt in quantum tres.

SECTIO PRIMA.
De Perſonis Diuinis.

QVæſtio prima. Vtrum cum vnitate eſſentiæ diuinæ ſtet pluralitas perſonarum.
Quæſtio ſecunda. An plures perſonæ ſint idem vni ſubſiſtentiæ diuinæ communi, & eſſentiali, atque abſoluta.
Quæſtio tertia. Vtrum diuinę perſonę verè, & propriè ſint, & dicantur vnus Deus propter eſſentiæ vnitatem, & quot, quibuſque modis enuncianda ſit vnitas perſonarum in eſſe Dei.

Quæ-

Quæſtio quarta. Vtrum tres perſonæ diuinæ habeant eandem perfectam vnitatem in omnibus attributis diuinis.

Quæſtio quinta. Vtrum identitas, ſimilitudo, & æqualitas, quam habent perſonæ diuinæ propter vnitatem eſſentiæ ſint relationes reales.

Quæſtio ſexta. Vtrum diuinę perſonæ ex dicta vnitate habeant circumincesſionem, ſcilicet mutuam exiſtentiam vnius in alia, & quæ ſit ratio huius in exiſtentiæ, & vtrum inueniatur aliquod exemplum circumceſſionis in creaturis.

SECTIO SECVNDA.

De productionibus perſonarum, & principijs producendi.

Quæſtio prima. Vtrum eſſentia diuina poſſit eſſe in aliquo, & ipſum eſſe productum.

Quæſtio ſecunda. Vtrum in diuinis ſint duo principia productiua, & duę productiones, & non plures ad intra.

Quæſtio tertia. Vtrũ in diuinis poſſint eſſe plures productiones, eiuſdem rationis vt plures generationes, an plures ſpirationes.

Quæſt. 4. Vtrum hæ productiones ſint immediatè à natura, tanquam à principio, an per intellectum, & voluntatem.

Quęſt. 5. Vtrum principium generandi, & ſpirandi ſit eſſentia diuina, an relationes, ſeù proprietates relatiuæ.

Quæſt 6. Vtrũ generatio, & ſpiratio ſint actus intelligendi, & volẽdi, an ſint actus dicẽdi, & ſpirãdi ab illis formaliter diſt[illegible]nctis

SECTIO TERTIA.

De conſtitutione, & diſtinctione perſonarum diuinarum.

Quęſt. 1. Vtrũ perſonę diuinę ſint conſtitutę ex proprietatibus perſonalibus, & eſſentia & per eaſdem proprietates diſtinguãtur.

Quæſt. 2. Vtrum proprietates perſonales conſtituentes perſonas ſint abſolutæ, an relatiuæ.

Quæſt. 3. Vtrum proprietates iſtæ relatiuæ, quæ relationes originis nuncupantur conſtituant perſonas ſub ratione originis, ſeù vt origines, an ſub ratione proprietatis perſonalis, ſeù formę hypoſtaticę, an ſub ratione formali relationis.

Quęſt. 4. Vtrum perſona ſecundum quod dicit aliquod commune Patri, Filio, & Sp. Sanct. dicatur præciſè aliquid ſecũdę intẽtionis

Quæſt. 5. Vtrum perſona in diuinis dicat, & ſignificet pro formali ſubſtantiam, ideſt abſolutum, an relatiuum.

Quæſt. 6. Vtrum in diuinis ſit propriè numerus cum ibi dicatur eſſe

eſſe tres perſonas, & quibus modis explicanda ſit diſtinctio perſonarum.

SECTIO QVARTA.

De relationibus, originis, & modis earum.

Quæſt. prima. Vtrum relationes perſonales diſtinguãtur à perſonis conſtitutis per ipſas.

Quæſt. 2. Vtrũ relatio ſpirationis actiuę ſit realis, & vtrum realiter diſtinguatur à relationibus perſonalibus.

Quęſt. 3. Vtrum ſpiratio actiua in Patre, & Filio ſit vnica, & ſimplex relatio.

Quęſt. 4. Vtrum relationes originis ſint formaliter infinitę, & talem perfectionem dicant.

SECTIO V. De Notionibus.

Quęſt. 1. Vtrũ in diuinis ſint tantũ quinque notiones. ſ. innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, communis, ſpiratio, & proceſſio.

Quęſt. 2. Vtrum eſſentialia ſint priora, & immediatiora notionalibus ipſi eſſentiæ diuinæ.

DISPVTATIO V. De Patre.

Quæſt. 1. Vtrum paternitas conueniat Patri per aliquid prius ſibi inexiſtens.

Quęſt. 2. Vtrum ingenitũ ſit proprietas Patris dicens formaliter priuationem, vel negationem, an poſitiuum.

Quæſt. 3. Vtrum innaſcibilitas ſit proprietas conſtitutiua perſonæ Patris.

Quęſt. 4. Vtrũ innaſcibilitas fundetur in Paternitate ſub ratione propria paternitatis, an in aliquo alio poſitiuo.

Quęſt. 5. Vtrũ Pater ſit principium deitatis, & totius Trinitatis, & ſi eſſe principium ſit proprium Patri.

Quęſt. 6. Vtrũ hęc propoſitio ſit vera Deus genuit alium Deum.

Quæſt. 7. Vtrum hęc ſit vera ſolus Pater eſt Deus.

DISPVTATIO VI.

De Filio Diuino.

Quęſt. 1. Vtrũ ſecunda perſona Trinitatis ſit Filius, eiuſque productio ſit generatio vniuoca.

Quæſt. 2. Vtrum ſecunda perſona ſit propriè Verbum.

Quæſt. 3. Vtrum Verbum diuinum dicat reſpectum ad creaturas.

Quęſt. 4. vtrũ Verbũ diuinũ notionale tantũ ſit, an etiã eſſẽtiale.

Quęſt. 5. Vtrũ hę propoſitiones ſint verę Pater dicit Verbo, & Pater

ter

ter ſapit ſapientia genita.

Quæſtio 6. Vtrum Filius ſit,& generetur de ſubſtantia Patris, & eſſentia diuina ſit formalis terminus generationis.

Membrum primum. Vtrum Filius ſit de ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus de ſubſtantia vtriuſque.

Membrum Tertium. Quid ſignificet illa particula De.

Membrum quartum. An iſta conſubſtantialitas ſit materialis, vel quaſi materialis, an ſit formalis, ideſt formalis ideſt vtrum Filius ſit de ſubſtantia Patris tanquam de materia, vel quaſi materia, an tanquam de forma, ita vt eſſentia ſit terminus formalis generationis Filij, & ſpirationis Spiritus Sancti.

Quæſt. 7. vtrum eſſentia diuina generet, vel generetur, ſpiret, vel ſpiretur.

Quæſtio 8. vtrum Verbũ diuinum ſit vera,& naturalis imago Patris, & quid requiritur ad hoc.

Quæſt. 9. vtrum ſolius Filij ſit eſſe veram,& naturalem imaginem & non Patris, & Spiritus Sancti, & quare eſſe imaginem alteri perſonæ non competat.

Quæſt. 10. vtrum Verbum diuinum ſit imago ſolius Patris, an etiã aliorum, & qua ratione ſit imago Patris.

Quæſt. 11. vtrum Verbum diuinum producatur de cognitione eſſentiæ diuinæ, & attributorum, & perſonarum, & creaturarum, vel ſaltem eius productioni præſupponatur.

Quæſt. 12. vtrum in diuinis detur aliquis ordo cum prioritate, & poſterioritate à parte rei ſecluſo omni opere intellectus,& vtrũ intelligere in Patre ſit prius quam dicere, & ſit ipſe Pater perfectè beatus antequam generet Filium.

Primum dubium. vtrũ intelligere in Patre ſit priuſquam dicere.

Secundum dubium. vtrum Pater ſit perfectè beatus antequam generet Filium.

Quęſt. 13. vtrum ſit aliquis ordo naturę inter primam, & ſecundã cauſam in agendo.

Quęſt. 14. vtrum Pater genuerit Filium voluntate, vel volens.

DISPVTATIO VII.

De Spiritu Sancto.

Quęſt. 1. vtrũ Spir. Sanctus procedat liberè, an verò naturaliter & ſi procedit liberè, an etiã procedat ſimul liberè, & neceſſariò.

Quæſt. 2. vtrum productio Spiritus Sancti ſit generatio, & quare

 non

non ſit generatio, nec ſit ipſe Filius.

Quæſt.3. vtrũ ſpiratio, & generatio diſtinguantur ſcriptis, an aliquo alio, & quę differentia ſit numerica nè; an ſpecifica.

Quæſt.4. vtrum ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio diſtingueretur realiter ab illo.

Quæſt.5. vtrum pluralitas ſuppoſitorum per ſe requiratur in productione Spiritus Sancti.

Quæſt.6. vtrũ Pat. & Fil. ſint vnum principium Spiritus Sancti.

Quæſt.7. vtrum poſſit conced. in aliquo ſenſu, quod Pater, & Filius ſpirent vt diſtincti.

Quæſt.8. vtrũ Pat. & Fil. ſpirent vniformiter Spiritum Sanctum.

QVÆSTIO.

Vtrum in Deo ſit vna exiſtentia abſoluta propria diuinę eſſentię & tres exiſtentiæ relatiuę proprię perſonarum, & ſimiliter ſi ſit vna ſubſiſtantia abſoluta, & tres ſubſiſtentiæ relatiuę.

QVÆSTIO.

Vtrum in Filio ſit potentia generandi.

Articulus Primus. Quę ſunt requiſita ad conſtitutionem potentię proximę generandi in diuinis.

Artic.2. In quo conſiſtit conuenientiã ſuppoſiti ad actionem, & hoc ſuppoſitum conueniens ad quam potentiam pertinet.

Artic.3. Quę ſit ratio conſtitutiua potentię proximę ad hunc pręciſe actum generandi, propter quam rationem deficientem in Filio potentia iſta conuenit ſoli Patri.

Artic.4. Vtrum in Filio ſit aliqua potentia ad hunc actum ſaltem remota, ſeù fundamentaliter ſumpta.

Artic.5. Quę ſit ratio conſtitutiua potentię proximę ad aliam generationem alterius Filij, propter quam rationem deficientẽ potentia hęc non conuenit Filio, nec alijs perſonis, & vtrum ad aliam generationem, & alium Filium ſit aliqua potentia ſaltem remota, & fundamentaliter ſumpta.

DE

DE DEO TRINO, ET VNO.

IN PLVRES DISPVTATIONES SECANDA EST Præſens Materia;

Prima erit de Deo, & eſſentia Diuina.
Secunda de Diuinis attributis in communi.
Tertia de attributis in particulari.
Quarta de Perſonis diuinis in communi, & aliæ tres de tribus perſonis in particulari Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

AVCTORE P. FR. GREGORIO SCHERIO LYCIENSI Ordinis Minorum Strictioris Obſeruantiæ.

DISPVTATIO PRIMA.

DE DEO, ET EIVS ESSENTIA.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Deum eſſe ſit per ſe notum, & an aliqua demonſtratione demonſtrari poſſit.

NVLLVS vnquam dubitauit, nec in quæſtione poſitum aliquando fuit de eſſe Dei, fuit enim ſemper Deus ante omne tempus, nec Populus inuentus eſt, ita barbarus, qui omnino à cognitione, & à cultu Dei alienaretur. Antequam ſimul habitarent homines, antequam Vicos, Ciuitates, & familias diſponerent, quando veluti Bruta

hinc inde vitam ſibi parabant; alij in aperto aere; alij ſub arboribus; alij in ſpeluncis,vel in papilionibus;tùm græci, tùm barbari ſacrificabant, offerebant votaque, & preces Deo dabant, hinc Hymni Orphei, & Omeri ortum habuerunt; hinc Eſiodi Theogonia;hinc Ethnicorum vetuſtiſſima illa carmina ad Diuos adeunto caſtè pietatem adhibenti, non eſt deniq; tam vetus mos veſtitus, locutio,& cibus ipſe hominibus, ſicut notitia Dei; manifeſtum enim eſt ergo ex his Deum eſſe in rerum natura, ſed quærere oportet, Vtrum cum homines omni tempore Deum nouerint, ipſum eſſe ſit per ſe notum, an per aliquid aliud à Deo notitiam ipſius comparuerint. Pro intelligentia autem propoſitæ quæſtionis,aliqua aduertenda ſunt.

Primò notandum eſt, duplicem ſenſum pati iſtam quæſtionem; Primus eſt, Vtrum hæc propoſito Deus eſt ſit per ſe nota abſolutè,& in ſe. Secundus eſt, Vtrum ſit per ſe nota nobis, & vterque ſenſus declaratione indiget in ſententia Scoti,qui in §.ex hoc patet in 1.& diſ.2.q.2. cum improbaſſet talem diſtinctionem propoſitionis per ſe notæ in ſe, & in nobis, & conſequenter reprobatus videtur à Scoto hic duplex ſenſus quæſtionis; poſtea in ſequenti §. ex his ad quæſt. admittit eamdem diſtinctionem,ſicut & cæteri Auctores Thomiſtę,vnde videtur ſibi contradicere Scotus,& propterea notanter dixi indigere declaratione; nam quando prima vice dixit Scotus, non debere diſtingui propoſitionem per ſe notam in ſe,& nobis, nec diſtingui in per ſe notam, & per ſe noſcibilem,neque in per ſe notam ſapientibus,&inſipientibus, nec primi ordinis, & ſecundi,rationem reddidit; quoniam propoſitio per ſe nota non dicitur ſic, quaſi his oppoſitis modis dicatur per ſe nota, cum eidem numero propoſitioni per ſe notæ omnes iſti modi ſimul conuenire poſſint, ac per conſequens non ſit oppoſitio inter illos modos, quæ requiritur ad diſtinctionem bimembrem propriam,quæ non interuenit inter iſtos modos, quia conuenientiam habent in propoſitione eadem numero per ſe nota,& nullam diuerſitatem, ſiue oppoſitionem habent,eo modo, quo rationale, & irrationale ſe habent reſpectu animalis, quod probatur; nam dicitur propoſitio per ſe nota,quæ ex ſe,& ex ſuis terminis intrinſecis tantum non aliundè, aut per aliud patet eſſe vera, & prædicatum inhærere ſubiecto, & eſt nata ſtatim cuicumque intellectui illam reſpicienti, ſuoſque terminos vt ſunt

eius

eius,notitiam generare talis inhærentiæ prædicati ad ſubiectum, & ex hac definitione Scoti,quam mox explicabimus,patet vanas eſſe iſtas diſtinctiones. Primò,quia in tantum dicitur per ſe nota, quia in ſe,& ex ſe eſt talis,vt poſſit generare ſui notitiam , & hoc non ſibi,ſed intellectui,& hoc cuicumque intellectui illam, & ſuos terminos,vt ſunt eius reſpicienti,ſiuè ille ſit ſapiens, ſiuè inſipiēs, ſtatim ac videt illam, & complexionem terminorum eius noſcit, vt totum eſt maius ſua parte, & inſipiens , & ſapiens dicit illam eſſe veram viſis terminis inter ſe coniunctis,& hæc propoſitio, & quælibet alia ſimilis in ſui notitia eſt prima,& primi ordinis,cum non poſſit per alia demonſtrari,nec per alios terminos dignoſci, ſecus non eſſet per ſe nota , ſi aliquo ſecundo ordine cognoſceretur,quia eſſet ſic demonſtrabilis per priorem ordinem, & hoc eſt quod dixit Ariſ. in poſter. propoſitionem indemonſtrabilem, vel per ſe notam debere eſse ex primis;denique cum dicitur per ſe nota,quia eſt nata generare ſui notitiam , non quia actualiter generet , ſequitur quod eadem propoſitio per ſe naſcib ilis erit per ſe nota,& ita coincidunt hi duo termini.

Quando Scotus alia vice dixit, hanc propoſitionem Deus eſt, eſſe per ſe notam Deo,vel intellectui diuino, & non per ſe notam nobis, nec etiam eſt hæc diſtinctio oppoſitorum, vt alia ſit propoſitio per ſe nota,ſiuè in ſe,ſiuè Deo, & alia per ſe nota nobis , quoniam propria oppoſitio eſt, quando diuiſum includitur in mēbra diuidentia,& ad illa deſcendit per differentias appoſitas, ſed propoſitio per ſe nota non deſcendit hoc modo in propoſitionem per ſe notam in ſe,vel Deo,& per ſe notam nobis; etenim ſi conſideremus propoſitionem per ſe notam,quantum eſt parte ſui cuicumque intellectui, ſiuè humano,ſiuè diuino apprehendenti ſuos terminos perfectè, vt ſunt eius,nata eſt cauſare ſui notitiam , & hoc modo non deſcendit per differentias oppoſitas ad propoſitionem per ſe notam in ſe,vel Deo,& per ſe notam nobis , quoniam iſta, Deus eſt,ex parte eius, ita nata eſt cauſare ſui notitiam intellectui noſtro,ſicuti diuino, ſi æqualiter cognoſcerentur eius termini perfectè ab vtroque , ſi verò conſideremus ipſam reſpectu intellectuum, quibus proponitur, nec etiam deſcendit ad propoſitionem per ſe notam Deo , & per ſe notam nobis per differentias oppoſitas eiuſdem generis in quo conueniant, quoniam ita ſit diſtinctio inter Deum, & nos, in cognoſcendo hanc

propoſitionem, ſicut inter intellectum perfectè cognoſcentem, & non perfectè cognoſcentem illam, ſed iſtæ non ſunt differentiæ oppoſitæ eiuſdem generis, quia vel illa Deus eſt, eiuſque termini, vt ſunt eius, poſſunt perfectè cognoſci à nobis, & à Deo, licet à Deo actu, à nobis non actu cognoſcantur, & ſic eſſet diſtinctio ſolum inter actualiter cognoſcere, & non actu cognoſcere, & cum ſit eadem propoſitio per ſe nota, & per ſe noſcibilis, vt ſupra probatum eſt, propoſitio eadem, Deus eſt, eſſet per ſe etiam à nobis nota; aut à Deo ſolum perfectè cognoſcitur, & a nobis nec cognoſcitur, nec cognoſci poteſt perfectè pro hoc ſtatu, ideſt euidenter, & hoc modo iſta, Deus eſt, nullo modo poteſt dici propoſitio per ſe nota nobis, & per ſe nota Deo, tamquam in duo oppoſita; quia vt ſic nullo modo eſt nota nobis; vnde patet intentum Scoti, in primo enim loco quando dicit, non diſtingui propoſitionem per ſe notam in ſe, & in nobis, loquutus eſt de ipſa propoſitione quantum eſt ex parte ſui, quæ cuicumque intellectui in omni ſtatu nata eſt cauſare ſui notitiam per ſe, & ſuos terminos, non per aliud extrinſecum; & in ſecundo loco dixit, iſtam propoſitionem, Deus eſt, eſſe per ſe notam Deo, & non nobis, loquitur, quia cum pro hoc ſtatu vt ſic non cognoſcamus, nec poſſimus perfectè cognoſcere Deum, & eius eſſe; propterea iſta, Deus eſt, non eſt nobis vllo modo nota, nec noſcibilis, & conſequenter nec per ſe nota nobis, & hoc ex defectu huius ſtatus, non ex defectu propoſitionis, vel terminorum eius.

Ex his patet, quomodo fienda ſit diſtinctio inter propoſitionem per ſe notam in ſe, Deo, & nobis, patet etiã futilem eſſe quãdam expoſitionem Patris Fauentini, qui nu.5. dicẽs quo modo sm̃ Scotum non ſit diſtinctio inter propoſitionem per ſe notã in ſe, & per ſe notã nobis, ſubdit iſtã non eſſe diſtinctionẽ oppoſitorũ, quę conueniant in vno ſuperiori. ſ. in propoſitione per ſe nota, niſi per ſe notum nobis, & eſſe actu cognitum nobis pro eodem capiantur, vt enim ex doctrina Scoti deſumpta ex definitione propoſitionis per ſe notę ab illo tradita, vidimus eamdẽ eſſe propoſitionẽ per ſe notam in ſe, & nobis, & actualiter, ſiuè non actualiter cognitam, ex quo ſequitur, quod non ſit oppoſitio inter propoſitionem per ſe notam in ſe. & propoſitionem actualiter à nobis cognitam, vt innuere videtur Fauentinus; patet denique ex dictis locum habere iſtam quæſtionem de duplici ſenſu, etiam

in doctrina Scoti,an ſcilicet Deus eſt, ſit per ſe notum in ſe, & ſit per ſe notum nobis, quia fortè multi Scotiſtæ non admitterent hunc duplicem ſenſum.

Secundò notandum eſt,propoſitionem per ſe notam,ita à Scoto definiri, *quæ ex terminis proprijs qui ſunt aliquid eius, vt ſunt eius, habet veritatem,& non propter aliquid aliud, quod ſit extra terminos proprios habet euidentiam, ſed ex ſe tantum*, vt omne totum eſt maius ſua parte,& tradita definitione inquirit, qui ſint termini, ex quibus debet eſſe euidens,& diſtinguens terminos, vt alius terminus ſit definitio,& alius definitum,quoad hoc,deinde ſubdit, aliũ eſſe terminum, qui eſt conceptus quidditatis diſtinctæ, vt importatur per definitionem, & alium quidditatis confuſæ, vt importatur per nomen; quoniam quando cognoſcimus rem non adhuc definitam confuſè ipſam cognoſcimus; quando verò ſcimus eam per definitionem,ipſam cognoſcimus diſtinctè,& ex hoc vlterius infert, non poſſe eſſe propoſitionem per ſe notam terminis eius confusè conceptis, niſi etiam ſit per ſe nota terminis diſtinctè cõceptis: cognoſcens enim iſtam,totum eſt maius ſua parte, quod eſt ex terminis confusè conceptis,cognoſcet neceſſariò eamdem, ſi termini diſtinctè concipiantur, ſi ſcilicet totum, & pars ſciantur per definitionem, & habeatur definitio totius,& partis, quod latiùs probat Scotus in ſequentibus, & ita concludit, *Cum huius Deus eſt termini nati ſint cauſare ſui notitiam intellectui diſtinctè concipienti illos vt ſunt iſtius propoſitionis,ideſt Deus eſt,propterea eſt propoſitio per ſe nota*.

Circa hoc notandum oritur difficultas; nam cum prius dixerit Scotus, poſſe eſſe propoſitionem per ſe notam, ſiuè termini concipiantur confusè, ſiuè diſtinctè, ſequitur iſtam eſſe per ſe notam non ſolum Deo,& Beatis, ſed etiam nobis,quamuis illi diſtinctè, nos confusè concipiamus Ly, Deum, & Ly eſt, cuius tamen oppoſitum dicit Scotus hic in §. ex his ad quæſtion. Ad hoc reſpondetur, aliud eſſe diſtinctè, & confusè,aliud perfectè, & imperfectè cognoſcere; poteſt enim aliquid perfectè cognoſci, quamuis non diſtinctè, vt hoc totum eſt, maius ſua parte,eſt perfectè, & per ſe notum vident totum, & partem, licet confusè illa cognoſcat ſcilicet non per definitionem,& ita perfectè ſimul, & confusè cognoſcitur, hæc autem Deus eſt à nobis nec diſtinctè, nec perfectè cugnoſcitur, & ideo non eſt per ſe nota nobis, licet Deũ

&c eſt cognoſcamus imperfectè, quod non ſufficit ad habendam euidentiam propoſitionis per ſe notæ, ſed requiritur, vt perfectè concipiantur termini, ideſt euidenter cognoſcatur illos terminos coniungi; quia vt ſic ſunt termini huius propoſitionis, totum eſt maius ſua parte, & vt ſic habet euidentem veritatem, & cognitionem, nos autem non perfectè, ideſt euidenter cognoſcimus Deum, ſicut Beati, & propterea nobis non eſt per ſe nota iſta, Deus eſt, ſicut Deo, & Beatis.

Ex his dictis ſequitur euidens, & ſimul probata concluſio, iſtam ſcilicet, Deus eſt, eſſe per ſe notam in ſe, & abſolutè tùm Deo, tùm nobis, in reſpectu tamen ad intellectum cognoſcentem, quoad illud, quod requiritur ex parte intellectus cognoſcentis eſſe per ſe notam ſoli Deo, & Beatis, non autem nobis pro ſtatu iſto.

Secunda concluſio; Quamuis nos habeamus aliquem conceptum proprium Dei, vt infinitum, neceſſarium, & talis conceptus ſit à nobis perfectè cognitus, vt proprius Dei, & non vt communis Deo, & creaturæ, non ideò ſi prædicemus de tali conceptu eſſe, erit propoſitio per ſe nota, vt hæc infinitum eſt, aut neceſſarium eſt.

Probat Scotus hanc concluſionem pluribus rationibus, ſed potiſſima eſt; quia propoſitio per ſe nota eſt illa, quæ eſt primo cognita, & non innoteſcit per aliquid aliud, nec eſt demonſtrabilis, ſed iſta infinitum eſt, neceſſarium eſt, eſt demonſtrabilis per aliud, quia Ly eſſe primò conuenit eſſentiæ diuinæ, & Deo, poſtea verò cuicumque, quod eſt in Deo, & eſſe demonſtratur de illis conceptibus per hanc eſſentiam diuinam, & Deum.

Ex hoc patet, quod fallitur Pater Vaſq. diſp. 20. c. 3. §. alij ergo Doctores, dum dicit, Scotum diſtinguere de hac propoſitione, Deus eſt, ſecundum ſe, & nobis, & primo modo poſſe demonſtrari, etiam demonſtratione, propter quid. Secundo autem modo tantum demonſtratione Quia, & à poſteriori; fallitur inquam Vaſquez: nam ibi in §. ex his ad quæſtion. & §. ad primam quæſtion. Scotus non loquitur de hac propoſitione, Deus eſt, quando inquit poſſe demonſtrari propter quid, quia ſibi contradiceret, cum prius dixiſſet *hanc eſſe per ſe notam, ſecundum ſe*, ac per conſequens indemonſtrabilem ſecundum ſe, ſed ibi clarè loquitur de omni alio conceptu dicto de Deo, & illum demonſtrari poſſe per demon-

demonſtrationem propter quid,& à priori, nimirum per eſſe ipſius Dei,& eſſentiæ diuinę,cui primò conuenit eſſe,& poſtea omnibus,quæ in illo ſunt,& de illo concipimus.

Tertia concluſio, quæ pertinet ad ſecundam partem quæſtionis,Deum eſſe, rationibus etiam naturalibus, ne dum Theologicis demonſtrari poteſt à poſteriori,& demonſtratione Quia.

Iſta concluſio eſt omnium Theologorum Scoti in præſenti quæſt. 2.diſ.2.§.ad prim.quæſt. D.Thom.cum expoſitoribus in 1. par.q.2.art.3.primo contra gen.c.12.& 13. Ferrar. ibid.Ricc. in 1.diſ.3.ar.1.q.2. Ægydij q.1.& 3. Marſilij q.1.& 5. Enric.in ſum. q.4.art.22. ſolus Ægydius diſ.3.q.2.ait, omnes demonſtrationes, quæ fiunt ad demonſtrandum aliquid de Deo ex creaturis eo tantùm tendere,vt non demonſtrent eſſe de Deo, ſed nomen ſolum ipſius, vel quid ſignificat hoc nomen Deus,quo ſcito, & demonſtrato, ſtatim notum per ſe eſſe, Deum eſſe, & probat, quia eſſe Dei eſt ipſe Deus,ſicut de ſe ipſo dixit, Ego ſum, qui ſum, igitur vnum non poteſt demonſtrari de alio; idem enim eſſet demõſtratum,& de quo demonſtratur, ſubiectum,& prædicatum,& in concluſione præſuppoſitum,& quæſitum, vt v.g. cum demonſtramus riſibile de homine, præſupponimus hominem eſse, & quærimus de illo riſibile,& ideò aliud eſt homo,de quo demonſtratur, & aliud riſibile quod demonſtratur; ſi enim eſſet idem riſibile, & homo,riſibile non demonſtraretur de homine, ſic in propoſito,Deus & eſſe cum ſint idem,non poteſt eſſe de Deo demonſtrari, ſed falſo innitur fundamento Auctor eſſe, nempe quod rationes adductę à Doctoribus probantes de Deo eſſe, ſolum explicant quid nominis,& nomen Dei,nam ſic non eſſent demonſtrationes, cum adhuc explicato nomine Dei,dubitari poſſit, an ſit Deus, quod poſteà demonſtrationes à poſteriori per creaturas à Doctoribus cõfectæ conuincunt intellectum Deum eſſe.

Hæ autem demonſtrationes ad duo capita reducuntur à Scoto loco citato, ita vt demonſtretur de Deo eſſe à poſteriori dupliciter. Primò ab eſſe proprietatum relatiuarum. Secundo ab eſſe entis infiniti,ex quibus ſequitur Deum eſſe in rerum natura, cum nihil aliud eſſe poſſit illud ens infinitum, quam Deus, qui ſolum nobis innoteſcit per relationes,quas habet ad creaturas.Proprietates verò relatiuæ entis infiniti, aut ſunt proprietates cauſalitatis,aut Eminētię,& cauſalitatis duplicis.ſ.aut Efficiētis,aut Finis.

Primò probat Scotus, eſſe aliquod primum primitate cauſalitatis efficientiæ, quia omne quod eſt, aut eſt à ſe, aut ab alio efficitur. Primum dici non poteſt, cum videmus omnia, vel plurima ab alio produci. Secundum nec poteſt affirmari, quia eſſet proceſſus in infinitum in cauſis maximè philoſophis exoſus, præſertim Ari. 2. metaph. c. 2. igitur deueniendam eſt ad vnam primam cauſam, a qua omnia alia procedant, vel immediatè, vel mediatè. Secundò, eſſe illud idem primum primitate finis; probat Scotus, nam cum ſit aliquà cauſa prima agens, à qua omnia depēdent, illa agit propter finem, & non propter alium finem, quam propter ſeipſam, cum ſit primum ens inter omnia entia, & conſequenter melius omnibus entibus ab illo procedentibus æquiuocè, & per conſequens minus perfectis, & propterea non vltimi finis, ſed ſecundarij reſpectu primi finis, qui eſt optimus omnium, qui eſt ipſamet prima cauſa. Tertiò, ex hoc ſequitur, eſſe illudmet eſſe primum primitate Eminentiæ, cum ſit prima cauſa, primus finis, & primum bonum, quod excedit omnia alia entia, & eminet illis. Quartò denique ſequitur, iſtas primitates eidem competere, quia idem eſt à quo dependent omnia, & agit propter ſe, & eſt optimum omnium.

Secundum caput demonſtrationis eſt, probare eſſe infinitum in rerum natura, & hoc quatuor vijs probat Scotus. Prima ex via efficientiæ: ſecunda ex via cognitionis: tertia ex via finis, & quarta via Eminentiæ. Primò, quia ſcilicet poteſt effectus infinitos producere, ac per conſequens eſt ens aliquod infinitum. Secūdò, quia poteſt infinita cognoſcere, cum poſſit illa producere. Tertiò, quia eſt ſummum bonum, & conſequenter infinitum, aliter non eſſet ſummum, quod naturaliter voluntas naturalis appetit; appetitus autem naturalis non eſt ad impoſſibile, & alioquin nuſquam quietatur voluntas, niſi perueniat ad ſummum bonum. Quartò, quia eſt perfectiſſimum, & ſummum cogitabile; eminentiſſimo autem impoſſibile eſt, aliquod eſſe perfectius, finito verò non eſt impoſſibile aliquod eſſe perfectius, igitur eminentiſſimum debet eſſe infinitum, ſed Eminentiſſimum eſt, ergo infinitum eſt.

QVÆ-

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum eſſe, & exiſtentia ſit de eſſentia Dei.

VIſo, atque probato, Deum eſſe in rerum natura, quod propriè eſt, ipſum exiſtere, & quot modis ipſum eſſe ſit per ſe notum, ſiuè in ſe, ſiuè Deo, ſiuè etiam nobis, & quotvijs demonſtrari poſſit eſſe de ipſo, ſupereſt inquiri, ſi eſſe, ſiuè exiſtere ſit de eius eſſentia, & quidditate, nec ne?

Scotiſtæ in tres claſſes diuiſi ſunt, Antonius Trombeta in expoſitione formalitatum, Maior in 1. diſ. 23. q. vnic. & Bargius ibidem, exiſtimant, exiſtentiam Dei eſſe modum intrinſecum eius, probant primò, de Deo poſſumus habere ſcientiam ſecundum Scot. in 1. diſ. 2. q. 2. at ſcientia abſtrahit ab exiſtentia, igitur exiſtentia non eſt de eſſentia, alioquin vel non haberemus ſcientiam de Deo, vel abſtraheremus exiſtentiam à re cuius eſt, quod eſt impoſſibile. Secundò quæ ſunt communia Deo, & creaturis ſunt eiuſdem rationis, ſed exiſtentia eſt communis Deo, & creaturis, ſi ergo in nobis eſt modus intrinſecus, vt eſt, erit etiam in Deo modus intrinſecus.

Secunda ſententia docet, exiſtentiam eſſe de eſſentia, & quidditate Dei, ſed diuerſimodè probatur, atque declaratur à diuerſis Scotiſtis.

Primò recentior Scotiſta in tract. de Trin. tom. 1. diſ. 3. q. 8. triplicem proponit ſenſum huius quæſtionis. Primus eſt, vtrum exiſtentia tamquam altera pars, ſeu conceptus eſſentialis à Deo internè, & eſſentialiter ingrediatur conſtitutionem totius, vt ſit de eius intrinſeca ratione in conſtruendo, vel componendo. Secundus ſenſus eſt, vtrum adeò neceſſariò competat exiſtentia toti cōſtituto, ſeu compoſito, vt iam neceſſe poſſit vnquam ſeparabilis talis exiſtentia à ſua eſſentia, ſed abſolutè neceſſariò ſit tale, an [redacted] verò non ſic neceſſariò, ſed ex adiuncto ei accidat, quod eſt quærere, vtrum Deus ſit de ſe hic, & de ſe exiſtens, ex cuius contrario oppoſitum habetur de creatura, dum quæritur, & deffinitur creaturam non eſſe de ſe hanc, nec de ſe exiſtentem, cum non ſit ens neceſſarium, ſed ex addito ſibi adueniat exiſtentia, & declarans modum prædictus Auctor num. 14. proponit quæſtionem, vtrum

vtrum ſcilicet exiſtentia propterea , quod Deus eſt ens neceſſarium à ſe independenter, & æternale dicatur de eius quidditate , ex cuius oppoſito de creatura quæritur, vtrum qua ratione ipſa eſt ens dependens, contingens non habens eſſe à ſe ſit exiſtentia modus eius; an de intrinſeca ratione. Tertius ſenſus eſt, vtrum exiſtentia ſit de ratione intrinſeca ipſius eſſentiæ, & definit quæſtionem intelligendam eſſe in ſecundo ſenſu non in primo , & in tertio, & reſpondet, in dicto ſenſu, exiſtētiam eſſe de quidditate Dei, non modum intrinſecum.

In primo ſenſu non eſſe intelligendam pręſentem quæſtionem probat, quoniam non ſolum Deus, ſed etiam creatura conſtituta eſt eſſentialiter quidditatiuè ex eſſentia, & exiſtentia, vnumquodque enim ens habet veluti principia intrinſeca conſtitutiua , tum eſſentiam, tum exiſtētiam admodum, quo totum phyſicum eſſentialiter conſtituitur ex materia, & forma; quia exiſtētia eſt actuās, & complens eſſentiam indiuidualiter, & ita ſe habet eſſentia ad exiſtentiam, ſicut materia ad formam.

Hæc tamen doctrina quamuis vera ſit, quoad illam partem , qua aſſeritur, exiſtentiam actuare eſſentiam; exiſtentia etenim eſt vltimus actus entium , non tamen eſt vera ad propoſitum huius quæſtionis, nec ſimilitudo de toto compoſito ex materia , & forma ad compoſitum ex eſſentia, & exiſtentia in iſto caſu currit . Primum probatur, nam quęſtio inquirit de Deo abſolutè ſumpto, vtrum ſcilicet exiſtentia ſit de eius quidditate ipſum ponens in eſſe entis, non autem de Deo exiſtente vt exiſtens eſt , etenim hoc modo clarum eſt eſſe de eius quidditate eſſentiam, & exiſtentiam, ſicut de quidditate albi eſſ albedo, & ſubiectum tamquam duo cōſtituentia album in eſſe albi, albedo enim eſt formalis ratio conſtitutiua albi , & talis conſtitutio in eſſe albi eſt effectus formalis albedinis, ſic etiam exiſtentia conſtituit eſſentialiter rem exiſtentem vt ſic, ideſt in eſſe exiſtentis, & eodem modo talis conſtitutio eſt effectus formalis , non propterea tamen ſequitur exiſtentiam eſſe partem conſtitutiuam, vel creaturæ, vt creatura , vel Dei vt ſic, de quo inquiritur ; falſum eſt igitur exiſtentiam eſſe ad hunc ſenſum de quidditate , & eſſentia Dei, & creaturæ. Secundum etiam probatur, nam quamuis forma actuet materiam, eique adueniat in compoſito phyſico, & exiſtentia eſſentiam in conſtituto metaphyſico, non eſt ſimile in Deo, cui exiſtentia haud eſt actuans

tuans eſſentiam,quod colligitur ex Dyoniſ. de diuin.nom.c.5.vbi ait, Deus non quodam modo eſt exiſtens, ſed ſimpliciter, & circumſcriptiuè totum eſſe accepit in ſeipſo,& præaccepit, ex quo vltimo verbo ſequitur,exiſtentiam non eſse actum actuantem eſſentiam diuinam,quæ ex ſe eſt vltimus actus, abſit autem,vt dicamus eſſentiam diuinam recipere vltimum actum ab exiſtentia (quod ſolum euenit in creaturis) ſed de ſe eſt in vltimo actus,vel potius eſt vltimus actus,& ipſamet exiſtentia.

Secundum ſenſum inquit ad propoſitum eſſe quæſtionis, ita quod qua ratione exiſtentia ſeparabilis, vel inſeparabilis erit à ſua eſsentia,ea futurum fore eſse de quidditate, vel non,totius cõſtituti per ipſam,& cum creatura non ſit de ſe hæc, nec de ſe exiſtens,ſiquidem non neceſſariò, ſed ex addito ſibi aduenit exiſtentia, cuius oppoſitum euenit in Deo, ea propter exiſtentia non eſt de eſſentia,& quidditate creaturæ,ſed Dei.

Hæc etiã doctrina non mihi placet,tum quia eſt falſa,tum quia non eſt ad propoſitum quæſtionis. Primò probatur eſse falſam, ex eo quod aſſumit pro eodem rem eſse de ſe hanc, & eſse de ſe exiſtẽtem; etenim a diuerſis principijs proueniunt iſta duo, ſcilicet eſse hoc,& eſse exiſtens; nam eſse hoc prouenit formaliter à differentia indiuiduali, eſse autem exiſtens prouenit formaliter ab ipſa exiſtentia. Exiſtentia enim non eſt hecchęitas,nec è contra, vt patet. Deinde quidditas in quacumque re eſt primum in illa re,& ex illa omnia proueniunt,atque emanant, ſi ergo exiſtentia in Deo prouenit ex eius neceſſitate,independentia,& æternitate, ita quod,ideò ſit de ſe exiſtens, ideoq; eius exiſtentia ſit ab eo inſeparabilis,quia eſt ens neceſſarium independẽs, & æternum, cuius oppoſitum inquit Auctor iſte euenit in creatura,quis non videt exiſtentiam ex hac ratione in Deo non eſse primum, vel primus conceptus, ſed eſſe neceſsarium,indepẽdens, & æternum erit primus Dei conceptus,& non ipſa exiſtentia,quod tamen eſt falſum in via Scoti aſserentis in quodlib.qu.6.§. reſtat nunc,vbi ait,quod æternitas dicit modum intrinſecum exiſtẽtiæ diuinæ, non igitur æternitas poteſt eſſe ratio, qua eſsentiæ Dei competat exiſtẽtia, cum æternitas ſit poſterior exiſtentia,ſicut quilibet modus eſt poſterior eo cuius eſt modus. Secundum probatur,nam eſse ſeparabilem,vel inſeparabilem exiſtẽtiam à re cuius eſt non facit illam eſſe de quidditate, vel non de quidditate rei,etenim paſſiones, & mul-

multa etiam accidentia inſeparabilia ſunt à re, nec tamen ſunt de quidditate rei, nec res de quidditate illorum, & conſequenter hic ſenſus non eſt ad propoſitum quæſtionis.

Tertius igitur ſenſus ſupereſt, ſi ſit præſentis quæſtionis nec nè, Vtrum ſcilicet exiſtentia ſit de ratione intrinſeca, & quidditate Dei, eiuſque eſsentiæ diuinæ, & reſpondet negatiuè, & probat, cum enim nullum poſterius, & aduentitium ſit de ratione, & naturâ ſui prioris, & eſse eſsentiæ, quamuis non ſit a parte rei diſtincta ab exiſtentia, illud tamen prius neceſsariò concipitur veluti fundamentum iſtius, & ſicut potentia præcedens actum, qua non præeunte, nullus actus ſequeretur, ſic nulla exiſtentia actualis eſſet non præſuppoſita eſsentia, ex quo neceſſariò ſequitur, exiſtētiam non poſse eſſe hoc modo de eſsentia, & quidditate diuinæ eſsentiæ, ſed cum modo ſuperius improbatum ſit, eſsentiam diuinam eſse vllo modo à parte rei priorem exiſtentia, non concluditur ex hac ratione, non eſse huius quæſtionis hunc ſenſum; etenim licet eſsentia ſit prior, & quaſi fundamentum aliorum, quæ ſunt in diuinis, quia ab ipſa pullulant vt modi intrinſeci, potentiæ, attributa, & notionalia, vt inquit Scot. in 2. diſ. 1. q. 2. hoc non poteſt dici de exiſtentia, quæ non poteſt prouenire, & pullulare ab intrinſeco ſicut cætera pullulant ab eſsentia diuina, quia pullularet à re non exiſtente, quod eſt impoſſibile, nec aduenit ab extrinſeco ſicut in creaturis.

Mihi omninò videtur, hunc eſse ſenſum quæſtionis, & exiſtentiam eſse de quidditate eſsentiæ diuinæ, Deiq; quamuis non eſsētiæ creatæ, & creaturæ, idem enim eſt inquirere, An exiſtentia ſit de quidditate Dei, & an ſit de quidditate eſſentiæ diuinæ, non ſumendo Deum ſub ratione exiſtentis, neque eſsentiam diuinam ſub ratione exiſtentis, quia hæc eſset compoſitio rei vt exiſtentis ex eſsentia, & exiſtētia, vti compoſitio albi ex albedine, & ſubiecto, de quo non eſt dubium, quin ſit de eſsentia, & quidditate albi, ſed ſumendo Deum, & eſsentiam diuinam vt ſic nudè ſumptam, de quo inquiritur, Vtrum exiſtentia ſit de quidditate, idest ſit primus conceptus quidditatiuus Dei, & eſſentiæ diuinæ, qui quidem conceptus neceſsariò præſupponi debet ad omnia, quæ ſunt in diuinis, & fluunt, atque emanant ab eſsētia, ſiquidem a re non exiſtente nihil emanare poteſt; quapropter hæc formaliter diſtincta ſunt ab eſsentia, & non ſunt de quidditate illius, nec è contra,

cuius

cuius oppoſitum euenit de exiſtẽtia diuina, quæquidem non emanat ab eſsentia,ſed eſt formaliter ipſamet eſsentia, atque eadem quidditas, & hæc reſponſio ſic affirmatiua eſt ad propoſitum prę-ſentis quæſtionis, quæ non poteſt habere alium ſenſum, quam iſtum; id autem quod inquit prædictus auctor eſse eſſentiæ eſse prius exiſtentia, vt potentia eſt prior actu, falſum eſt in diuinis, vbi eſsentia eſt de ſe,& per ſe exiſtens,ſecùs eſt in creaturis.

Alia ratione Pater Martinus Meuriſſe Scotiſta recentior in metaphyſicam lib.1.q.25.probat, exiſtentiam eſse de quidditate Dei,& eſsentiæ diuinæ, quia illud quod ex ſe formaliter eſt ſummè neceſse eſse includit eſse, & eſt eſse ex ſuo conceptu quidditatiuo,at eſsentia diuina eſt huiuſmodi neceſse eſse,igitur quidditatiuè ſibi competit eſse,& exiſtere; minorem probat, quia neceſse eſse eſt cui ſecundum primam, & abſolutiſſimam rationem ſuam conuenit eſse ſecundum Auicen.in 5.metaph.

Hæc tamen probatio non conuincit propoſitum, nam quamuis neceſse eſse includat eſse, non tamen ſequitur ex hoc præcisè (pręciſam enim rationem, ideſt formalem nunc inquirimus) quod illud, cui conuenit neceſse eſse includat eſse in ſui eſse quidditatiuo,ſicut quamuis contingenter eſſe,neceſſariò includat eſſe, quia ſi non includeret eſſe, nec contingenter eſſet, non tamen illud, cui conuenit contingenter eſse, includit quidditatiuè ipſum eſſe,vt patet; vndè ſequitur ex neceſse eſſe non neceſſariò inferri ipſum eſse eſse de quidditate illius entis,cui competit neceſſe eſse. Rurſùs Scotus in quodlib.q.7. probat, ſi per impoſſibile intelligẽtiæ eſſent entia neceſſaria ſimpliciter, ex hoc præcisè non ſequi illas eſse à ſe,vel ex ſe,eſſe igitur neceſse eſse, iuxta mentem Scoti,non eſt ratio,vt eſse, & exiſtere competat quidditatiuè enti,cui competit neceſse eſse; vnde Scotus in 1.diſ.8. qu. 3.§. ad primum verſ. reſpondeo, faciens diſtinctionem inter id quod habet de ſe eſse,& id quod eſt capax eſse,inquit,quando aliquid eſt de ſe eſse, & non tantum capax illius eſſe,tunc etiam eſt de ſe habens quamlibet conditionem neceſsariam,& requiſitam ad eſse, huiuſmodi autem eſt eſse neceſsarium, infinitum, æternum, igitur iſta quaſi ſuccedunt ad eſse de ſe,quod eſt exiſtere,non autem præueniunt.

Dicendum eſt igitur eſſe, & exiſtere competere quidditatiuè Deo,& ex eo præcisè quod eſt ex ſe, & de ſe, quodlibet enim vel eſt à ſe,vel ab alio,vel neutrum, non primum, quia nemo ſe pro-

ducit,

ducit,non ſecundum,quia eſſet proceſsus infinitus, quod eſt contra Philoſophum 1.poſter.& 8.phyſ.& 12.metaph. deueniendum eſt ergo ad aliquod vnum primum,quod non ſit nec à ſe, nec ab alio,ſed ex ſe,& de ſe,ſeu per ſe,cui autem hoc modo competit eſſe, competit illi formaliter,& quidditatiuè,& hæc eſt præciſa ratio, & formalis,quare eſſe,& exiſtentia eſt de quidditate Dei, & non creaturæ; quod autem habet de ſe eſſe eſt infinitum, ſiuè entitatis infinitæ,quod probatur exemplo Philoſophi, qui 8.phyſ. volens probare, primam cauſam eſſe infinitæ potentiæ, probat ex eo quod eſt ex ſe potens, eodem igitur modo illud erit infinitæ entitatis, quod est ex ſe ens, & quia quod eſt ex ſe non habet eſſe potius hodie,quam heri, nec heri,quam nudius tertius,nec poſſit potius deficere hodie,quam cras,vel poſtridie, quia ſicut non habet cauſam ſui eſſe,nec habebit cauſam ſui non eſſe, & ſic erit æternum,atque ſempiternum; quod autem eſt ex ſe, & infinitum, & ſempiternum eſt immutabile, & quod eſt ſic immutabile neceſſariò eſt neceſſariū ſimpliciter, & inde clarè conſtat,quod eſſe, & exiſtere ſit de quidditate Dei, eiuſque primus conceptus quidditatiuus; cætera verò minimè, cum ſint quaſi poſteriora iuxta ordinem prædictum; ex quo etiam ſequitur non poſſe demonſtrari à priori,& quidditatiuè eſſe, & exiſtere competere Deo per dictos modos,ſed vel non poteſt ſibi competere quidditatiuè per illos, vel erit probatio à poſteriori, quapropter ſumma ratione Scotus dixit loco infra citando hanc,Deus eſt,eſſe immediatiſſimam, & in primo modo,atque indemonſtrabilem à priori, vt probatum eſt in quæſtione præcedenti, hanc ſententiam ſequũtur plures ex Scotiſtis Lichetus in 1.diſ.2.q.2. Mauritius Vigerius, & plures alij,& primo probatur auctoritatibus,deinde rationibus.

Auctoritates ſunt D.Aug.7.de Trin.c.1. vbi ait, quod eſt ſapiētiæ ſapere,& quod eſt potentiæ poſſe,& æternitate æternum eſse, & iuſtitiæ iuſtum eſſe,hoc eſt eſſentiæ ipſum eſſe, ſed ſapere, & iuſtum eſse eſt de eſsentia ſapientiæ,& iuſtitiæ, & dicitur in primo modo,igitur ipſum eſſe,& exiſtere erit de quidditate eſsentiæ diuinæ,& c.4. inquit,ab eo quod eſt eſse appellatur eſſentia propter quod Deus ipſe,cui proprijſſimè,& veriſſimè competit eſſe veriſſimè dicitur eſsentia,& cap.5. ait, idque nomen ſuum ſuo famulo enunciauit Moyſi cum dixit: Ego ſum, qui ſum; nomina autem imponuntur ſecundum quidditatiuam proprietatem Dei, atque eſſen-

eſsentialem,& in primo modo dictam, & hoc maximè verum eſt de Deo non ſolum doctus., ſed etiam auctor omnium rerum, & Damaſc.lib.12. ait, videtur quidem principalis omnium, quæ de Deo dicuntur maximum eſſe qui eſt, probans Hoc ex illo Exodi 3. qui eſt miſit me,non poteſt autem nomen eſſe proprium,& multo minus eſſe principalius,quod rei eſſentiam,& quidditatem non ſignificet,& Dionyſ. de diu. nomin.c.5.3.p. inquit, Deus non quodammodo eſt exiſtens, ſed ſimpliciter, & circumſcriptiuè totum eſſe accipit in ſeipſo,& præaccipit, propter quod dicitur Rex ſeculorum,ex qua auctoritate colligitur,æternitatem Dei prouenire ab eius exiſtentia,& non è contra;qua propter Scotus in quodl. q.6.§.reſtat nunc, dicit æternitatem eſſe modum intrinſecum exiſtentiæ Dei,quod conformatur verbis Dionyſij nempe Deus, ex eo quod eſt ex ſe exiſtens,dicitur Rex ſæculorum.

Auctoritates plurimæ etiam ſunt Scoti noſtri in 1.diſ.2.q. 2. §. ex his ad quæſt. vbi ait,hanc Deus eſt,eſſe per ſe veram,& immediatiſſimam,& in primo modo dicendi per ſe, & in quodlib. qu. 1. §.contra iſtam,vbi dicitur quod eſſentia,&eius exiſtentia in creatis ſe habet ſicut quidditas,& modus, in diuinis autem exiſtentia eſt de conceptu eſſentiæ,& prædicatur in primo modo dicēdi per ſe, ſic quod propoſitio illa eſt prima,& immediata, ad quam omnes aliæ reſoluuntur, ita ſimiliter in 2.diſ.1.q.2.& in 4.diſ.46.q.3. & in quodlib. q.5.ar.3.& in Reporta.diſ.45.d.2.p.2.q.2. & deniq; in quodlib.q.6.§. reſtat nunc videre inquit, ſicut infinitas intenſiua dicit modum intrinſecum eſſentiæ vt eſſentiæ; ita æternitas vt æternitas dicit modum intrinſecum exiſtentis vt exiſtentiæ, ex quibus verbis neceſſariò ſequitur exiſtentiam Dei non eſſe modum eius intrinſecum, ſed quidditatiuum conceptum, ſiquidem in rigore modi non poteſt eſſe modus. Dices, ſi infinitus eſt modus eſſentiæ,& æternitas modus exiſtentiæ, cum illæ ſint à parte rei diſtinctæ,& iſtæ debent eodem modo diſtingui. Reſp. quod inferior eſt modus eſſentiæ vt talis entitas eſt, æternitas verò eſt modus eiuſdem eſsentiæ,vt eſt in rerum natura, qua ratione ſibi competit duratio,quæ eſt æternitas ,nulla diſtinctione interueniente à parte rei inter eſsentiam,& exiſtentiam.

Denique ratione probatur,quicquid enim competit rei, ſiuè de illa dicitur aut eſt genus, aut ſpecies, aut eſt differentia, aut proprium,aut accidens idest dicitur, & prędicatur ſecundum aliquem

modum

modum horum quinque, vel ſaltem ad ſimilitudinem illorum, non autem alius modus dicendi inueniri poteſt cum prædicabilia ſint ſufficientiſſime aſſignata à Porphirio, nemine diſcrepante, at exiſtentia non competit Deo, nec prædicatur de illo duobus poſteris modis, ergo aliquo priorum trium, quæ ſunt de eſſentia, & quidditate rei. Primò probatur de accidente communi, quia nullus admittit in Deo tale accidens. Secundò probatur de proprio, quod propriè in Deo vocatur attributum, & perfectio vti ſunt infinitas, æternitas, & bonitas, & cętera huiuſmodi, quæ circumſtant Deum ſecundum Damaſc. lib. 1. c. 4. hoc autem modo non poteſt eſſe exiſtentia in Deo, nam quamuis prædicta attributa, quodammodo emanent, pullulent, & profluāt ab eſſentia diuina ſicut propriæ paſſiones à principijs ſubiecti, exiſtentia tamen non poteſt vllo modo conſiderari vt profluens ab eſſentia diuina, ergo &c. probatur iſta minor, non enim poteſt eſſe, nec cogitari quidem, eſſe aliquid, à quo alia emanant, & aliquo modo cauſantur, & illud non eſſe actualiter in aliquo ſigno priori quacumque prioritate, ſiuè temporis, ſiuè naturæ, ſiuè etiam originis, ſi ergo exiſtentia aliquo modo emanaret ab eſſentia diuina ſicut cętera attributa, neceſſariò in aliquo priori deberet eſſentia eſſe actu, ſed hoc eſſe actu in rerum natura eſt exiſtere, igitur iam eſſentia habet exiſtētiam antequam ab ipſa emanet exiſtentia, quod eſt impoſſibile, quia ſic exiſteret ſine exiſtentia, igitur exiſtentia non poteſt ſe habere in reſpectu ad eſſentiam, ſicut cętera propria, & attributa, debet ergo ſe habere à ſufficiēti enumeratione ſicut aliquod, quod ſit de eſſentia illius eſsentię, & ipſius Dei, licet propriè non ſit differentia, nec ſpecies, vel genus, quæ minimè inueniuntur in Deo, ſunt tamen ibi, vt ſubdit Scotus in 1. diſ. 7. qu. 1. §. ad primum, aliqua, quæ ſe habent ad modum ſpeciei, quia paternitas, & filiatio ſunt relationes quaſi alterius ſpeciei, & hoc modo eſt exiſtentia in Deo de quidditate, & eſſentia illius.

Diceret aliquis exiſtentiam non prædicari de Deo quidditatiuè, ſed qualitatiuè ſicut cęteri modi; ſed contra hoc eſt, cum exiſtentia non ſit modus, prędicari non poteſt qualitatiuè ad modum quo prædicatur modus.

Contra hanc opinionem arguitur ex Scoto in primo diſ. 8. qu. 8. §. ad prim. argum. ver. reſpondeo, vbi diſcurrendo dicit, Deum per prius eſſe infinitum, quam hoc exiſtens, ſed infinitas eſt mo-

dus

dus intrinſecus ex eodem Scoto in quodlib.q.6.,ergo & exiſtentia eſt modus intrinſecus, & non quidditas Dei; nam quidditas rei non poteſt eſſe poſterior modo intrinſeco rei. Reſpondetur, Scotum loc.cit.non aſſerere infinitatem eſſe priorem exiſtentia Dei, ſed eſſe priorem hæcceitate,& ſingularitate eius, nam ibi inquit, quod eſt de ſe eſſe, & non tantum capax illius eſſe ſicut eſt creatura, ſed eſt ens per eſſentiam,& ipſum eſſe infinitum, & poſtea eſſe hoc,& ſubdit, ideò non oportet quærere, quomodo hoc ens ſit infinitum, quaſi prius ſibi conueniat ſingularitas, quam infinitas, hoc autem clarius intelligetur ſi reſpiciatur ad id quod diximus, quod modi intrinſeci ſunt priores paſſionibus in quocumque ente,& etiam ſingularitate eiuſdem entis, hæc enim differentia eſt inter modos intrinſecos ſpecificos,& indiuiduales,quod illi immediatè ſequuntur conſtitutionem quidditatiuam, ſiuè quidditatis rei, hi autem conſtitutionem indiuidualem, ſeu indiuidui; ſi quidem albedo habet duplicem modum intrinſecum, vnum qui pertinet ad quidditatem, ſeu perfectionem quidditatiuam albedinis, in qua differt ab alijs coloribus, ſupponendo quod albedo ſit perfectior cęteris nimirum in ſpecie, ſeu perfectione ſpecifica, & quidditatiua, in qua ſuperat cæteros colores in perfectione, & ſecundum gradum maioris, aut minoris perfectionis alij colores magis,aut minus accedunt ad perfectionem albedinis, hi autem gradus maioris,aut minoris perfectionis ſunt modi intrinſeci ſpecifici ſequentes conſtitutionem ſpecificam, & quidditatiuam, & inſeparabiles ab illa, eſſe autem albedinem in quatuor, & quinque gradibus eſt habere modum intrinſecum indiuidualem conſequentem indiuiduum, ſeu conſtitutionem indiuidualem, & hic modus ſeparabilis eſt ab albedine per eius intenſionem, & remiſſionem. Nunc ad propoſitum infinitas, & finitas eſt modus intrinſecus Dei,& creaturæ ſpecificus,& inſeparabilis ab illis, & conſequens cōſtitutionem quidditatiuam, & ſpecificam illorum, & conſequenter præueniens indiuidualitatem, & hæcceitatem illorum. Vnde hic ordo naturæ ſecundum naturalem exigentiam, & præexigentiam admittendus eſt in Deo, vt colligitur ex doctrina Scoti in pluribus locis. Primò eſt eſſentia diuina de ſe exiſtens,de ſe habens eſſe,& exiſtere,& de ſe in vltimo, & completo actu,ſeu potius ipſemet vltimus actus,& ipſamet exiſtentia, deinde ſunt modi intrinſeci ſcilicet infinitas modus eſſentiæ vt ſic, &

æternitas modus exiſtentiæ vt exiſtentiæ, poſtea eſt hęcceitas, & ſingularitas huius eſſentiæ, deinde potentiæ, ideſt intellectus, & voluntas, poſtremò attributa, & perfectiones eſſentiales, denique notionalia.

Tertia ſententia recẽtior omnibus eſt Patris Fauentini ambas oppoſitas reconciliantis, & dicentis exiſtentiam eſſe de eſsentia Dei, & ſimul eſſe modum intrinſecum eius. Hoc probat Auctor iſte per quamdam doctrinam Scoti in 2. diſ. 3. q. 6. vbi inquit Scotus, eſſentiam, & exiſtentiam eſſe idem realiter, & diſtingui formaliter, hinc Fauentinus diſtinguit de exiſtentia, vt conſiderari poſſit ſecundũ eſſe reale, & ſecũdũ eſse formale; primo modo ait, exiſtentiã eſse de eſſentia Dei; ſecũdo modo eſſe modũ intrinſecũ.

Hęc declaratio verè chimerica eſt in doctrina Scoti, tum quia Scotus in loc. cit. loquitur de idẽtitate, & diſtinctione reali, & formali, non autem de identitate aliqua, quæ ſumatur ſm̃ eſſe formale, vel ſm̃ eſſe reale, & ſi maximo conatu, & pugna ſaluamus cõtra Thomiſtas diuerſam eſſe identitatem, & diſtinctionẽ formalẽ ab identitate, & diſtinctione reali, quas dicunt Thomiſtæ non differre, & nos Scotiſtas ſomniare de illis, nouus ſomnus eſset diſtinguere eamdem rem ſecundũ eſſe reale, & ſecundum eſſe formale, quod omninò inintelligibile eſt, niſi Fauentinus confugeret ad aliam doctrinam Scoticam, quæ vt conficiat diſtinctiones ſex à parte rei diſtinguit tria rem, realitatem, & formalitatem, & ſic poteſt intelligi ſecundum intentum huius Auctoris ipſa exiſtẽtia ſecundum eſſe formale .i. eſse formalitatem, & ſm̃ eſse reale .i. eſſe realitatem, vel rem. Sed contra hoc eſt, quia Scotiſtæ vt diuerſificent diſtinctiones, & identitates, ita diſtinguunt illa tria, vt illud quod eſt præcisè formalitas, non ſit realitas, & illud, quod eſt pręcisè realitas, non ſit res, quia prima eſt ſuperior ſecunda, & ſecunda ſuperior tertia, ſicut animal, non eſt homo, quatenus eſt ſuperius illo, ita in propoſito, vt verum ſit quod dicit Scotus eſsẽtiam, & exiſtentiam eſſe idem realiter, & diſtingui formaliter; exiſtẽtia non poteſt ſumi ſecundũ eſſe formale, vt diſtinguatur formaliter ab eſſentia ex hoc præcisè, quia ſit formalitas alia ab eſsentia; nam formalitas poteſt bene eſſe eadem formaliter alteri formalitati, ſi vna prædicetur de altera in primo modo dicendi per ſe, & propterea non ſequitur exiſtentia conſideratur ſecundum eſſe formale, vel vt habet eſse formale, vel vt eſt formalitas, ergo eſt di-

ſtincta

ſtincta formaliter ab eſſentia,& ſic eſt modus intrinſecus,quia diſtinctio formalitatis, non facit neceſſariò diſtinctionem formalem,cum poſſit ſtare diſtinctio formalitatis cum idẽtitate formali,nimirum quando vna formalitas prædicatur de altera formalitate in primo modo; denique nullo modo poteſt dici, quinimò ſecundum doctrinam Scoti cõtradictio eſt ui adiecto dicere,quod exiſtentia capta ſecundum eſſe formale,vel ſecundũ quod eſt formalitas ſit modus intrinſecus, quia modus intrinſecus nullam dicit formalitatem,neque ſumi poteſt ſecundum eſse formale ſecũdum Scot. in 1.diſ.8.q.3. vbi definit modum intrinſecum eſſe, qui additus rei non variat rationem formalem conſtituti per ipſum, nec ſemotus ab illo; hoc autem eſt,quia de ſe nullam dicit formalitatem,nec ſecundum eſſe formali accipi poteſt.

Supereſt reſpondere fundamentis primæ ſententiæ,nam ſecũdam pro vera habemus. Ad illud quod dicitur de ſcientia,quę abſtrahit ab exiſtentia,reſpondetur,ſcientiam noſtrum viatorũ abſtrahere ab exiſtentia,quia non poſſumus cognoſcere pro hac via res perfectè ſecundũ eſse proprium indiuiduale, ſed abſtrahimus rationes communes ab illis, ita habemus ſcientiam de Deo quãtum ipſe abſtrahit ab exiſtentia, quia nõ cognoſcimus ipſum clarè,& perfectè; Beati autem in cœlo, & ipſe Deus habent ſcientiam perfectam de ſeipſo,vt eſt iſta, Deus eſt, quæ ſcientia non abſtrahit ab exiſtentia. Ad ſecundum dicimus falſum eſse,exiſtẽtiam Dei,& creaturarum eſse eiuſdem rationis, hoc enim neque ſpecificè,neque genericè, neque etiam tranſcendenter, quod eſt contra quoſdam Scotiſtas,dici poteſt,quia exiſtentia Dei, & exiſtentia creaturarum eſſent reſolubiles in vlteriores conceptus, nempe in conceptum communem Deo,& creaturis, qui deſcenderet ad exiſtentiam Dei,& creaturarum per diuerſos conceptus, & ita exiſtentia,ſcilicet creaturarum reſolueretur in illum conceptum communem ſibi,& Deo,& in illum particularem,per quem ille communis deſcendit ad exiſtentiam ipſarum creaturarum, ſed hoc nõ poteſt eſſe,quia modus intrinſecus eſt ſimpliciter ſimplex conceptus,& non reſolubilis ſecundum Scot. in 1.diſ.3.& ſic dicimus exiſtentiam creaturarum eſſe modum intrinſecum illarum cum nulla alia exiſtentia conuenientem in aliquo ſuperiori, & è contra exiſtentia Dei eſſe de quidditate,& exiſtentia illius.

Digitized by Google

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum tantum ſit vnus Deus, & Vtrum hoc ſit reuelatum, an ratione naturali cognitum.

RAtio dubitandi eſt communis antiquorum gentilium per aliquot millia annorum pluribus Dijs ſacrificandi mos, & non videtur negari inter tot gentes, nec vnum quidem inuentum fuiſſe, qui hoc naturali indagamine (ſi vnus Deus eſſet, & naturaliter cognoſcibilis) cognoſceret, & augetur difficultas à Gulielmo Varrone in 1. diſ. 1. q. 1. vbi adducit auctoritatem Rabbi Moyſis lib. 3. c. 6. dicentis, vnitatem Dei acceptam eſſe à lege, ex his ſequitur, vel quod Deus non ſit vnus, vel ſi vnus eſt, non ſit naturaliter cognita eius vnitas.

Scotus tamen in 1. diſ. 2. qu. 3. ſeptem vijs naturaliter probat hanc veritatem de vnitate Dei, quantum aliquæ ſunt totaliter naturales, aliquæ verò, licet ſint ex præmiſſis reuelatis naturaliter tamen concludunt intentum, quas examinare poteſtis in tex. Scoti cum earum ſolutionibus Magiſtri Occam, quas futiles, & inſufficientes doctiſſimè demonſtrat Lichetus ibidem.

Franciſcus Mayronus iſtam veritatem oſtendit excludendo quatuor vias, quibus imaginari poſſunt plures Dij. Prima via ponendo eos primò diuerſos: ſecunda contrarios: tertia diſparatos: quarta eiuſdem rationis.

Prima via excluditur ſic. Ens perfectiſſimum includit omnem perfectionem ſimpliciter, Deus eſt ens perfectiſſimum, & Deitas alterius Dei eſt perfectio ſimpliciter, igitur iſta includitur in illo Deo, ac per conſequens non eſt primò diuerſus ab illo, quippe qui includit eius perfectionem; maior probatur, quoniam perfectiones ſimpliciter ſunt ſibi inuicem compoſſibiles in eodem, quia cui competit infinitas, quę eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, illi etiam competit ſumma bonitas, ſumma veritas, & alia huiuſmodi, in ſempiternis autem idem eſt eſſe, & poſse eſse, habere, & poſſe habere ex Ariſ. 1. phyſ. Si ergo deitas vnius Dei eſt perfectio ſimpliciter erit compoſſibilis alijs perfectionibus ſimpliciter alterius Dei, ergo ille Deus de facto illam habet, & ſimiliter è conuerſo, illi ergo duo Dij ſi eſſent, non eſſent diuerſi.

Secun-

Secunda via excluditur ſic; omnis perfectio ſimpliciter eſt melior quocumque imcompoſſibili ſibi, ſed ratio formalis, qua iſte Deus diſtinguitur ab alio, quæ eſt deitas eſt perfectio ſimpliciter, deitas ergo huius melior eſt deitate illius, quæ eſt incompoſſibilis huic, & ſic iſte melior eſt illo, & è conuerſo argui poteſt, ex quò ſequitur, quod nullus horum eſſet Deus, quia Deus eſt, quo maius meliuſuè excogitari non poteſt; maior probatur declarando perfectionis ſimpliciter definitionem traditam ab Anſel. in cap. 15. perfectio ſimpliciter eſt quæ in quolibet melius ipſum eſſe, quam non eſſe; pro declaratione huius definitionis.

Primò notandum eſt, quod perfectio ſimpliciter in hoc diſtinguitur ab alia perfectione non ſimpliciter, ſed quæ vocatur limitata, quod illa ex ſua ratione formali, & in ſummo accepta excludit omnem imperfectionem, & includit omnem perfectionem realiter, vel ſaltem formaliter dicit perfectionem infinitam. Secunda verò perfectio eſt quæ ex ſua ratione formali, & in ſummo accepta adhuc includit aliquam imperfectionem. Primum declaratur per Ens, vnum, verum, bonum, intellectio, volitio, ſapientia, hæc omnia in ſummo accepta, putà ſumma entitas, ſumma bonitas, ſumma ſapientia excludunt omnem imperfectionẽ, & omnem perfectionem includunt ſiuè formaliter, ſiuè eminẽter. Secundum declaratur per Ens finitum, & limitatum putà natura Humana, & Angelica, vt tales naturæ includunt imperfectionẽ nempe limitationem ſiuè finitam.

Secundò notandum eſt per ly in quolibet, melius eſt ipſam eſſe, quam non eſſe nõ debere intelligi pro in qualibet natura, ſiuè pro in quolibet ſuppoſito alicuius naturæ limitatæ, ſed in quolibet ſuppoſito abſolutè conſiderato, non conſiderata eius natura, vel conſiderato vt ſuppoſitum naturæ illimitatæ, quæ eſt ipſummet ens, vel entitas, bonum, vel bonitas, verum, vel veritas; etenim ſapientia eſt perfectio ſimpliciter, non tamen melior eſt cani in quantum canis vt ſit ſapiens, quam non ſapiens, quia ſic non eſſet canis, & deſtrueretur ipſe canis, ſed melius eſt ſuppoſito canis, nõ in quantum eſt ſub natura canis, ſed abſolutè non conſiderata eius natura, ſed conſiderandam illum eſſe ſuppoſitum naturæ illimitatæ, ſcilicet entis, quia vt ſic non expugnat ſibi eſſe ſapiens, ſed repugnat ei in quantum canis eſt, & ideò non eſt melior illi ſapientia, quam non ſapientia; quinimò melior eſt non ſapientia

vel eſſe latrabilem, quam eſſe ſapientem, quia illud eſt perfectio ſibi conueniens, hoc autem eſt perfectio ſibi repugnans.

Tertiò notandum eſt, omnes perfectiones ſimpliciter eſſe compoſſibiles in eodem realiter, quia ſicut non repugnat cani in quãtum eſt ſuppoſitum entis eſſe ſapientem, quia ipſi enti non repugnat, ita non repugnat eſſe bonum, verum, intelligere, velle, & hoc in ſummo, vt ſummum bonum, ſummum verum, & ſi non repugnat illi eſſe infinitum ens vt eſt ſuppoſitum entis, quia ſicut infinitas competit enti, ita non repugnat eſſe infinitum bonum, infinitum ſapiens.

Vltimò notandum eſt, quod quando dicitur perfectio eſt melius, ipſam eſſe, quam non eſſe, ſeu melius ipſam, quam nõ ipſam, ly non ipſam, debet accipi pro ſuo compoſſibili, non pro ſuo contradictorio, vt inquit Scot. q. 5. quodlibet; quoniam ideò ſapientia eſt perfectio ſimpliciter, quia nata eſt habere modum infinitatis, incompoſſibile ergo perfectioni ſimpliciter eſt omne illud, quod de ſe excludit infinitatem, & includit limitationem, & finitatem, & ſicut finitum, & infinitum ſunt incompoſſibilia, non cõtradictoria; propterea in perfectione ſimpliciter quando dicitur melius eſt ipſa, quam nõ ipſa, intelligitur quam eſſe ſuum incompoſſibile, & non intelligitur, quam non eſſe ſimpliciter, quod eſt contradictorium ipſius eſſe; quoniam melius eſt lapidem eſſe, quã non eſſe, & Angelum eſſe, quam non eſſe, attamen ipſum eſſe lapidis, & Angeli, vt lapis, & Angelus eſt, non eſt perfectio ſimpliciter, quia includit imperfectionem, nempe limitationem, & finitatem, & ſic eſt perfectio tantum limitata, non ſimpliciter, & ex his manet declarata, & probata maior ſecundæ rationis.

Minor etiam probatur primò, quod Deitas ſit perfectio ſimpliciter patet, quia eſt infinita formaliter. Secundò, quod ſit ratio diſtinguendi vnum Deum ab alio, etiam patet, quoniam non ſunt primò diuerſi, vt probauimus in prima ratione, & ſunt contrarij, ſiue oppoſiti, vt ſupponimus in hac ratione, quam excludimus hoc modo; nam ſi ſunt Dij in omnibus conuenire debent, quicquid enim habet vnus Deus, habet etiam & alter, ſecus non eſſet Deus, cui aliqua perfectio deficeret, vt patet ex dictis, non ergo poſſunt eſſe contrarij.

Tertia via excluditur, nam ſi ſunt diſparati, & non primò diuerſi, ergo in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt, ſed hoc

non poteſt eſſe in Deo,ſequeretur enim Deum non magis eſſe neceſse eſse per vnam rationem, quæ formaliter eſt neceſse eſſe, quam ea ſublata,quæ eſt alterius Dei,in quo ille differt ab iſto,ſed hoc eſt impoſſibile, tum quia ſublata vtraque ratione neceſse eſſe à duobus Dijs,qua ipſi differunt à ſe inuicem eſſent etiam eodem modo non minus neceſſe eſse per illam rationem, in qua conueniunt,& ita duo Dij eſſent vnus Deus, cum ſit vnum neceſse eſse in illis,eo modo,quo tres perſonæ diuinę ſunt vnum neceſse eſse, & ideò vnus Deus,quia omnia illa, quibus Perſonæ conſtituuntur præter eſſentiam non ſunt neceſſe eſse formaliter, & propterea hæc ratio Scoti maximè valet ad hoc probandum,quam immeritò inualidam eſse dicit Franciſcus Mayronus.

Quarta via excluditur ſic,nulla ratio, quæ eſt de ſe hæc plurificari poteſt, ſed Deitas eſt de ſe hæc, ergo maior patet, minor probatur,tum quia imperfectionis eſt per proprietatem perſonalem naturam diuinam determinari,contrahi, & aliquo modo actuari,quia hoc admittit potentiam in Deo, tum quia vt probauimus ſupra cum exiſtentia Dei ſit dę eſſentia eius, quæ exiſtentia non poteſt competere niſi naturæ ſingulari, ipſa ſingularitas cōpetit Deo,& naturæ Diuinæ ex ſe,& de ſe,& cōſequenter Deitas de ſe eſt ſingularis,non per aliquod extrinſecū,vel per aliud, ꝙ ſit poſterius quidditate ipſius,ſi vna ergo eſt Deitas, vnus erit Deus.

Ad rationem dubitandi reſpondetur. Ad primam dicitur inter gentiles multos inuentus eſſe, qui vnitatem Dei naturaliter cognouerunt,quamuis communiter vulgus multos adoraret propter communem abuſum,propter hoc forſan antiqui Philoſophi,quos refert Eupubinus lib. 3.de perenni philoſophia c. 7. Deum appellabant Thoen hoc eſt ipſam vnitatem,ſiue ipſum vnum, adducūtur etiam nominatim, Plato probās vnitatem Dei propter vnum exēplar,Ariſtoteles propter vnū motū,& mūdū,Auicēna pp vnū neceſſe eſse, Auerroes propter ſimplicem perfectionem, Cicero in li.de nat.Deor,& multi alij hoc idem ſenſerunt. Ad ſecundam ex Scoto diſ.2.q.3. reſpondetur, Populum Iudaicum indiguiſse per leges inſtrui de vnitate,quia erat rudis,& pronus ad idolatriā, non inde ſequitur non poſse hanc vnitatem naturalibus rationibus demonſtrari;& ideo vltra rationes naturales eſt de fide tenenda vnitas Dei, quia in multis Sacr. Scripturæ locis illam inuenimus clarè deſcriptam,vt in Deuter.c.4.6.& 22.in Pſ.17.82,& 88.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Deus ſit ſummè ſimplex itaùt nec ſit compoſitus, neque cum alio in compoſitionem venire poſſit.

DE fide eſt, Deum eſſe omninò ſimplicem, & ita definitum in Conc. Lateran. in cap. firmiter, & cap. damnam. & in Conc. Remenſi contra Gilbertum Porretanum, rationibus ergo firmanda eſt hæc veritas.

Primò notandum. alteram eſſe compoſitionem ex his, alteram cum his, & vtramq; partem inquirit præſens quæſtio.

Secundò notandum eſt. aliud eſſe ſimpliciter ſimplex, aliud ſummè ſimplex. Primum eſt illud quod in vlteriores conceptus reſolubile non eſt, cum enim Deus plures, & innumeros conceptus, qui ſunt attributa, & perfectiones, in quibus reſoluitur, & quæ de ipſo enunciantur habeat, non eſt ſimpliciter ſimplex, hoc tamen non derogat omnimodæ, & ſummæ ſimplicitati, quæ propriè contra compoſitionem diſtinguitur, & quæ requirit componentia realiter diſtincta, cuius modi non ſunt attributa, & perfectiones diuinæ, & per conſequens non componentes Deum, quod ita probatur inductione de omnibus compoſitionibus ſigillatim.

Prima compoſitio eſt ex eſſentia, & exiſtentia, quæ ſuo modo conuenit etiam accidentibus, hæc autem compoſitio non eſt in Deo, nam quæ compoſitionem faciunt non ſunt perfecta identitate idem ſecundum rem, & conſequenter videntur eſſe ſibi inuicem extrinſeca, quæ duo imperfectionem in dicta compoſitione dicunt; prima imperfectio eſt, quod eſſentia habeat rationem potentiæ reſpectu exiſtentię: ſecunda imperfectio eſt, quod exiſtentia ab alio, nempe à producente rem tali eſſentiæ adiungatur; hæc autem duo repugnant Deo, igitur eſſentia, & exiſtentia eius minimè faciunt compoſitionem.

Secunda compoſitio eſt ex natura, & ſuppoſito, ſiuè ſuppoſitalitate, natura autem diuina, & Deus ſupponēs pro natura, de quo in propoſito loquimur, nō eſt compoſitus ex natura, & ſuppoſito, tum quia tria ſolum ſunt ſuppoſita in diuinis, natura autem diuina, vt ſic non eſt ſuppoſitum, quamuis Deus dicatur indiuiduum,

quia

quia ſecus eſſent quatuor ſuppoſita, tum quia eſſentia diuina de ſe eſt hæc, cum enim quodcumq; ens habeat eſſe, ſi hoc ſemper eſt ab alio eſſet proceſſus infinitus, ad hunc ergo proceſſum vitandum deueniendum eſt ad vnum, quod ex ſe habeat eſſe, talis eſt Deus per ſe, & de ſe ſubſiſtens, ac per conſequens non faciens compoſitionem cum ſuppoſito, aut ſuppoſitalitate, ſi autem loquamur de perſonis diuinis infra probabimus ſuppoſitum, & naturam illius non facere compoſitionem, cuius præciſa ratio eſt indiſtinctio, & ſumma identitas realis, quæ compoſitionem deſtruit.

Tertia compoſitio eſt ex materia, & forma, ſiuè materia ſubiecta ſit quantitati, ſiuè quantitate expers, hæc compoſitio neque eſt in Deo, tum quia materia potentiam includit ad formam, quod imperfectionem dicit in compoſito, ſaltem ſecundum partem materialem, tum quia cauſalitas materiæ, & formæ non eſt ſimpliciter prima, ſed neceſſariò præſupponit priorem cauſalitatem.f.efficientis, ſi ergo Deus qui eſt ens primum, eſset ita compoſitus præſupponeret efficiens prius ſe, ſiquidem à ſe ipſo efficienter non fit, neque componitur, & per conſequens non eſſet primum, quod eſt falſum.

Quarta compoſitio eſt ex partibus integrantibus, & quantitatiuis, quæ corpus arguunt incompoſito, Deus autem cum corpore careat, quippe Spiritus eſt ex Ioannis 4. caret etiam tali compoſitione.

Quinta compoſitio eſt ex ſubiecto, & accidente, cum autem careat Deus omni accidẽte materiali, cum non habeat materiam, neque corpus vbi inſit, caret etiam tali compoſitione, & quamuis illi conueniant ea, quæ in creaturis accidentia ſpiritualia dicuntur vt intelligere, & velle, & eorum habitus, in Deo tamen prędicta ſubſtantia ſunt, non accidentia, quicquid enim formaliter eſt in Deo eſt ipſe Deus.

Sexta compoſitio eſt ex genere, & differentia, quæ particularẽ quæſtionem requirit vt infra videbimus; hæc eadem veritas probatur generaliter de omni compoſitione auctoritate, & ratione; auctoritas eſt Nazianzeni in orat. 24. quæ eſt ſecunda de Theologia vbi ait, compoſitio quippe pugnæ initium eſt, pugna autẽ diſſidij, diſſidium ſolutionis, ſolutio porrò nullo modo in Deum ad primam illam naturam cadit, Ratio eſt Scoti diſ.8.q.1.ſi Deus A eſt compoſitus ex B, & C, vel B, eſt neceſſe eſſe, vel eſt poſſibile

bile eſſe, non ſecundum, quia Deus ex ſe neceſſe eſſe eſſet ex poſſibili eſſe, ac per conſequens ex ſe neceſſe eſse, nõ eſſet neceſſe eſse ex ſe; nec primũ, quia ſi B. eſt ex ſe neceſſe eſse eſt in vltima actualitate, & conſequenter non venit in compoſitionem alterius vlterioris, & perfectioris actualitatis: Rurſus Deus A, eſſet neceſſe eſſe ex B, quo ſublato non minus eſſet neceſſe eſse, quia eſset talis ex C. quod eſt impoſibile.

Pro ſecunda parte quæſtionis. Deum venire in compoſitionem alterius cum altero, aſſeruerunt primò Democritus, qui dixit Deum eſſe animam mundi, quem ſequuti ſunt Gnoſtici, & Stoici ſecundum Epiphan. lib. 1. hæreſ. 5. ex Chriſtianis autem, Priſcilli aniſtæ aſseruerunt, animam hominis eſse diuinam ſubſtantiam, vel partem eius, vt patet ex Conc. Toletan. 1. in confeſs. fid. et ex Leon. Pap. in epiſ. ad Turibium q. 3. cap. 5. Petrus Mailarius teſte Bernardo in epiſ. 190. docuit Spiritum Sanctum eſſe animam mundi, & Innocentius tertius cap. damnamus de ſumm. trinit. & fid. Cathol. damnet quendam Almericum ſui temporis, qui dicebat omnia eſſe Deum, & Deum ipſum eſse eſsentiam omnium rerum, denique D. Thom. in p. p. q. 3. art. 8. inuehitur in quendam Dauidem de Durando dicentem, Deum eſse materiam omnium rerum.

Probanda eſt ergo veritas Catholica rationibus phyſicis, ſi enim Deus veniret in compoſitionem alterius, vel ſe haberet vt accidens, vel vt materia, vel vt forma, non vt accidens, quia hoc ſupra mox excluſimus à Deo, neque vt materia, quia ſic eſſet potentia, & imperfectum ens, neque vt forma, quia Deus ad minus eſset imperfectior compoſito ex ipſo, quod patet, quia totum perfectius, eſt partibus componentibus. Deinde probatur de omni compoſitione cum his, quia illud compoſitum ex Deo vel eſſet creatum, vel increatum; primum eſt intelligibile nimirum quod creatum componatur ex increato. Secundum eſt impoſibile, quia vel eſset idem Deus, vel aliquid aliud à Deo, hoc ſecundum eſſe non poteſt; nam præter Deum increatum inueniri aliud increatũ non poteſt. Si Primum ex eo ſequitur, quod idem eſſet componẽs, & compoſitum, quod eſt impoſſibile.

Sed cum in vnione hypoſtatica compoſitio aliqua ex ſubſiſtentia diuina, & natura humana negari non poſſit, dicendum nobis eſt illam eſſe benè compoſitionem, ſed expertum omni imper-

perfectione, ſubſiſtentia enim diuina non vnitur humanitati tamquam forma, vel materia, vel accidens, aut alio modo, qui imperfectionem includit, ſed tamquam ſuſtentans humanitatem ſine ſui mutatione, vt latius dictum eſt in materia de Incarnatione.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum cum ſimplicitate Diuina ſtet quod Deus, vel aliquid dictum de Deo formaliter ſit in genere.

DEciſum eſt iam de compoſitionibus realibus, & phyſicis, quæ omnes excluſæ ſunt à Deo, ſupereſt agamus de compoſitione metaphyſica ex genere, & differentia, quæ licet non ſit totaliter rationis, vt Thomiſtæ aiunt, non eſt tamen totaliter re alijs, ſed partim ſic, partim ſic, vti eſt vniuerſale illud poſitum à Scoto reale, cuius notitia nō pertinet ad hunc locum, ſufficit ſupponamus illud noſſe quemlibet verſatum in doctrina Scoti.

Thomiſtæ quamuis admittant in Deo compoſitionem quamdam rationis, ſcilicet perfectionum, & attributorum, quæ in eorum doctrina ſola ratione diſtinguuntur, ac per conſequens ſola ratione vniuntur, & compoſitionem faciunt, negant tamen compoſitionem rationis in Deo ex genere, & differentia, ita Suarez cum alijs lib. 1. cap. 4. num. 9. Vaſquez autem in 1. p. diſp. 22. c. 3. num. 4. etiam compoſitionem rationis ex genere, & differentia admittit in Deo, quamuis cap. 4. alia ratione excludat, nos autem diuerſitatem, & diſtinctionem attributorum, nedum rationis, ſed etiam ex parte rei non facere aſſerentes compoſitionem aliquam in Deo. Pro nunc inquirimus, ſi Deus eſt compoſitus ex genere, & differentia, & ſi eſt in Deo genus, vel ipſe cadat in genere, non quidem cum alijs Dijs ſupra enim q. 3. probauimus vnum ſolum eſſe Deum, ſed cum creaturis. Vtrum .ſ. ſit aliquod genus cōmune Deo, & creaturis, in cuius reſolutione Scotus in 1. diſ. 8. q. 9. tres opiniones oſtendit duas oppoſitas .ſ. aliquorum admittentium tale genus in Deo, & aliorum negantium poſſe eſſe aliquod commune Deo, & creaturis ſiuè illud ſit genus, ſiuè aliquid aliud, mediam tamen ſententiam ipſe amplectitur, ens ſcilicet eſſe cōmune vniuocū Deo, & creaturis, nō tamē vt genus, ſed vt quoddā tranſcendēs. De quo hic tractare cū in phyſicis aſſequuti fueritis ſuperfluū eſt, vt procedamus ad alia. QVÆ-

QVESTIO SEXTA

Vtrum Deus ſit nominalibus à nobis viatoribus aliquo nomine proprio, & quidditatiuo.

PRimò notandum eſt, rem duplici modo poſſe diſtinctè, & propriè nomine aliquo ſignificari. Primò modo, vt illud nomen ſignificet conceptum, qui ita vni rei conueniat, vt alteri conuenire non poſſit, vti ſunt hæc infinitus, æternus, quę ſoli Deo conueniunt, & de his non eſt præſens quæſtio: alio modo, vt nomen generet conceptum illius rei quidditatiuum, non connotando rem aliam, nec inſtar alterius, & de hoc nomine eſt præſens controuerſia.

Secundò obſeruauit benè Henricus, nomina eſſe ſymbola quędam inter illum, qui loquitur, & eum qui audit, propterea non dicitur ſignificare rem dicenti, aut imponenti nomen, ſed audienti, vt optimè probat Scot. in 1. diſt. 22. ex Aug. 6. de Trin. c. 6. & 2. de doctrina Chriſtiana c. 1. probat enim rem poſſe diſtinctius ſignificari ab aliquo intellectu, quam intelligi, nam ſubſtantiam ſignificamus proprio, & quidditatiuo conceptu hoc nomine ſubſtātiæ, licet non quidditatiuè cognoſcamus illam ſub proprio conceptu, ſed ſub conceptu entis arguitiuè, cum accidentium adminiculo, quæ videmus in illa ſuſtentari, & corrumpi, ſemper ipſa integra manente, & ſic dicimus id quod manet neceſſe ſubiectum per ſe ſubſiſtens, quod ſubſtantiam vocamus, ex hoc principio ſequitur, falſam eſse illā propoſitionem communem, ſcilicet res ſicut intelligitur, ita & nominatur, falſum eſt etiam quod inquit Capreol. in 1. diſ. 22. ar. 1. q. 1. Caiet. in p. p. q. 13. ar. 1. Ferrar. primo contr. gen. c. 31. & alij nominum impoſitionem penſandam eſſe ex cognitione rei, quam habet, qui nomen imponit; Henricus etiam fallitur circa hoc in ſumm. ar. 73. q. 9. dicens, rem debere eſſe notam eo modo, quo debet per nomen ſignificari, tàm imponenti nomen, quam audienti, nam ex prædicto principio, quod ſupra poſuimus ex Scoto ſequitur, præciſam nominis ſignificationem, præciſè audienti notam eſſe debere, & non neceſſariò requiritur vt ambobus, vel dicenti tantùm, nunquam enim occurret, vt nomen audientem lateat, & dicentem, ſi verò audiens non haberet

pro-

propriam talis nominis ſignificationem, non eſſet ſymbolum inter ipſum,& dicentem, & conſequenter non eſſet vera locutio, nec proprium nomen,occurrere tamen poteſt vt ſit vera, & propria locutio,& proprium nomen impoſitum,& propria ſignificatio,& notio reſpectu audientis,& non reſpectu dicentis, ſeu imponentis nomen, præciſa ergo impoſitio nominum, atque propria præciſè eſt penſanda ex cognitione audientis,non dicentis; probatur,& mirificè illuſtratur aſſumptum exemplo Scoti loc. ci. vt ſi quis imponeret alia nomina verbis Alphabeticis hæbreis,& hoc ordinatè,neſciens hæbreum alphabetum ipſe loquēs,& proferens talia nomina ordinatè alicui ſcienti alphabetum hæbreū, cum quo ſymbolum, & conuenientiam habeat, nimirum aduertens illum ſe loqui de alphabeto hæbreo,clarum eſt,quod tale nomen impoſitum v.g.primæ litteræ vt lapis,loquens, & imponens nomen neſciet ipſum ſignificare Aleph, quod tamen ſcit audiēs, & ſciens alphabetum hæbreum, & ſi ordinatè ſecundo diceret lignum, audiens ſciet ipſum ſignificare Beth ſecundam litteram hæbream,& ſic deinceps vſque in finem. Habemus ergo propoſitum,ſcilicet nominis ſignificationem,&notitiam rei penſandam eſſe præciſè ex parte audientis,& non dicentis, ex dictis colliguntur plures propoſitiones.

Prima propoſitio; Viatores, & Beati poſſunt Deum ſignificare proprio,& quidditatiuo conceptu,& eſſentialiter ſicuti eſt alijs Beatis; hæc propoſitio patet ex dictis, cum enim menſura ſignificationis nominum ſumenda ſit non ex eo, qui imponit nomen, vel vtitur eo, ſed ex audiente, Beati audientes à Viatore nomen Dei, & aliud nomen ſignificans quidditatiuè Deum in mente dicentis (licet ipſam quidditatem dicēs non agnoſcat) Beati quidditatiuè intelligunt Deum per illud nomen, ſufficit enim vt Beatus intelligat ſermones noſtros correſpondere viſioni beatificæ, quam ipſe de Deo habet,vt ſibi ſignificemus Deum quidditatiuè, & eſſentialiter; plura autem nomina ſunt in Sacra Scriptura, vt illud nomen hæbreum Tetagrammaton,qui eſt miſit me.

Secunda proproſitio; Nec Beati,nec Deus poſſunt ſignificare Viatoribus proprium, & quidditatiuum conceptum Dei aliquo nomine,licet nomen illud ſit proprijſsimum, & intelligenda eſt propoſitio pro ſtatu Viatorum permanente,nam ſic Deum, ſicuti eſt,videre non poſſunt ſecundum probabiliorem ſententiam Scoti,

ti,& multorum,quod Deus per modum tranſeuntis poteſt ſe oſtẽdere ſicuti eſt Viatoribus,ſicut loquitur de Diuo Paulo pro illo inquam ſtatu tranſeunte poteſt Deus,vel Beatus,vel etiam Viator, cui hæc viſio alterius tunc reuelata ſit, ſignificare tali Viatori,cui Deus ſe oſtendit ſicuti eſt aliquo nomine proprium conceptum quidditatiuum,vt v.g. ſi quis tunc diceret, hic eſt Deus, quem tu vides.

Secunda pars huius propoſitionis patet ex dictis, quia tunc videt Viator Deum ſicuti eſt,eadem eſt ergo ratio de ipſo, atque de Beatis pro tunc quoad propoſitum.pro prima autem parte adſunt plurimæ auctoritates PP. quæ ita intelligendæ ſunt.i. pro ſtatu permanente,vt Dionyſius cap.1.de diuin.nomin.inquit, Dei neque ſenſum,neque phantaſiam,neque opinionem,neque nomen, neque ſermonem eſse intelligendo, quibus proprius Dei conceptus ſignificatur viatoribus permanenter, & Iuſtinus in Apolog.2. pro Chriſtianis ait,Deo nomen imponi non poſſe,&Nazianzen. in orat.34.quę eſt ſecunda de theolog. referens opinionem Platonis idem docet, Ioannes autem Cypariſsinus decade quarta multa congerit Sanctorum teſtimonia,quæ hoc idem docent,præſertim cap.9. vbi oſtendit nomen Dei ſignificare naturam diuinam, quod eſt,non quid eſt de Viatoribus loquendo.

Tertia proproſitio;Neque Viatores, neque Beati,neque Deus poſſunt Deum comprehenſiuè denotare alijs Beatis aliquo nomine,licet ab ipſo Deo impoſitum ſit tale nomen.

Probatur propoſitio,cum enim nomen ſit ſymbolum, & ſignũ inter loquentem,& audientem, & eatenus ſignificare dicatur audienti,quatenus ipſe rem intelligit,ergo talis erit ſignificatio nominis,qualis erit notitia audientis,non dicentis, cum autem nullus Beatus cõprehenſiuè cognoſcat Deum, ſequitur etiam ſi Deus ſeipſum comprehendat,& ſibi nomen imponat,quod comprehẽſiuè ſignificet ſeipſum, loquendo tamen Beatis non poteſt illis tali nomine ſignificare ſe comprehenſiuè,quia ſic ab illis tali nomine non cognoſcitur,minus ergo ſi eodẽ tali nomine vtantur Beati,aut Viatores loquendo Beatis.

Quarta propoſitio;Deus,Beati,& Viatores poſſunt Deo imponere nomen,quo ipſum Deum quidditatiuè,& comprehenſiuè ſignificent ipſi Deo,quod totum patet, quoniam ex parte audiẽtis, ſeu percipientis nomen penſanda eſt precisè ſignificatio nominis

po

poteſt etiam, quodlibet nomen imponi, quod intentione imponētis rem aliquam quidditatiuè, & etiam comprehenſiuè ſignificet, vt patet in exemplo allato de imponēte nomina litteris hæbreis, ſi ergo viator poteſt imponere nomen Deo ſignificans ipſum quidditatiuè non cognoſcens, ita quidditatiuè Deum, ſic etiam poteſt imponere, quod comprætenſiuè ipſum Deum ſignificet, ipſi tamen ſoli Deo, qui audit, vel percipit nomen, nam Deus ſolus ſeipſum compræhenſiuè cognoſcit, igitur magis valet hoc de Beatis, quod poſſint tale nomen imponere, & multo magis de Deo.

Difficultatem facit Vaſq. diſp. 57. c. 3. in fine, quod Deo nemo poteſt loqui, vt ipſi aliquid aliquo nomine ſignificet, quod facilè ſoluitur diſtinctione Scoti vbi ſupra §. ad quæſtio, aliud eſt enim imponere nomen, & aliud voce vti illo; Deo nemo poteſt loqui. Secundo modo, quia antequam nomen voce promatur Deus cognoſcit in mente cuiſlibet primo modo poteſt aliquo modo loqui, quoniam aliqualiter vocari poteſt locutio ipſa nominis impoſitio, etiam antequam voce exprimatur, & de hoc intelligitur quarta propoſitio, vbi notanter dixi, Viatores poſſunt imponere.

Contra iſtam doctrinam arguunt aliqui non poſſe Deo nomen imponi, quod ipſum quidditatiuè ſignificet, ſicuti non poteſt per ſpeciem impreſſam videri quidditatiuè ipſum oſtendentem; Ad hoc reſpondetur, falſum eſse Deum non poſse repreſentari quidditatiuè per ſpeciem impreſsam; cæterum eſto ſit verum non poſſe nec per impreſſam, nec per expreſſam ſpeciem repreſentari, adhuc nomine ſignificari quidditatiuè poteſt, de quo eſt alia ratio, ac de ſpeciebus, ſpecies namque impreſſa concurrit ad cauſandum cognitionem Dei, & expreſſa eſt ipſa cognitio Dei, quæ duæ videtur habere quemdam ordinem intrinſecum à Deo, nomen verò ad ipſum ſignificandum nullum ordinem intrinſecum habet, niſi ad ſolum audientem, cum quo coniunctum habet, & ſymbolum ipſe dicens, & loquens, preſertim cum vt probauimus, poſſit quodlibet nomèn imponi Deo, dummodo turpe non ſit, & ita Beatis ſignificare ſe Deum quidditatiuè illo nomine intelligere, ad hoc vt Beati audientes illud nomen, & videntes Deum ſicuti eſt, intelligant ipſum eſsentialiter; & quidditatiuè per illud nomen.

Secun-

Secundò arguitur Ineffabilis non poteſt fari, Deus eſt ineffabilis ſecundum Aug. de verbis Domini c. 34. vbi ait, ſi enim raptum ſe dicit Paulus vſque ad tertium cœlum, & audiuiſſe ineffabilia verba, quanto magis ipſe ineffabilis eſt, quæ talia demonſtrat, ergo. Ad hanc rationem, & auctoritatem, & ad ſimiles reſpondetur, verè Deum fieri non poſſe nec nominari nomine alicui creaturæ ſiuè Beatæ, ſiuè Viatrici, quod totum, & totaliter, ideſt compræhēſiuè ipſum ſignificet tali creaturæ, poteſt tamen fari ipſum nomine quidditatiuè ſignificante totum, & non totaliter Beatis, ideſt non compræhenſiuè, & ipſi Deo poteſt etiam compræhenſiuè.

DISPVTATIO
SECVNDA.
DE ATTRIBVTIS DIVINIS IN COMMVNI.
QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Attributa à ſe inuicem, & ab eſſentia diuina diſtinguantur formaliter ex natura rei, item Relationes originis ab eſſentia, & ab Attributis.

Celebris eſt iſta quæſtio propter mordicum certamen duarum Claſſium Scholaſticæ Theologiæ, quo in ſe inuicem argumentorum tela impetunt, quibus altera Claſſis alteram ad maximum inconueniens, & penè hæreticum repellit, & è contra iſta illam, Thomiſtæ enim eò tendunt, vt oſtendant, opinionem Scoti compoſitionem in Deo ponere, quod eſt hæreticum; Scotiſtæ verò vt demonſtrent Diuum Thomam omnia imaginaria per ſolum noſtrum modum intelligendi in diuinis facere, quod eſt pluſquam hæreticum, illa ergo erit probabilior, & verior opinio, quæ euidentius ſoluit argumenta oppoſita, & inconueniens, ad quod inducitur aufugit.

Primò

Primò ergo notandum, quod notanter additur in titulo quæſtionis formaliter ex natura rei propter Caietanum,qui hanc eſſe diſtinctionem formalem concedit,non tamen ex natura rei, ſed à parte intellectus, vt infra patebit in ſua opinione, propterea proponit Scotus præſentem quæſtionem ſub his verbis. Vtrum diſtinctio perfectionum eſſentialium præcedat omnem actum intellectus.

Secundò notandum eſt, ita poſſet deſcribi attributum,quod ſit perfectio ſimpliciter, & formaliter diuinæ eſſentiæ ſecundaria, non primaria, ſiuè quidditatiua, reperta formaliter in Creaturis per participationem vniuocam, vel analogam,atque Deo attributa via remotionis,& eminentiæ. Primò dicitur perfectio ſimpliciter,quod remouentur à natura atributi omnes relationes tum reales,tum rationis,quę ſunt in diuinis,ſiquidem nulla relatio poteſt eſſe perfectio ſimpliciter, ex quo patet relationes originis vt Paternitas,Filiatio, & Spiratio,potentia generandi,& ſpirandi formaliter ſumpta, & relationes communes diuinæ,vt identitas ſimilitudo,& æqualitas, relationes etiam rationis ad extra nullo pacto eſſe attributa Dei. Secundò dicitur perfectiones formaliter diuinæ eſſentiæ,quia illę perfectiones,quæ eminenter,& virtualiter in Deo ſunt, vti ſunt perfectiones propriæ creaturarum imperfectionem includẽtes, a qua ſecerni non poſſunt vt attribuantur Deo vt v.g.humanitas,quia eſt perfectio, cum imperfectione, mixta,nempe cum finitate,à qua ſecludi non poteſt taliter vt dicatur humanitas infinita, ſicut à ſapiẽtia Petri ſecludi finitas poteſt, & eidem ſapientiæ tribui infinitas, vt dicatur ſapientia infinita Deo poſtea atributa; propterea hæ perfectiones ſimpliciter ſunt formaliter in Deo, cæteræ verò perfectiones creaturarum non ſimpliciter in Deo ſunt, ſed eminenter, aut virtualiter,ac per cõſequens non poſſunt eſſe attributa Dei, vti ſunt humanitas Petri, & cętera entia creata,quibus infinitas competere nõ poteſt. Tertiò dicitur perfectio ſecundaria, non primaria ſiuè quidditatiua, ideſt eorum quæ dicunt quid non quale reſpectu Dei, quod ſunt ſubſtantia ſpiritus,vita intellectualitas, & cętera huiuſmodi, de quibus Auguſtinus 15.de tri.c.5.& 8.ſi dixeris bonum,ſapientem, humilem ſpiritum horum nouiſſimum, quod potius ſubſtantiam videretur ſignificare, cætera verò ſubſtantiæ qualitates,illa ergo quæ ſe habent, vt qualitates, & per modum qualis prædiactur de

Deo vt bonitas, ſapientia ſunt attributa quæ Deo conueniunt in ſecundo modo. Quartò dicitur perfectio reperta formaliter in creaturis per quam particulam excluduntur à ratione attributi, æternitas, infinitas, & immenſitas, quæ non inueniuntur in creaturis formaliter. Quintò dicitur vt hęc perfectio ſit attributa Deo via remotionis, & Eminentiæ, nam ſapientia Franciſci eſt accidens finitum, remouendo ergo ab illa accidentalitatem, & finitatem, & imponendo illi nomen eminens, & perfectiſſimum, vt ſubſtantia, & infinitum, tunc ſapientia, quæ eſt infinita, & eſt ſubſtantia Deo attribuitur, & ſic de cæteris. His notatis.

Tres ſententiæ ſunt circa diſtinctionem harum perfectionum, quæ attributa vocantur. Prima negat omnem diſtinctionem tum rationis, tum à parte rei. Secunda admittit ſolam diſtinctionem rationis. Tertia addit diſtinctionem à parte, & natura rei.

Prima opinio eſt Aureoli, qui in 1. diſ. 8. q. 3. art. 2. ait, Dei attributa nulla diſtinctione diſtingui neque rei, neque rationis; Gregorius tamen in 1. diſ. 8. q. 2. limitat illam, vt licet attributa diſtinguantur ratione, ſed illa diſtinctio non eſt in re ſignificata, ſed in nominibus, & conceptibus eius; Occam verò, & Gabriel in 1. diſ. 2. q. 2. alio modo explicant, vt attributum pro re ipſa acceptum nulla prorſus diſtinctione diſtinguatur nec re, nec rationis, ſed pro nomine ſumptum, quod de Deo verificatur, diſtinguitur realiter: Inquiunt enim ꝙ attributum, ſeu perfectio attributalis, vt iuſtus iuſtitia, ſapiens ſapientia dupliciter ſumitur pro re, & pro nomine.

Fundamentum huius ſententiæ eſt tollens omnem diſtinctionem rationis, quia tantum eſt ens reale in ipſa rerum natura, ergo tantum diſtinctio realis, ſed attributa pro re ipſa ſumpta non diſtinguuntur realiter, igitur nulla diſtinctione diſtinguuntur, & cõfirmant, attributa Dei ſunt vnum natura ſua ex parte rei, ſimiliter, & relationes diuinæ, non ergo poſſunt per intellectum fieri plura, alioquin non ipſa attributa, ſed entia rationis in Deo multiplicarentur.

Hæc ſententia facili negotio reijcitur, primò contra eam omnibus tribus modis acceptam ſic arguitur; Bonitas iuſtitia ſapientia, vel res ſignificata horum nominum vel eſt omnibus modis idem ſicut bonitas, & bonitas, vel non eſt idem, ſed diuerſum, ſi eſt diuerſum, iam ergo attributa pro re ipſa ſumpta diſtinguuntur

tur

tur aliqua diſtinctione,ſi non eſt diuerſum, ſed idem ſignificatum omnium attributorum,ſicut v.g.homo, & homo, tunc ſequeretur nomina attributorũ Dei eſſe ſynonima, ſiquidẽ habẽt ſignificatũ omnibus modis idem,vt Marcus,Tullius,Cicero,& ſic idem eſſet dicere,Deus eſt ſapiẽs,bonus,iuſtus,ac Deus eſt Deus Deus Deus, vel ter bonus,vel ter iuſtus, quod eſt falſum.

Secundò arguitur cõtra primum modum explicandi Gregorij, &ſm̃ modum Occami,qui admittunt in nominibus diſtinctionem fieri,vel ſm̃ rationem vt Gregorius,vel realiter vt Occam,& Gabriel,& argumentum ſumitur a cõmuni modo loquendi Doctorũ de attributis diuinis,qui nunquam diſtinxerunt illa pro re, & pro vocabulo,ſiuè nomine, neque hi auctores innituntur alicui rationi, vel auctoritati ad probandam hanc diſtinctionem attributi ſumpti pro re ſignificata,& pro nomine.

Secunda ſententia eſt Thomiſtarum omnium. Sola tantum ratione omnia illa diſtingui,verum, quia à ratione magnopere torquentur auctores præfatæ ſententiæ diuerſos modos explicandi hanc diſtinctionem rationis commenti ſunt,omnes enim Thomiſtæ diſtinguunt diſtinctionem rationis in rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ, vno Gabriel Vaſquez excepto qui in 1. diſp.117. c.vlt. ſolam diſtinctionem rationis ratiocinatæ admittit,vt infra videbimus; item omnes aſſerentes hanc duplicem diſtinctionem rationis admittunt omnia talia in diuinis diſtingui ratione ratiocinata, Torres tantum in 1.p.qu.28.art.2. diſp. 3.2. par. diſputationis, admittit inter aliqua nempe inter relationes originis, & perſonas vt inter paternitatem, & patrem eſſe tantũ diſtinctionem rationis ratiocinantis minorem diſtinctione ipſarum ab eſſentia, & ab attributis, & attributorum ab eſſentia, & inter ſe ſe,vel quia ipſe ſolus hoc dubium tetigit, cæteris Thomiſtis non conſiderantibus illud, vel ſi conſiderarunt non admiſerunt minorem eſſe diſtinctionem rationis inter paternitatem, & patrem,quam inter paternitatem,& eſſentiam, prius ergo nobis videndum eſt, quid propriè ſit diſtinctio rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ,vt intelligamus eorum ſententias, & ordinatè illas explicemus.

Diſtinctio ergo rationis ſecundũ Thomiſtas eſt duplex, quædã habet fundamentum in re, quædam non habet fundamentum in re, ſed in ſola virtute intellectus, qui habet facultatem conſide-

randi eamdem omninò rem diuerſis modis, & per diuerſas notitias ſecundum dictum Philoſophi, abſtrahentium non fit mendacium. Prima diſtinctio habens ſundamentum in re eſt, quæ pullulat per diuerſas notitias in ipſa re, quæ ita ſe habet in eſſendo, ſicut illæ notitiæ in ſignificando, vt diſtinctio rationis inter diuinam eſſentiam, quæ eſt iuſtitia, & eamdem quæ eſt ſapientia habet fundamentum in ipſa diuina eſſentia, quia diuina eſſentia eſt talis in eſſendo ſicut ſunt notitiæ iuſtitiæ, & ſapientiæ in ſignificando, etenim eſſentia diuina reipſa eſt iuſtitia, & ſapientia eo modo, quo illæ notitię ſignificant, illa verò diſtinctio rationis habet fundamentum in ſola virtute intellectus, quæ pullulat per diuerſas notitias in re, quæ non ita ſe habet in eſſendo, ſicut notitia in ſignificando, vt diſtinctio rationis, quæ eſt inter concretum, & abſtractum, verbi gratia, inter naturam humanam quatenus eſt concretum, & ſignificatur per iſtam notitiam homo, & eamdem quatenus eſt abſtractum, & ſignificatur per iſtam notitiam, humanitas, eſt diſtinctio talis, quia natura humana non ita ſe habet in eſſendo, ſicut illa notitia, humanitas, in ſignificando; nam illa notitia ſignificat humanitatem, vt abſtractam à ſuis indiuiduis, at humanitas non ita ſe habet, non enim eſt in re abſtracta ab illis, nec proinde ſequitur in intellectu falſitas aliqua, quandoquidem abſtrahentium non eſt mendacium, ex ſecundo phyſic. text. 18. ex quibus colligitur diſtinctionem rationis, quæ fundatur in re, maiorem eſſe ea diſtinctione, quæ in ſola virtute intellectus fundamentum habet, illaque vocetur diſtinctio rationis ratiocinatæ, iſta rationis ratiocinantis, quia virtute ſola intellectus fit. Ex hac doctrina colligitur ſententia Thomiſtarum, quæ diuerſimodè à diuerſis explicatur.

Primus modus ponendi diſtinctionem rationis inter præfata, eſt Torres vbi ſupra, vbi inquit, inter attributa, eſſentiam, & relationes originis, eſſe diſtinctionem rationis ratiocinatæ, quæ habet fundamentum in re, inter relationes verò originis, & ſuas perſonas eſſe tantum diſtinctionem rationis ratiocinantis, quæ fundatur ſolum in virtute intellectus conſiderantis ea per diuerſas notitias. Perſona ſiquidem patris non eſt aliud re ipſa, quàm paternitas per ſe exiſtens, & ſolum differunt inter ſe; quia intellectus conſiderat ea per diuerſas notitias,

quarum

quarum vna ſignificat paternitatem in concreto, & vt ſuppoſitum, hæc ſcilicet notitia pater, & alia ſignificat eadem paternitatem in abſtracto, & vt forma ſuppoſiti, vt hæc notitia paternitas; attributa verò inter ſe, & ab eſſentia, & à relationibus inquit, diſtingui diſtinctione rationis ratiocinatę, ad modum, quo ſupra explicatum eſt.

Sed iſte modus dicendi de diſtinctione, quæ habet fundamentum in re, vel neceſſariò reducitur ad diſtinctionem ex natura rei ante actum intellectus, vel nulla talis inuenitur, ſed ipſa eſt eadem ac diſtinctio, quæ habet fundamentum in ſola virtute intellectus, quod ſic oſtendo, in exemplo adducto; ſi enim diuina eſſentia quatenus eſt iuſtitia diſtinguitur a ſe ipſa quatenus eſt ſapientia, & hęc diſtinctio habet fundamentum in ipſa diuina eſſentia; quia ipſa eſſentia diuina eſt talis in eſſendo, vt inquit auctor iſte; vel intelligitur, eſt talis in eſſendo, ſcilicet ſic diſtincta iuſtitia à ſeipſa vt ſapientia, quia in eſſendo eſt fundamentum illius diſtinctionis, & ſic iam eſt diſtincta iuſtitia à ſeipſa vt ſapientia ex natura rei ante opus intellectus, ſicut in eſſendo ante opus intellectus verè eſt iuſtitia, & ſapientia, vt patet, inquiro enim quando diuina eſſentia eſt re ipſa ſapiētia, & iuſtitia, in quantum ipſa eſt ſapientia eſt nè iuſtitia, an non? ſi primum dicas, igitur hæc diſtinctio non habet fundamentum in re, quia in eſſendo non eſt talis ſicut in ſignificando, & enim in ſignificando diuina eſſentia, vt eſt ſapientia non eſt iuſtitia, igitur in eſſendo diuina eſſentia vt ſapientia non debet eſſe iuſtitia, vt ſit ita in eſſendo ſicut in ſignificando, & habeat iſta diſtinctio fundamētum in re: Rurſus ſequitur hæc duo nomina, ſapientia, & iuſtitia, & cætera attributa fore ſynonima, quia idem ſignificant & ſub eadem ratione, ſi diuina eſſentia vt ſapiētia eſt iuſtitia bonitas miſericordia &c.; tum quia omnia iſta hoc modo ſignificant diuinam eſſentiam, & quodlibet iſtorum, vt ſic ſignificat reliquum, & omnia vt ſic, & ſub eadem ratione ſignificat iuſtitiam, omnia ſapientiam, omnia bonitatem, dicendum eſt ergo ſecundum, ſcilicet Diuinam eſſentiam ſicut re ipſa eſt iuſtitia, & ſapientia, ita re ipſa, vt eſt iuſtitia, non eſſe ſapientiam, ex quo neceſſariò ſequitur, quod diuina eſſentia, vt eſt ſapientia ante omnem notitiam intellectus eſt diſtincta à ſeipſa vt eſt iuſtitia, & conſequenter ſapientia, & iuſtitia ſunt ex natura rei ante intellectum diſtincta; quia iſta non eſt illa; & denique dices, quod

diuina eſſentia vt ſapientia eſt diſtincta a ſeipſa, vt eſt iuſtitia, & hæc diſtinctio habet fundamentum in ipſa diuina eſſentia, quia iſta eſt talis in eſſendo, ſicut ſunt illæ duæ notitiæ iuſtitia, & ſapientia, in ſignificando, ſed non eſt talis prius in eſſendo, quam in ſignificando, ſed prius in ſignificando, quam in eſsendo, quia, ly, ſicut, videtur dicere aliquo modo cauſam, vel exemplar, ad quod conſequitur aliud, vel ſaltem eſt ſimul talis in eſſendo, eſt in ſignificando, ſcilicet quando illæ duæ notitiæ ſapientiæ, & iuſtitiæ, ſignificant diuinam eſſentiam eſse ſapientiam, & iuſtitiam, tunc diuina eſſentia eſt ſapientia, & iuſtitia, ſed ex hoc ſequitur hanc diſtinctionem non habituram fundamentum in re, ſed in notitijs intellectus, quod eſt contra auctoris præſuppoſitum. Secundò ſequitur diuinam eſsentiam non fore realiter, & in ſe iuſtitiam, & ſapientiam, ſed ab intellectu, & in tantum eſse talem, in quantum vt talis dignoſcitur, & conſideratur ab intellectu, quod eſt falſum, ne dicam hæreticum.

Ad hoc vltimum reſpondet Torres, quod diuina eſſentia eſt talis in eſſendo antequam ſit talis in ſignificando, ſcilicet eſt iuſtitia, & ſapientia, ſed non eſt talis in eſſendo, ideſt diſtincta antequam ſit diſtincta in ſignificando, ſicut enim hæ duæ notitiæ iuſtitiæ, & ſapientiæ ſignificant vnam non eſse alteram, & hoc cum fundamento in re, ideſt in diuina eſſentia, quæ in re eſt iuſtitia, & ſapientia, ita diuina eſsentia vt ſapientia eſt diſtincta à ſeipſa vt iuſtitia in eſsendo, talis tamen diſtinctio prouenit ab intellectu, quapropter dicitur diſtinctio rationis cum fundamento in re. Sed contra hoc eſt, quoniam in idem redit id quod conceditur diuinam eſſentiam eſſe talem, ſcilicet iuſtitiam, & ſapientiam in eſsēdo antequā ſit talis in ſignificando, inquirendo de illo tunc quando in eſsendo, antequam in ſignificando, & ante quamcumque notitiam ſignificantem, diuina eſſentia eſt iuſtitia, & ſapientia ſi ipſa vt iuſtitia ſit ſapientia vel non? non poteſt dici primum, vt ſupra probatum eſt, ergo ſecundum, ergo ante opus intellectus eſt illa diſtinctio, & ex natura rei.

Secundus modus explicandi hanc diſtinctionem, quam vocant rationis ratiocinatæ eſt Caiet. p.p.q.39.art.1. & de ente, & eſſentia c. 6. qu. 12. quem ſequitur Bagnes in p.p.qu.28.art.2. & multi Thomiſtæ; Caietanus dicit duo. Primum eſt, quod inter attributa ſe inuicem, & eſsentiam diuinam, & relationes ſit diſtinctio rationis

tionis ratiocinatæ cum fundamento in re. Secundum eſt, quod inter illa eſt etiã diſtinctio formalis, non tamen à parte rei, ſed à parte intellectus. Primum dictum ſic probat, eſſentia diuina eſt fundamentum realiter continens omnes perfectiones, & attributa, & relationes diuinas eminenter, & fundamentaliter, intellectus autem cognoſcens illa concipit vt diſtincta; ſed concipit non ſolum inqnantum ipſe ſolus operatur ad formandum illos conceptus attributorum, ſed inquantum illi continentur fundamentaliter in natura diuina, iam ergo iſta diſtinctio habet fundamentum in re, ideſt in ipſa eſſentia diuina, & ideò vocatur rationis ratiocinatæ, & vocatur rationis non rei, ſiuè à parte rei, quia ſic illi conceptus ſunt omninò idem à parte rei; & talis diſtinctio non eſt ante operationem intellectus actualiter licet benè fundamentaliter, vel potentialiter. Secundum ſic explicat, nam illi conceptus, ſiuè rationes formatæ ab intellectu, vel rationes formales ſunt diuerſæ, & non à parte rei, cum omnia ſint vnum re, ſed à parte intellectus, hæc ergo diſtinctio formalis eſt, & eſt à parte intellectus, quia eſt ab illo formata, illi namque conceptus, & rationes ab intellectu formatæ ſunt, ac per conſequens vocatur diſtinctio formalis rationis, non diſtinctio formalis ex natura rei, vt inquiunt Scotiſtæ.

Contra iſtum modum, & primò contra primum dictum, ſic arguo, quando eſſentia diuina ante operationem intellectus continet fundamentaliter, & eminenter attributa, vel continet, vt plura, vel vt vnum, non eſt dicendum ſecundum, quia innumera ſunt attributa diuina, ergo primum, ac per conſequens iam ſunt diſtincta ante opus intellectus, ſiquidem plura non ſunt vnum, igitur nõ ſunt idem, ergo diuerſa, & diſtincta. Reſpondet Torres loc. citato, quod plura attributa ſunt in Deo ex natura rei, ſed non diſtincta ex natura rei, ſed à parte intellectus, ſecus compoſitus eſſet Deus, ſed relicto hoc verbo de compoſitione, nam infra oſtendemus, quo modo hæc diſtinctio non faciat compoſitionẽ in Deo. Inquiro eſſentia diuina continens ex natura rei plura attributa, vel continet vt plura, vel vt vnum, ſi vt vnum iam non continet plura, quod eſt contra præſuppoſitum aduerſarij, tum quia ſecundum Philoſophum ens diſtinguitur in vnum, & plura, & conſequenter vnum non eſt plura, nec è conuerſo, tum quia continens ſub ea ratione, qua ſunt contenta continet illa, ſed attributa iam

ſunt plura, ergo vt plura continet, ſi enim non continerentur vt plura, non eſſent plura, ſed vnum, primum ergo eſt dicendum, quod eſſentia diuina plura continet attributa à parte rei, vt plura, ex quo neceſſariò ſequitur, quod à parte rei contineat vt diſtincta, & ſic habemus intentum.

Neſcio quid poſſint aduerſarij ad hoc reſpondere, niſi, quod hæc diſtinctio ex natura rei non ſit actualis, ſed fundamentalis, nam fundamentaliter attributa à parte rei continentur in eſſentia diuina, & eodem modo, quo continentur diſtinguuntur à parte rei, ideſt fundamentaliter intellectus verò facit poſtea diſtinctionem eorum actualem, vnde actualiter à parte intellectus, non à parte rei diſtinguuntur; natura namque animæ rationalis virtualiter tantum continet animam ſenſitiuam, & vegetatiuam, quarum opera exercet, & tamen anima ſenſitiua, & vegetatiua, nõ diſtinguuntur inter ſe, nec à rationali ex natura rei, hoc idem patet de ſiccitate, & caliditate, quæ licet in ſeipſis, & in ſuis naturis realiter diſtinguantur, & continentur tñ virtualiter in ſolis luce ſunt vnum à parte rei, & ſunt ipſamet natura lucis; ſed præterquãquod falſum eſt, eſſentiam diuinam fundamentaliter tantum continere attributa, vel potentialiter, ſiuè alio modo, & non actualiter, & formaliter, nam ſecus Deus non eſſet actualiter, & formaliter bonus, & ſapiens, ſiuè bonitas, & ſapientia; Rurſus, Deus non aliter diceretur lapis, aut Leo, ac dicitur ſapiens, & bonus, ſi virtualiter Deus contineret ſapientiam, & bonitatem, ſicut virtualiter continet lapidem, & leonem; & præterquamquod illa exempla non ſunt ad propoſitum, nam cum Deus ſit actualiter, & formaliter ſapientia, & iuſtitia, & cætera attributa, anima verò rationalis non eſt formaliter anima vegetatiua, & ſenſitiua, nec lux ſolis, ſiuè ſol eſt formaliter calidus, & ſiccus, ſed tantum virtualiter; quia poteſt illa cauſare, vel eorum effectus producere.

Secundum dictum Caietani nempè, quod eſt diſtinctio formalis, non quidem à parte rei, ſed à parte rationis, non eſt minus falſum, quàm primum, illæ namque rationes formatæ ab intellectu, vel erant ante operationem intellectus in eſſentia diuina, vel non erant, ſed ſunt ab intellectu factæ: ſi ſecundum dicas, ex hoc ſequitur cum illæ rationes ſint attributa futurum eſſe, vt omnes perfectiones diuinæ ſint fictitiæ, quod eſt pluſquam hæreticum, ſi primum dicatur, quod negari non poteſt (intelligibile enim quod

non

non eſt fictitium actum intellectus præcedere debet) inquiro, vel illæ rationes erant vna ratio ante actum intellectus, vel plures nō poteſt dici primum, quia cum ratio ſignificet eſſentiam, quam explicat definitio, vnum ſolum eſſet in Deo attributum. Secundum igitur dicendum eſt nimirum eſſe plures rationes formales, ſiuè conceptibiles, quarum vna non includit alteram in primo modo, vt dicendo iuſtitia non eſt ſapientia, & ſic diſtinguuntur formaliter ex natura rei.

Ad hoc reſpondent Thomiſtæ diſtingui formaliter ex natura rei non actualiter, ſed fundamentaliter, & eminenter, intellectus verò facit actualem diſtinctionem, quæ vocatur diſtinctio actualis formalis rationis.

Sed contra hoc arguitur, nam ſequeretur, Petrum, & lapidem non eſſe diſtinctus actualiter, ſed ſolum fundamentaliter, quia ſic eminenter continentur in Deo, & vt ſic fundare poſſunt diſtinctionem fiendam ab intellectu, & ſi dicas, quod illi diſtinguuntur realiter actualiter, quia nullo intellectu conſiderante, actualiter vnus non eſt alter, idem ſimiliter dicendum eſt de attributis diuinis, iuſtitia, & ſapientia, quod nullo intellectu conſiderante vnum non eſt aliud, ſecus iuſtitia in Deo eſſet ſapientia, & tantum ab intellectu dependet, quod vnum attributum non ſit aliud. Rurſus certum eſt, quod actualiter ſunt diſtincta aliquo modo illa, de quibus eodem modo actualiter verificantur duo contradictoria, ſed ex natura rei, & nòn à parte intellectus contradictoria verificantur de attributis diuinis; Deus enim ſapientia ſapit, iuſtitia verò minimè ſapit, & ſic de cæteris, eodem ergo modo, ideſt ex natura rei ſunt inter ſe actualiter diſtincta, & non ab intellectu.

Tertius modus dicendi, eſt aliorum negantium attributa diſtingui fundamentaliter, & virtualiter, itaut diſtinctio habeat fundamentum in ipſa eſſentia diuina, & volunt, quod ipſa eſſentia diuina cum offertur in ſe alicui intellectui non offeratur, quatenus virtualiter, ſiuè eminenter, vel fundamentaliter continens pluralitatem perfectionum, vt dicebat Caietanus loc. cita. & Henric. in quodlib. q. 1. Sed vt omninò ſimplex actu, & virtute intellectus verò facit talem diſtinctionem rationis ſine fundamento inuento in ipſa eſſentia diuina, vltra hoc dicunt, quod intellectus non poſſit facere iſtam pluralitatem, & diſtinctionem attributorum niſi per comparationem ad res creatas diſtinctas, & in hoc eſt duplex differen-

feren-

Digitized by Google

ferentia inter auctores huiuſmodi dicendi, prima eſt q̃ Capreo. in 1.diſ.8.q.4.concl.4. & Duran.in 1.diſ.2.qu. 3. vocant eam diſtinctionem rationis ratiocinantis, quia nullum fundamentum habet in re, Gabriel verò Vaſq. in p.p.diſp.118.ca.3. vocat eam diſtinctionem rationis ratiocinatæ, quia licet non habeat fundamentum in re.i. in ipſa eſſentia diuina habet tamen fundamentum in creaturis reſpectu ad quas fit talis diſtinctio perfectionum in diuinis, ex quo vlterius negat omnem diſtinctionem rationis ratiocinantis, nam quando intellectus verè diſtinguit, vel inuenit fundamentum vt diſtinguat in ipſa re, quam diſtinguit, vel in rebus realiter diſtinctis, ad quas ipſa refertur, vnde quamcumque aliam diſtinctionem rationis ſequitur fore fictitiam, & ad illud quod alij dicunt in hac propoſitione, ſcilicet Franciſcus eſt Franciſcus eſſe diſtinctionem rationis ratiocinantis, inquit ipſe non eſſe diſtinctionem, ſed tantum repetitionem eiuſdem nominis, ſiuè conceptus. Secunda differentia horum auctorum eſt, quod priores dicunt, omnem intellectum tàm creatum, quam increatum facere talem diſtinctionem, & Vaſquez negat fieri ab intellectu diuino, & beato. Probant communiter hi auctores ſuam principalem concluſionem, quando diſtinctio rationis in vna re, reſpondet diſtinctioni reali in alia aliqua re, ad quam illa reſpectum habet, talis diſtinctio rationis ſumitur per comparationem ad illa diſtincta realiter, & in illis fundamentum obtinet, ſicut dextrum, & ſiniſtrum in columna diſtinguuntur, ſed talis diſtinctio ſumitur per comparationem ad dextrum, & ſiniſtrum in animali, in quo realiter diſtinguuntur, ſed attributis diuinis ratione diſtinctis correſpondēt aliqua attributa illis ſimilia in creaturis, in quibus ſunt diſtincta realiter, diſtinctio ergo rationis attributorum diuinorum, fit per comparationem ad creaturas.

Sed iſte modus dicendi de diſtinctione rationis attributorum diuinorum in reſpectu ad creaturas facilè reijcitur, ſolum probādo eſſentiam diuinam continere pluralitatem perfectionum eſſentialium, & relationum originis, nullo intellectu conſiderante, ſiuè formaliter, ſiuè fundamentaliter, ex quo ſequitur fundamentum talis diſtinctionis rationis, inuentum iri in ipſamet eſſentia diuina, non in creaturis, ex quibus ipſa cognoſcitur: inauditum eſt enim antiquis Theologis, & etiam modernis, in diuinis non eſſe tres relationes originis, realiter inter ſe diſtinctas, & contentas

tas

tas in eſſentia diuina. Item ipſarum diuinarum perfectionum pluralitatem nullus vnquam, præter hos auctores negauit, niſi velint dicere, quod benè in eſſentia diuina, attributa diuina continentur, ſed non offertur vt continens plura, ſed vt ſimpliciſſima intellectibus, ſed hoc eſt manifeſtè falſum; Primò de intellectibus diuino, & beato, ſicuti enim eſt eſſentia diuina, ita illis offertur, ſecùs falſa eſſet ipſa viſio beatifica. Secũdò de intellectu viatore eſt etiam falſum, tum de rudi, quia de fide tenet eſſe tres relationes originis in diuina eſſentia, & etiam credit, Deum eſſe verè ſapientem, & iuſtum, tum de docto Theologo, qui hoc rationibus demonſtrat, ex quo ſequitur ſi danda eſt talis diſtinctio rationis diuinorum attributorum in omnibus intellectibus ipſam habere fundamẽtum in eſſentia diuina, & conſequenter eſse diſtinctionem rationis ratiocinatæ, contra priores auctores huiuſmodi dicendi, quam diſtinctionem ſupra probauimus, eſse diſtinctionem ex natura rei, & ſic habemus intentum contra illos, & eſſe diſtinctionem, non in reſpectu ad creaturas contra Vaſquez.

Præter tot diuerſa fundamenta, quibus probabant aduerſarij ſuam ſententiam, attributa in diuinis ſola ratione diſtingui, & nullam eſſe diſtinctionem ante operationem intellectus adducuntur communiter ab omnibus plures auctoritates, & rationes.

Prima auuctoritas eſt Aug. 7. de Trin. c. 5. vbi ait, non eò Pater quo Deus, nec eò Verbum quo ſapientia, eò tamen magnus, quo ſapiens, vndè ſic arguunt identitatem, quo negat Auguſtinus inter Paternitatem, & Deitatem, & inter Verbum, & Sapientiam, affirmat inter magnitudinem, & ſapientiam, ſed ibi ſolum negat identitatem formalem, quia realem negare non poteſt, igitur inter magnitudinem, & ſapientiam, & conſequenter inter cætera attributa concedit identitatem formalem. Secunda auctoritas eſt eiuſdem Aug. 15. de Trin. c. 5. non eſt aliud ſapientia eius, aliud eſſentia, cui hoc eſt eſse quod ſapientem eſse, & lib. 7. c. 8. non eſt aliud Deo eſse, & aliud magnum eſse, ſed hoc idem ille eſt eſſe, quod magnum eſse. Tertia auctoritas eſt Greg. 10. moral. ca. 20. Deus hoc eſt, quod habet æternitatem, ſed ipſe eſt æternitas, lucem habet, ſed lux ſua ipſe eſt, igitur in eo non eſt aliud eſse, & aliud habere.

Prima ratio ſumitur ex axiomate Theologico. In diuinis omnia

nia ſunt vnum vbi non obſtat relationis oppoſitio,ſed inter attributa,& eſsentiam diuinam non eſt relationis oppoſitio,ergo ſunt vnum,& non diſtincta.

Secunda ratio. Si in Deo ſunt plura attributa diſtincta ex natura rei,ante actum intellectus, ergo eſt compoſitio in eſſentia diuina,conſequens eſt falſum, & hæreticum, ergo & antecedens. Quod ſi dicas,illa plura non habere rationem partium, nec rationem actus,& potentiæ;& ſic non facere compoſitionem. Contra hoc eſt,nam hæc diſtinctio à parte rei ſic ſe habet, quod vnum ſit in alio,vt ſapientia in eſsentia, igitur habet rationem actus,& potentiæ,vel ſi nõ,ſaltem faciunt quoddam aggregatum, & per accidens compoſitum.

Tertia; omnis diſtinctio eſt relatio,ſed inter attributa Dei eſt diſtinctio à parte rei,& inter illa,& eſsentiam, igitur inter ea eſt relatio realis,nullum enim ſibi ipſi refertur, ac per conſequẽs ſunt diſtincta realiter,conſequens eſt falſum, ergo,&c.

Quarta;eſsentia diuina quando conſideratur,vt diſtincta à parte rei à ſapientia,aut eſt ſapiens,aut inſipiens, non eſt dicendum ſecundum,ſed primum,ac per conſequens non ſunt diſtincta.

Quintò arguit Vaſquez, hanc opinionem incidere in ſententiã Gylberti Porrectani damnatam in Concil. Florentino ſub Eugenio 3. Scotus enim inquit, quod relatio originis, & eſsentia non poſsunt eſse idem ex natura rei, quia relatio communicaretur ſicut eſsentia,at verò Gylbertus, ſecundum ipſum Vaſquez referentem Ottonem Triſigenſem nolebat concedere quod Deus ſit Deitas,capiendo ly Deum pro perſona, ne cogeretur concedere Deitatem generare,& generari ſicut diuina perſona.

Prima definitio eſt Conc.Florentini ſeſs. 2. vbi dicitur, ne ipſam eamdem ſubſtantiam re,non autem ſola ratione ab hypoſtaſibus,& perſonis differre credere videamur. Secunda eſt in eod. Floren.ſeſs.18. vbi Ioann. ex Eccleſia Latin. ſic ait, Diuina ſubſtantia,& perſona,re quidem idem ſunt,ſecundum autem modum noſtræ intellectionis differre videntur, quæ omnia videntur deſumpta ex Damaſc. de fid.lib.1. c.1. vbi ait, Vnum idemque omninò ſunt Pater,& Filius,& Spiritus Sanctus, niſi, quod Pater nõ eſt genitus,Filius genitus eſt,Spiritus Sanctus procedit, quod autem in ea dictum eſt (ſcilicet eſsentia) cogitatione diſtinguitur, ſola igitur diſtinctio rationis eſt admittenda inter attributa relatio-

tiones originis, & eſſentiam diuinam.

His tamen non obſtantibus præclara eſt, & vera Scotiſtarum ſententia, minimè vacillantium, ſiuè in ipſa concluſione, ſiuè in modo explicandi, quod cōtra euenit Thomiſtis, attributa, ſcilicet diuina, & relationes originis ex vna parte, & diuinam eſſentiam ex altera diſtingui ex natura rei, item & attributa à relationibus, & inter ſe ipſa, relationes verò originis, inter ſe etiam realiter diſtinguūtur, de qua vltima parte infra agemus, non enim eſt hic locus earum.

Primò probatur auctoritatibus. Aug. .n.lib. 3.c.4. contra Maſſimin. ſic ait, ſi poteſt, Deum patrem concedere ſimplicem, & tamen ſapientem, bonum, iuſtum, quanto magis vnus Deus poteſt eſſe ſimplex, & tamen trinitas, ita, quod tres perſonæ, non ſint partes, vult ibi concedere Auguſtinus cōtra Maſſiminum pluralitatem realem trium perſonarum, cum ſimplicitate Dei ex pluralitate attributorum, cum ſimplicitate patris, ſed non poteſt concludi ex pluralitate diſtinctorum sm̄ rationem, quia non valet dicere, pluralitas rationis aliquorum, ſtat cum ſimplicitate, igitur pluralitas realis illorum ſtat cum ſimplicitate, ſiquidem maior eſt pluralitas realis, ſiue ex natura rei, quam rationis, & ideo ſi hæc compatitur cum ſimplicitate, non propterea illa etiam compatitur, Auguſtinus ergo concludit ex pluralitate attributorum diſtinctorum ex natura rei, alioquin non concluderet, & ridiculosè argueret.

Ad iſtum diſcurſum reſpondere poſſunt Aduerſarij, quod ſicut per te, ex ſimplicitate cum pluralitate rationis, non rectè concluditur ſimplicitas, cum pluralitate ex natura rei ſiuè reali, quia illa pluralitas eſt minor iſta, ita pari ratione, ex ſimplicitate patris, cum pluralitate attributorum in ipſo ex natura rei diſtinctorum, non rectè concluditur ſimplicitas Dei cum pluralitate diſtinctarum realiter perſonarum, ſiquidem per te diſtinctio ex natura rei, & pluralitas minor eſt pluralitate, & diſtinctione reali, vel ergo ſi sm̄ Scotum vnum concludit ex alio Auguſtinus, debet præſupponere pluralitatem attributorum in patre nedum diſtinctorum ex natura rei, ſed etiam realiter, & diſtinctionē realem, quod eſt contra fidem; quod etiam negatur à Scoto, vel neceſſariò diſcurſus Auguſtini, non erit huiuſmodi, .i. ad probādum vnum ex alio tamquam per conſequentiam neceſſariam, ſed ad oſtendendum eſſe benè

benè in vtroque pluralitatem,cum ſimplicitate , in Deo pluralitatem perſonarum realiter diſtinctarum cum ſimplicitate Dei, & in patre pluralitatem attributorum ſola ratione diſtinctorum , cum ſimplicitate ipſius.

Sed contra , in tantum negatur diſtinctio ex natura rei ab his auctoribus attributorum diuinorum,ne incidamus in compoſitionem Dei , ſed per Auguſtinum in præſenti auctoritate non ſolum diſtinctio ex natura rei , ſed etiam diſtinctio realis perſonarum ; ſtat cum ſumma ſimplicitate Dei , igitur multo magis ſtat talis ſimplicitas cum diſtinctione ex natura rei,quæ minor eſt illa; diſcurrit ergo Auguſtinus à pluralitate ex natura re. diſtinctorum cũ ſimplicitate ad pluralitatẽ realẽ,cum eadẽ ſimplicitate , dũmodo vtraq; ſit à parte rei,& nõ a parte intellectus, dummodo hę pluralitates non habent rationem partium,vt clarius infra oſtendit, & applicat his,de quibus loquitur dicens,numquid bonitas,& ſapiẽtia,& potentia,& clementia partes vnius virtutis ſunt? quam ſimplicem eſſe dixiſti,quaſi minimè diceres,qui diſcurſus fieri nõ poteſt à diſtinctis ex parte intellectus cum ſimplicitate ad diſtincta à parte rei cum eadem ſimplicitate.

Secundò arguitur ex eodem Auguſtino 8. de trin. c. 2. vbi probat in diuinis vnum attributum ex alio, magnitudinem ex veritate,ſiuè æqualitatem in magnitudine , ex æqualitate in veritate , igitur iſta duo ſunt diſtincta ex natura rei,alias diſcurſus Auguſtini non eſſet bonus,ſed eſſet petitio principij , ideſt probatio eiuſdem de ſe ipſo,antecedens patet, nam loco citato dicit , duæ perſonæ,vel tres non ſunt aliquid maius,quam vna , quia duæ perſonæ,vel tres non ſunt aliquid verius , quam vna perſona , quia in diuinis ſunt idem veritas,& magnitudo,tàm veritas enim , quàm magnitudo eſt eſſe diuinum.

Ad hoc reſpondet Caietanus,quod magnitudo , & veritas diſtinguuntur ex natura rei non actualiter,ſed fundamentaliter, actualiter tantum diſtinguuntur ratione.

Sed contra , Auguſtinus probat eſſe æquales in magnitudine actualiter,& preſupponit actualiter magnitudinem in illis,& hoc probat ex æqualitate veritatis ,igitur etiam veritas eſt actualiter in illis, & conſequenter actualiter ex natura rei ſunt diſtinctæ veritas,& magnitudo,cum vna probetur ex alia.

Tertiò probatur ratione,nam de iuſtitia , & veritate verificantur

tur ante omnem operationem intellectus duo contradictoria vt Deus iuſtitia eſt iuſtus,non bonitate,ergo, &c. ſi dicas diſtinctionem rationis ſufficere vt duo prædicata contradictoria verificentur de aliquibus. Contra ſolum ergo poſt actum intellectus Deus iuſtitia eſt iuſtus,& non bonitate,& conſequentar ante actum intellectus ita erit iuſtus iuſtitia ſicut bonitate,quod eſt falſum.

Secunda concluſio. Attributa diuina relationes originis, & eſſentia diuina formaliter ex natura rei non à parte intellectus, vt dicebat Caietanus,diſtiguuntur.

Primò probatur de attributis ſe inuicem, ſupponendo, quod ſciatis, quid ſit diſtinctio formalis nempe ſecundum quam vnum non includit alterum, à quo ſic diſtinguitur in primo modo dicendi per ſe, vnde ſic arguitur; ſapientia in communi, & bonitas in communi ſunt inter ſe diſtinctæ formaliter ex natura rei, igitur ſapientia infinita,& bonitas infinita eodem modo diſtinguuntur, antecedens eſt verum, quia nec ſapientia includit bonitatem in primo modo, nec iſta illam, conſequentiam probat Scotus in 1. diſ. 13. qu. vn. litt. D. modus rei non variät rationem formalem illius,cui additur,igitur infinitas, cum ſit modus intrinſecus, non variat rationem formalem ſapientiæ, & bonitatis, quibus additur, vt illas faciat ſe inuicem includere, & ſic eſſe idem formaliter.

Ad hoc reſpondet Caietanus de ente,& eſſentia, duplex eſſe infinitum, vnum ſecundum propriam rationem ſuam in qua uullis terminis clauditur,licet ſit determinatum ad talem ſpeciem,vt albedo infinita,quæ omnem albedinis gradum habet, & in ratione albedinis nullis terminis clauditur, eſt tamen finita in determinato genere, ſcilicet qualitatis; aliud eſt infinitum non in genere determinato,ſed in genere entis, quod nullis terminis ſecundum totam latitudinem entis clauditur, ſed habet omnem eſſendi perfectionem. primum infinitum non variat rationem formalem, nam albedo infinita,& linea infinita formaliter diſtiguuntur,quia ſunt determinatæ ad diuerſas ſpecies: ſecunda verò infinitas variat, cum enim includat omnem perfectionem entis poſſibilem omne ſibi additum identificat.

Sed contra. Sapientia ergo infinita eſt formaliter bonitas infinita,ac per conſequens Deus,ita eſt formaliter ſapiens ſapientia; ſicut bonitate,quod eſt abſurdum; verum eſt ergo prædictam infini-

fini-

finitatem identificare realiter, non autem formaliter quicquid ſibi additur in quo fallitur Caietanus.

Secundò probatur iuſtitia, & bonitas, vel dicunt eamdem rationem formalem ex natura rei, ſicut à parte rei ſunt in Deo, non à parte intellectus, aut dicunt duas rationes formales. Rurſus vel hæ duæ rationes formales includunt ſe inuicem in primo modo, aut non, ſi primum dicas, igitur iuſtitia, & bonitas ſunt nomina ſynonima eamdem rationem formalem ſignificantia, quod eſt falſum, ſi ſecundum dicas reddit in idem, ſicut enim animal rationale, & homo idem prorſus ſignificant, quia homo includit animal rationale in primo modo, ſic ſi iuſtitia includeret in primo modo bonitatem, idem ſignificaret bonitas, & iuſtitia, ac per cõſequens erunt nomina ſynonima; ſi tertium dicas, habeo intentum, quoniam illæ diſtinguuntur formaliter, quæ non ſe includũt in primo modo.

Caietanus reſpondet, quod cum ſynonimitas ſit paſſio nominum attẽditur ſolum pænes identitatem conceptus mentalis, non rationis formalis in re, ita bonitas, & iuſtitia in Deo apud intellectum habent diſtinctos conceptus mentales, licet non in re, & ideò non ſunt nomina ſynonima. Sed contra, nam Ariſtot. 1. Elẽc. inquit pro rebus vtimur nominibus, & methaph. 4. ait, ratio, quam ſignificat nomen, eſt definitio: definitio autem indicat eſſentiam rei, igitur & nomen. Item nomina imponuntur ſecundum proprietatem rei, ſynonimitas ergo attenditur pęnes res, quas nomina ſignificant, illa ergo ſunt nomina ſynonima, quæ ſignificant eamdem rem, licet habeant diuerſos conceptus mentales, & non ea quæ habent eumdem conceptum mentalem, hoc enim modo nullum, vel quaſi nullum inueniretur nomen ſynonimum, quod cũ alio ſignificet idem, quia nomina ſynonima diuerſos conceptus mentales ſemper habent, licet non ſemper diuerſos cõceptus reales, vt Marcus Tullius Cicero vnam rem ſuo tempore ſignificabant, diuerſos tamen conceptus mentales.

Tertiò probatur, quod attributa ab eſſentia formaliter diſtinguantur, ita quod ſi eſſentia eſſet definienda, vel attributum, nec illa ingrederetur in definitione iſtius, nec iſtud in definitione illius, vt inquit Scot. in 1. diſ. 8. qu. 4. probatur inquam auctoritate Damaſceni lib. 1. c. 4. vbi inquit, Si iuſtum, ſi bonum, ſi quid tale dixeris non naturam Dei dicis, ſed quæ circa naturam: attributa igitur

igitur diuina vt iuſtitia, & bonitas non ſunt de eſſentia in primo modo, & conſequenter non ſunt de eius formali conceptu, ſed circa eſſentiam ſunt, vt quaſi paſſiones; Item Aug. de Trin. c. 6. ſi dicas æternus, immortalis, iuſtus, bonus beatus, ſpiritus, omnium horum nouiſſimus videtur ſignificare ſubſtantiam, cætera verò ſubſtantię qualitates, non ergo attributa ſunt de eſſentia Dei, ſed Deum conſequuntur.

Quartò probatur, Deus ex natura rei formaliter eſt Deus Deitate, non miſericordia, aut bonitate, nec Deitate eſt formaliter bonus, ſed bonitate, igitur vnum non includit alterum in primo modo dicendi per ſe; ſecus ſicut Deitate Deus eſt Deus, ita bonitate Deus eſſet Deus, quod eſt falſum.

Quintò probatur de relationibus originis, quod diſtinguantur ab eſſentia, & attributis formaliter ex natura rei auctoritate Auguſ. 7. de trin. c. 7. non eò Pater quò Deus, nec eò Deus, quò Pater, ſi ergo Paternitas, & Deitas eſſent idem formaliter ex natura rei, Pater eò eſſet Pater, quò Deus ſcilicet eſset Paternitate, & Deitate, quod eſt contra Auguſtinum. Poſſent reſpondere Aduerſarij, quod ſicut iſta, Petrus non eò homo, quò animal, nec eò animal, quò homo, quia eſt homo humanitate, & animal animalitate, non tamen ſequitur, hominem diſtingui formaliter ab animali, idem dicendum eſt non ſequi Paternitatem diſtingui à Deitate formaliter, ita ut ſe inuicem excludant, & re vera hæc auctoritas non concludit diſtinctionem formalem, ſed tãtum ex natura rei, cum ibi ſolum admittatur negatio vnius ab alio, ideſt non eò Pater quò Deus, alio ergo modo probanda eſt cõcluſio noſtra, nam multæ rationes, quas adducit Beda controu. 4. concluſ. 3. non niſi diſtinctionem ex natura rei probant, nõ autem formalem diſtinctionem concludunt, & quamuis in corrolario quintæ rationis præfatę concluſionis probet paternitatẽ, non eſſe de conceptu, & ratione formali eſſentiæ, alias Pater eſset Filius non tamen probat, diuinam eſsentiam non includi formaliter in paternitate, nec eſse de cõceptu, & ratione formali paternitatis, quod ſaltem intendunt Thomiſtæ, & ex hoc non ſequitur abſurdum illud ſcilicet fore, vt Pater ſit Filius, & Filius Pater, etenim ſecundum Thomiſtas eſsentia diuina includitur in ratione formali Patris, & Filij; ſicut homo in Petro, & Franciſco, non tamen ſequitur Petrum eſſe Franciſcum, nec valet ille diſcurſus diuina eſsentia includi-

tur in formali conceptu filiationis, ergo paternitas includitur in conceptu filiationis, ergo Filius eſt Pater, & quando probat conſequentiam dicens, in cuius conceptu includitur diuina eſſentia, in eius cóceptu includitur quicquid eſt formaliter diuina eſſentia, ſed in conceptu filiationis includitur diuina eſſentia, & paternitas eſt formaliter diuina eſſentia, igitur paternitas includitur formaliter in conceptu filiationis, & ſic Filius eſt Pater, non valet inquam ſequela, ſic enim diſcurrendo, Petrus includeretur formaliter in conceptu Franciſci, & ſic Franciſcus eſſet Petrus, nam homo includitur in conceptu Fráciſci formaliter, ſed Petrus eſt formaliter homo, ergo Petrus includitur in conceptu formali Franciſci, concluſio tamen iſta eſt falſa, igitur & illa.

Sextò probatur melius, hæc ſecunda pars concluſionis, primò ex Aug. 7. de tri. quod ad aliud dicitur non eſt eſſentia, ſed relationes originis ad aliud dicuntur, ergo non ſunt eſſentia, hæc autem negatio prædicationis, & incluſionis, non debet intelligi realiter, & identicè, tum quia infinitum identificat ſibi omne, quod ſibi additur, & eſſentia eſt formaliter infinita, cui connexæ ſunt relationes originis, & ſic ſibi identicè, & realiter identificatæ, & fieret prædicatio vnius ab altero, quod eſt contra prædictam auctoritatem Auguſtini; tum quia ex tali auctoritate ſequeretur eſſentiam diuinam diſtingui realiter à tribus perſonis, & ſic eſſet quaternitas in diuinis, illa ergo negatio incluſionis, & prædicationis eſt tantũ formalis, tum qua ſtat prædicatio realis, & identica, Pater ergo non eſt formaliter eſſentia diuina, & quælibet alia relatio originis, ac per conſequens eſſentia diuina nõ includitur in primo modo in illis, & ſic eſt diſtincta foramliter ab illis, & è cõuerſo, vt ſupra preſuppoſuimus, conceſſa ab aduerſarijs, nẽpè relationes originis, nõ eſſe de cõceptu formali eſſentię. Et Sco. 1. d. 5. §. 2. §. 3. difficultas ait. Relatio, & eſſentia ſunt perfectè idẽ, .l. nõ formaliter.

Hanc rationẽ impugnarẽt Aduerſarij, ex ipſa ſequi, Patrẽ, & cęteras perſonas nõ cõſtitui eſſentialiter ex diuina eſſentia, & relationibus originis, quod apparet manifeſtè falſum, ſi ergo ex illis conſtituũtur, ingrediuntur illę in eſſentia perſonarum conſtitutarum, & conſequenter eſſentia diuina includitur in conceptu formali relationum, & perſonarum, & ſic ſunt idem formaliter.

Ad hoc reſpõdet Trõbeta, ꝙ eſſe de alicuius conceptu, & eſſẽtia ſtat dupliciter vel prędicatiuè, ita, vt prædicetur de illo in primo modo

modo,& ſic in primo modo includatur in cõceptu illius,vel cõſtitutiuè,quia conſtituit ipsũ in eſſe; primo modo eſsẽtia non eſt de conceptu formali relationũ,& perſonarũ, nec prædicatur de illis formaliter,ſed ſolũ identicè,quia inquit Aug.quod eſt ad aliud nõ eſt eſſentia ſupplè formaliter. Secundo modo benè eſsẽtialiter eſſentia diuina conſtituit perſonas cũ relationibus originis, & hoc modo realiter,& idẽticè prædicãtur,& ſunt idẽ,nõ tñ formaliter.

Item reſpondent Aduerſarij, quod eſſentia diſtinguitur a relationibus à parte rei formaliter,non formaliter actualiter,ſed formaliter fundamentaliter,aut virtualiter.

Sed contra hoc eſt eodẽ modo relationes diuinæ diſtinguunt pſonas,& diſtinguuntur ab eſſentia,& eſſentialibus, & inter ſe quo modo ſunt in diuinis,& cõſtituunt perſonas,ſed actualiter à parte rei,nõ virtualiter,ſiuè fundamentaliter ſunt in diuinis,& ita cõſtituunt perſonas,hoc ergo modo diſtinguũtur ab eſſentia, & eſſentialibus;vbi eſt notandũ,ꝙ in præſenti quęſtione,non loquimur de diſtinctione relationũ originis inter ſe,quia hęc eſt diſtinctio realis actualis pluſquã formalis,ſed illã adduximus ad propoſitũ, vt oſtenderemus talẽ eſſe debere diſtinctionẽ actualẽ,vel potentialẽ, qualis eſt res in actu,vel in potẽtia,q̃ tali diſtinctione diſtinguitur.

Plures aliæ auctoritates adduci poſſunt ad confirmandam hãc noſtram ſententiam,quarum plurimæ extant apud Scotũ 1. ſent. diſ.2.q.vl.& diſ.8.q.4. ſed breuitatis cauſa eas omitto,ſufficit potiores me hic adduxiſſe,& quę magis conuincũt aduerſariam ſententiam,ſupereſt tantum reſpondere argumentis oppoſitis.

Ad primam auctoritatem Auguſtini reſpondetur,ipſum nõ negare,eã diſtinctionẽ inter magnitudinẽ,& ſapientiã, quã cõcedit inter Paternitatẽ,& Deitatem,ſed vult oſtendere Aug. non eodẽ modo,Patrẽ dici Patrẽ,& Deũ,quò dicitur magnus,& ſapiẽs; nã dicitur magnus,& ſapiens tãquam duabus perfectionibus ſimpliciter,& perfectionibus quidditatiuis,ideſt non ſuppoſitalibus, & duabus idẽ identificatis reali,& mutua identitate,& duabus,q̃ sũt idẽ Deo,& Deitati in tribus perſonis, è cõtra verò paternitas nõ eſt perfectio ſimpliciter,vt infra ſuo loco oſtendemus, nec perfectio quidditatiua,ſed ratio ſuppoſitalis nec eſt eadem Deitati idẽtitate mutua,cũ diuina eſſentia ſit infinita formaliter, & ſic identificet ſibi paternitatem,paternitas verò,cum non ſit infinita formaliter,non identificat ſibi eſſentiam, Deitas verò magnitudo,

& ſapientia ſunt omnes infinitæ formaliter, & ſe inuicem mutuo identificantur; Rurſus illæ identificantur in omnibus tribus perſonis, Paternitas verò, ſolum identificatur Deitati in Patre, nō in Filio, & Spiritu ſancto, & hinc patet quis ſit ſenſus verborum Auguſtini, quando dicit, non eò Pater, quò Deus; quia Pater eſt Deus perfectione ſimpliciter, & quidditatiua, & tali perfectione non eſt Pater, eſt tamen eò magnus, quò ſapiens; quia ſcilicet vtraque ſapientia, & magnitudine eſt talis, ſupple perfectione ſimpliciter, & quidditatiua, & identitate mutua, & in tribus, quomodo Pater non eſt Pater, non tamen infertur eſse aliquam diſtinctionem inter paternitatem, & eſsentiam, quæ nō ſit inter magnitudinem, & eſsentiam, & ſapientiam, quia de hoc nō loquitur Auguſtinus in ſenſu explicato, modum ergo diſtinctionis oſtendit, non diſtinctionem ipſam.

Ad ſecundam auctoritatem Auguſtini reſpondetur, ipſum negare in Deo aliud, & aliud, & concedere idem, vt idem eſt illi eſse, quod magnum eſse, negat inquam ſolam alietatem, & diſtinctionem realem, quæ propriè eſt inter rem, & rem; cum in diuinis omnia ſint vna res, non tamen affirmat omnem identitatem à parte rei, nec negat omnem diſtinctionem, ſi quidem cum identitate reali, quam hic admittit Auguſtinus, ſtat diſtinctio ex natura rei, & formalis quam concedit idem Auguſtinus in adductis auctoritatibus pro concluſione noſtra, & ſic non eſt contradictio in Auguſtini, in vna enim parte negat diſtinctionem realem, & in alia affirmat diſtinctionem ex natura rei, & formalem, quæ illi identitati compatitur. Ad tertiam auctoritatem Gregorij hoc idem dicitur.

Ad primam rationem reſpondetur primò, in diuinis omnia ſunt vnum identitate reali, non formali. Secundò reſpondetur, diſtinctionem facere in diuinis non ſolum oppoſita relatiua, ſed etiam diſparata; generatio enim, & ſpiratio actiua ſm̄ fidem diſtinguuntur ex natura rei, quod concedunt etiam aduerſarij, attamen inter illas non intercedit oppoſitio relatiua, cum inter ſe nō referantur, ſed diſparata, idem prorſus dicendum de attributis inter ſe, & ab eſsentia intercedere oppoſitionem diſparatam, quatenus vnum ex natura rei non eſt aliud.

Ad ſecundam rationem, quæ petit eam difficultatem, ſi poſſit eſse vnum in alio, abſq; eo, quod vnum habeat rationē potentiæ, alterum

alterum rationem actus, & ſine eo quod faciant aliquam compoſitionem vel per ſe, vel per accidens , vel ſaltem aggregationis, quod in calce huius quæſtionis examinabimus; pro nunc ſufficit dicere omnia quæ ſunt in diuinis eſſe in eſſentia diuina vt in ſuo fundamento,& radice vt identicè contenta in pelago infinito,nō vt actus in potentia; immò etiam dicitur eſſentia diuina eſſe in illis abſq;eo,quod habeat rationem actus,& potentię; verè enim dicitur paternitas eſt in Patre, deitas eſt in Patre,paternitas in deitate,Pater in deitate,& nullum ibi eſt in alio vt actus in potentia;nã eſſentia eſt in Patre vt natura in ſuppoſito,Pater in deitate vt ſuppoſitum in natura , paternitas in Patre,vt forma,hypoſtatica in hypoſtaſi,paternitas in deitate per ſe,licet non primò, nimirum, quia pater , qui conſtituitur ex paternitate eſt in deitate , & attributa ſunt in perſonis,& in deitate vt formæ non informantes,ſed vt quibus Deus eſt,& dicitur talis Deus ſapientia eſt ſapiens,nullum tñ iſtorum eſt in alio vt forma informans.

Ad tertiam negatur maior,diſtinctio .n. non eſt verè propriè relatio,ſed eſt quoddam trãſcedens ſicut identitas,licet poſſint eſſe iſta relationes sm̃ dici,vt cętera entia,& ratio eſt;quia ſi omnis diſtinctio , & idẽtitas ex natura rei eſſent relationes reales omnes diſtinctio ex natura rei eſſet diſtinctio realis ; immò etiam identitas realis eſſet diſtinctio realis,cum omnis relatio realis requirat extrema diſtincta realiter sm̃ Scotum in 1. diſ.31.hæc ergo diſtinctio formalis ex natura rei, de qua in præſentiarum loquimur non eſt per ſe relatio realis.

Ad quartam reſpõdetur , Patrem Vaſques non intellexiſſe diuerſos eſſe diſcurſus Gilberti , & Scoti,ille namq; concludebat, diſtinctionem realem inter eſſentiam , & paternitatem,ſiuè perſonas , alias inquiebat ſi non eſſent diſtinctæ ſicut Pater generat, & Filius generatur,ſic eſſentia generaret , & generaretur, Scotus vero ex communicabilitate eſſentiæ , & incommunicabilitate perſonarum , concludebat diſtinctionem inter illas ex natura rei, & formalem, non autem realem , Gilbertus enim negabat illam propoſitionem,Deus eſt Deitas,quia putabat Deum eſſe perſonã & rem diſtinctam realiter à Deitate,& propterea ponebat diſtinctionem realem inter perſonas,& Deitatem, Scotus verò concedit omnes iſtas, Deus eſt Deitas,Deus eſt Pater,Deitas eſt paternitas , vel eſt Pater;concedit inquam identicè , & realiter,negat

tamen formaliter, ſecundum intelligentiam à nobis traditam diſtinctionis & identitas formalis.

Ad quintam rationem reſpondemus, quod Deus ſecundũ ſuum eſſe quidditatiuum conſideratus, nec eſt ſapiens, nec non ſapiens, nec inſipiens, ſicut homo quidditatiuè cõſideratus nec eſt riſibilis, nec inriſibilis, nec non riſibilis.

Ad auctoritatem Conciliorum, & aliorum PP. reſpondetur ab aliquibus Scotiſtis, quod quando Concilium Florẽtinum dicit, ne ipſam eamdem ſubſtantiam re, non autem ſola ratione a perſonis differre videamur; Concilium non dixit hoc determinando, & aduertant, non omnia, quę afferuntur à Cõcilijs eſſe de fide tenenda, quædam enim dicuntur in illis obiter, vel diſputando potius, quam definiendo, nec omnes rationes propter quas aliquid definitur eſſe de fide tenendas, quippe aliquando rationes ſunt falſæ vt patet in Conc. 2. Nyceno, nam propter vſum imaginum definitum fuit, Angelos eſſe pingendos, & quidam Epiſcopus reddit rationem dicens; Angeli ſunt pingendi, quia corporei ſunt, & corporei apparuerunt, hæc enim ratio eſt falſa, & ab omnibus reiecta; hoc eodem modo intelligitur dictum Concilij Florentini circa diſtinctionem eſſentiæ à perſonis, quod non ſit dictum de fide tenendum; ſed præter quam quod lõgè diuerſa ratio eſt de præſenti diſtinctione, & de Angelis, ſi ſint, vel non ſint corporei, quia illos eſſe incorporeos non eſt de fide, eſſentiam autem diuinam nõ diſtingui realiter à perſonis maximè de fide eſt; interpetrandum eſt ergo dictum Concilij non corrigendum, ſeu ad alium ſenſum ablegandum; dicimus ergo, eſſentiam diuinam, non re, ideſt realiter diſtingui à perſonis, ſed diſtingui formaliter à parte rei; ſi autem dicas, Concilium non ſolum aſſerere, eſſentiam nõ diſtingui re à perſonis, ſed addere ſola ratione diſtingui, quod videtur negare omnem prorſus diſtinctionem in re, & à parte rei ſi eſt ſolius rationis diſtinctio. Ad hoc reſpõdemus concedendo ſola ratione diſtingui dumtaxat ratiocinata, quæ diſtinctio reducitur vel eſt eadẽ cum diſtinctione formali ex natura rei, quam nos admittimus, & ſupra probauimus.

Dubiũ ſupereſt valde difficile in ſecundo argumento tactũ, quod eſt Achilles aduerſariorum, Vtrum poſſint inueniri aliqua plura diſtincta ante omnem operationem intellectus, ex quibus conſtituatur vnum per ſe ſine vlla compoſitione, & abſq; eo, quod vnum

ſe

ſe habeat vt actus,alterum,vt potentia,non obſtante,quod dicatur vnum illorum eſſe in alio,vt Paternitas in Deitate, & è contra ad conſtitutionem Patris,qui eſt per ſe vnum.

Prima ſententia eſt Thomiſtarum tenentium, hoc eſſe impoſſibile, tum quia illud, in quo eſt aliud neceſſariò habet rationem potentiæ,tum quia ſecūdum Philoſophum quæ ſunt diſtincta nequeunt vnum per ſe facere niſi habeant rationem actus,& potentiæ; eapropter negant diſtinctionem a parte rei inter deitatem, & relationes originis.

Oppoſita tñ ſententia eſt vera,& nobiſtenēda,ad cuius elucidationem, primò notandum eſt,quod forma in creaturis tria includit,duo dicunt imperfectionem,alterum perfectionem. Primum eſt informare. Secundum eſt eſſe partem compoſiti, quæ duo imperfectionem dicunt. Tertium eſt eſſe quo aliud eſt, & dicitur tale vt Deus ſapientia eſt,& dicitur ſapiens,quod perfectionem dicit, & ideò attribuendum eſt attributis diuinis, quod etiam inuenitur in creaturis,vt homo humanitate eſt homo, ſicut Deus deitate eſt Deus,& ſicut eſſe quo aliud habet eſſe dicit perfectionem, & non imperfectionem;quia competit quidditati,vnde quidditas eſt, ita eſſe,quod eſt tale per aliud nullam imperfectionem includit, ſed perfectionem nempè illam, per quam eſt tale, vt ſapientia per quam eſt ſapiens.

Secundò notandum eſt, quod non omnis ſimplicitas dicit perfectionem,nec ſimplicius ſemper eſt perfectius minus ſimplici, ſecus materia eſſet perfectior compoſito,quod eſt falſum, illud igitur ſimplex eſt perfectum, & ſimpliciſſimum eſt perfectiſſimum, quod nullam potentialitatem includit, & quāto plures perfectiones aliquod includit quod nullam potentialitatem in illo, in quo ipſæ ſunt dicant,vel admittant,eò ſimpliciſſimum, & perfectiſſimum eſt. Ad propoſitum ergo Deus cum innumeras perfectiones includat,& attributa quæ nullam imperfectionem, imò ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, & conſequenter nullam potētialitatem dicant,nec adeant illi,in quo ſunt,quia non habent rationem partis,nec formę informantis reſpectu Dei ex primo notabili eo perfectior Deus erit,quo plura iſtorum attributorum ex natura rei diſtinctorum habebit, imò ſimpliciſſimus, & ſummè ſimplex,& perfectiſſimus,quia omnia illa dicunt ſummam actualitatem,ac per conſequens actualiſſimus erit.

Tertiò notandum eſt,duplicem actum inueniri quidditatiuum, ſcilicet & ſingularem ſeu perſonalem vt quidditas, & perſonalitas,ita Deitas,ſeu eſſentia diuina, eſt actus quidditatiuus perſonæ diuinæ,& perſonalitas, ſiue relatio originis eſt actus ſingularis, ſed differunt hi actus in diuinis,& in creatis, in his enim actus ſingularis determinat,& contrahit actum quidditatiuum,vt ſingularitas Petri determinat humanitatem ad Petrum,in diuinis autem paternitas non determinat Deitatem ad Patrem, quia Deitas eſt de ſe hæc,vt omnes cõcedunt,iſta ergo Deitas, & Paternitas habent rationem actus,& non potentiæ,tùm ſibi inuicem, tùm reſpectu Patris, cum autem compoſitio ſiuè per accidens ſecundum Ariſ.7.& 8.metaph. conſurgat neceſſariò ex illis,quæ habent rationem actus,& potentiæ, nulla compoſitio interuenire poteſt in vnitate,& conſtitutione perſonæ diuinæ ex Deitate, & relatione originis,patet enim conſtitutionem fieri ex actu, & potentia in compoſito naturali ex materia,& forma, in metaphyſico ex genere,& differentia,& in compoſito per accidens ex ſubiecto, & accidente.

Quartò denique notandum eſt,quod cum compoſitorum partes debeant ſemper habere rationem actus,& potentiæ,vt modò ſupra dictum eſt, propterea non ſunt perfecta identitate reali inter ſe idem, alioquin non poſſunt aliquid componere; inquit enim Scotus in 1.diſ.5.q.2.litt.L.& quodlib.q.5. litt.O. nihil cum ſeipſo componitur,vel componit aliquid,hoc enim euidens eſt in cõpoſito naturali per ſe ex materia,& forma, & per accidens ex ſubiecto,& accidẽte,in metaphyſico autem compoſito declaratur, vt genus,& differentia,& animal, & rationale ſunt idem inter ſe ratione ſpeciei,cui identificantur ſcilicet homini,vnde hęc eſt vera,animal eſt rationale, ſi autem ſecludatur iſta identitas illorum reſpectu tertij, & vt abſtracta ab illo conſiderentur, non habent vnde identitatem aliquam inter ſe includant, propter hoc falſa eſt iſta,animalitas eſt rationalitas, quod ſignum eſt, ipſas diſtingui realiter inter ſe ſeipſis conſideratis, & ideò faciunt compoſitionem; quando verò aliqua perfecta identitate reali ſunt idem inter ſe,nullam faciunt compoſitionem, nec quaſi compoſitionẽ, & quamuis diſtinguantur formaliter non ſufficit ad compoſitionem, cum genus,& differentia faciant compoſitionem,non præcisè,quia diſtinguuntur formaliter,ſed quia non ſunt idem perfe-

cta

ēta identitate reali,quod facit ipſa habere rationem actus, & potentiæ,quod requiritur ad compoſitionem; etenim illa, quæ ſunt diſtincta formaliter,& habent tantum rationem actus, & habent vnde identificentur realiter,vti ſunt eſſentialia in diuinis inter ſe, vel eſſentialia ex vna parte,& perſonalia ex altera, propter infinitatem formalem (non autem perſonalia inter ſe, quæ ſunt diſtincta realiter) faciunt benè vnum, non tamen vnitate compoſitionis,ſed vnum,quod vocatur vnitate identitatis,& ſimplicitatis,quia illa ſunt ſic idem identitate perfecta reali.

Ex his ergo patet noſtra concluſio, quomodo attributorum multiplicitas in Deo,& eſſentia, & relationes originis in perſonis non faciant vnum vnitate compoſitionis, ſiuè per ſe, ſiuè per accidens,ſiuè per aggregationem,& quomodo non obſtāte,quod iſta diſtinguantur formaliter,non faciant compoſitionem, quia ad illam non ſufficit diſtinctio formalis,vbi eſt perfecta identitas realis,ſicuti eſt in diuinis,patet etiam ex dictis, quod eſſentia, & relatio in diuinis conſtituunt vnum identitatis vnitate, & ſummæ ſimplicitatis, ita quod perſona diuina eſt tam ſimplex per excluſionem compoſitionis,& quaſi compoſitionis,ſicut ipſa ſola eſsētia diuina,patet etiam multiplicitatem rationum formalium,quę dicunt perfectionem ſimpliciter ſimplicem,vti ſunt attributa, & eſſentia diuina,non facere vllam compoſitionem, aut quaſi compoſitionem,quinimmò eam eo magis excludūt, addito enim actu actui maior fit actualitas,& ſimplicitas,& conſequenter infinitæ rationes formales diſtinctæ formaliter attributorum in diuinis, nedum non faciunt compoſitionem, ſed maiorem actualitatem, & ſimplicitatem; exaltat ergo opinio Scoti ſimplicitatem diuinam,& actualitatem potius quam deſtruit.

Ad primum fundamentum Aduerſariorum,iam diximus in reſponſione ad ſecundam rationem præſentis quæſtionis,poſſe eſſe vnum in alio abſque eo,quod habeant rationem actus, & potentiæ,& hoc explicuimus in diuinis. Ad ſecundum valet ſi loquamur de vno vnitate compoſitionis, fallit autem de vno vnitate identitatis,& ſimplicitatis.

Solent etiam inquirere. Vtrum attributa ſint de eſſentia Deitatis,aut è contra,& vnum attributorum ſit de eſſentia alterius,& Deitas de eſſentia perſonarum,& relationum originis.

Thomiſtæ conſequenter ad ſuam doctrinam concluſionem tenent

nent

nent affirmatiuam,nos autem negatiuam aſſerimus: deciſio enim huius dubij dependet ex præſuppoſita identitate, vel diſtinctione formali eorum,cuius veritas patuit in dictis huius quæſtionis,ſi.n. diſtinguuntur formaliter attributa ab eſſentia, & inter ſe ipſa, & hæc omnia ex vna parte,& relationes originis ex altera , nec vnum iſtorum, nec omnia iſta ex vtraque parte ſunt de eſſentia alterius.

Sed contra hoc arguitur, Pater conſtituitur ex eſſentia diuina, & paternitate, hæc ergo ſunt de eſſentia illius. Ad hoc, quod magnam difficultatem facere videtur reſpodemus, eſſe de eſſentia dupliciter ſumi, ſecundum prædicationem primi modi dicendi per ſe,& hoc modo negamus eſſentiam,& relationem eſſe de eſſentia Patris, ſi quidem eſſentia, & relatio non prædicantur de perſonis formaliter quidditatiuè,& in primo modo, ſed ſolum identicè, hæc enim identica eſt Pater eſt eſſentia alio modo dicitur de eſſentia conſtitutiuè,& ſic eſſentia, & paternitas ſunt de eſſentia Patris, quia conſtituunt ipſum,& ita manet vera noſtra ſententia de diſtinctione formali, non obſtante conſtitutione perſonarum ex eſſentia, & relationibus. Ad identitatem enim formalem requiritur, quod aliquid ſit de eſſentia alicuius etiam ſecundum prędicationem formalem in primo modo, & non ſufficit ſecundum conſtitutionem.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum omnia attributa enuncientur de Deo, & de ſe inuicem, & quomodo enuncientur.

PArs affirmatiua ſine controuerſia vera eſt apud Theologos; ſed quia diuerſa eſt habitudo attributorum, quæ ſumuntur aliquando in concreto, aliquando in abſtracto, ideo diuerſæ de illis fiunt prędicationes, cuius reſolutio conſiſtit in quibuſdam propoſitionibus.

Prima propoſitio. Perfectiones diuinę,& attributa in concreto de Deo ſic in concreto Deitate in abſtracto dicitur formaliter, vt Deus eſt ſapiens, iuſtus,& Deitas eſt ſapiens, iuſta &c. vbi notandum eſt, quod non prædicantur formaliter in primo modo, nec propriè, ſed quaſi in ſecundo modo dicendi; ait enim Damaſcen.

ſtén.lib.1.c.4. Si iuſtum,ſi bonum, ſi quid tale dixeris nō naturam Dei dicis,ſed quæ circa naturam; attributa ergo diuina ſunt perfectiones ſecundariæ Dei, & per conſequens non ſunt de eſſentia illius,& conſequenter non idem formaliter: notandum eſt etiam, quod, ly formaliter, non denotat,talem perfectionem eſſe formam informantem,vel quaſi informantem Deum, de quo enunciatur; poteſt enim aliquid eſſe forma alterius non informans illud,ſed eſſe quo illud dicitur tale,vt homo humanitate eſt homo, nam humanitas eſt forma hominis nō informans, ſed dans eſſe, ſic etiam dicitur ſapientia Deus eſt ſapiens,& iuſtitia iuſtus,& hoc modo ſumitur ly formaliter, quando dicimus, Deus formaliter eſt ſapiens;quia concretum ſemper connotat formam,& formaliter dicitur de eo,de quo dicitur.

Secunda propoſitio; Attributa diuina in abſtracto ſumpta non dicuntur de Deo in concreto,& Deitate in abſtracto ſumpta formaliter,ſed ſolum identicè,abſtractum enim vt ſic ſignificat formam ad modum per ſe ſtantis,non autem informantis, vel inhęrentis,& denominantis, & cum omnis prædicatio fiat per aliquā identitatem ſubiecti, & prædicati, etenim quæ nullam prorſus identitatem admittunt, nullo modo ſe inuicem prędicari poſſunt, itaut vnum ſit aliud,vbi ergo non eſt identitas, vel alicuius modi dicendi per ſe,vel modi dicendi per accidens,& denominatiuè, itaut ſit tamquam accidentis in ſubiecto, quod ab illo denominatur,vel identitas aliquorum propter identitatem ad tertium, vti eſt prædicatio identica in creaturis,quæ etiam eſt formalis,vt albedo,& dulcedo ſunt idem inter ſe,quia identificātur in tertio ſcilicet in lacte,propter hoc de ſe inuicem prædicantur in concreto, tamen non in abſtracto,vt dulce eſt album,& album dulce; quapropter hæc prædicatio identica eſt etiam formalis, ſed prędicationes attributorum in abſtracto nullum horum prædictorū modorum prædicandi habent de Deo,& de Deitate, & tamen de illis enunciātur; alia igitur debet eſſe prædicatio diuerſa à prædictis,& quæ nullo modo ſit formalis, ſed ſolum identica propter aliquam rationem identitatis diuerſam à prædictis, quæ in propoſito eſt infinitas formalis,ſi quidem infinitum formale ſibi idētificat omne quod ſibi iungitur;hæc ergo prædicatio, Deitas eſt Deus,miſericordia eſt iuſtitia,eſt tantum identica,& nullo modo formalis,ſi autem fiat prædicatio Deitatis de ſeipſa in abſtracto,

vt Deitas eſt Deitas,talis prædicatio eſt formalis non identica; nam identica prædicatio fit ratione infinitatis, quæ ſibi identificat,quod eſt aliquo modo ab ea diſtinctum,& quaſi additum ſibi; Deitas autem a ſeipſa nullo modo eſt diſtincta,nec ſibi addita, & tñ vera eſt prædicatio de ſeipſa; igitur non eſt identica tantum, ſed etiam formalis,& in primo modo; quia prædicatio alicuius de ſeipſo eſt prædicatio primi modi. Totum hoc dictum fundatur in illa regula Scoti in 1.diſ.5. q. 1.Quando ſubiectũ eſt vltima abſtractione abſtractum, & prædicatum de ſua ratione formali non eſt aptum nutum prædicari niſi formaliter, propoſitio nõ eſt vera niſi ſit in primo modo dicendi per ſe ex quo ſequitur, quod cum vltimè abſtractum concipiatur diuerſum ab omni eo, quod non includitur in conceptu formali illius, & non ſe habet vt totũ reſpectu partium, de illo prædicari non poteſt niſi id quod eſt de quidditate,& eſſentia eius,vel id quod eſt ipſum, ideſt de ſe ipſo, a, de Deitate igitur ſic abſtractè ſumpta, nihil prædicari poteſt niſi ipſamet de ſeipſa,vt Deitas eſt Deitas, vel id quod eſt de conceptũ eius quidditatiuo,vt Deitas eſt ens,eſt ſubſtãtia, eſt intellectualis,eſt ſpiritus, quæ ſecundum Auguſtinum ſubſtantiam Dei dicunt.

DISPVTATIO
TERTIA.
DE DIVINIS ATTRIBVTIS IN PARTICVLARI.
QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Deus, & ſolus ipſe ſit infinitus per eſſentiam, & quæ ſit ratio formalis infiniti per eſſentiam in Vniuerſum.

PRO intelligentia huius infinitatis per eſſentiam aduertendum eſt,quod res multis modis finiri poteſt;primo definitione,aut cognitione: Secundo termino durationis: Ter-

Tertio termino loci: Quarto termino,ſeu potius fine actionis; & hoc ſiuè ſit ipſa forma vel res producta propter quod forma coincidit cum fine ſecundum phyloſophum 2.phy. vel ſit ipſe finis mouens agens ad producendum talem rem,& omnia iſta ſunt finita, è contra verò per negationem finis aliquod ex his modis infinitū dicitur,illud, tamen non erit infinitum per eſſentiam,nam in primo eſt infinitas incomprehenſibilitatis, in ſecundo æternitatis in tertio immenſitatis, in quarto primo modo eſt infinitas potentię, ſecundo verò modo infinitas extrinſeca.ſ.cauſę finalis, ac per cōſequens non eſt infinitas per eſſentiam, quæ intrinſeca rei eſſe debet,de qua nunc inquirimus nempè, quæ ſit ratio formalis infinitatis conſtituens infinitum per eſſentiam.

Prima ſententia fuit aliquorum dicentium, quod infinitas per eſſentiam eſt ipſamet Deitas, probant ex Anſelmo in monologio cap.2. Deus eſt quo maius excogitari nō poteſt, hoc idem eſt, ac eſſe infinitum,igitur infinitum eſt Deus,& infinitas eſt Deitas. Contrà hoc arguit Mayronus in 1.diſt.3.q.5.impoſſibile eſt de eadem re formali eſſe conceptum certum,& dubium,ſed de Deitate habemus conceptum certum, & dubitamus ſi ſit infinita, nec ne, igitur infinitas non eſt Deitas,alioquin non inquireremus, vtrum Deus ſit infinitus,ſicut in pręſenti quæſtione facimus.

Secunda ſententia eſt quod infinitas ſit vnum quoddā attributū Dei,ſicut æternitas, quæ quamdam quantitatem dicit extenſiuā, ſic infinitas infinitam quantitatem extenſiuā dicit;ſed contra hoc eſt, nam, quod intelligitur in eſſe diuinæ eſſentiæ vt abſtracta ab omnibus attributis,non eſt attributum,infinitas eſt huiuſmodi,nā Deus ſemper eſt infinitus etiam vt abſtractus ab attributis ergo.

Tertia ſententia eſt quorumdam recentiorum dicentiū rationē infinitatis ſecundum eſſentiam in Deo eſſe infinita attributa, & perfectione illius, & propter hoc ipſum eſſe infinitum; ſed contra hoc,nam præterquam,quod attributa non ſunt de eſſentia Dei,vt ſupra probatum eſt,ac per conſequens non poſſunt facere, vt aliquid ſui ſibi competat per eſſentiam,Deus præcisè vt cognitus in ſeipſo,& Deitas,vt abſtracta ab attributis non eſſet infinita quod eſt falſum, & vrgentius, nam ſecundum thomiſtas attributa, & perfectiones diuinæ non ſunt diſtinctę, & diuerſæ ſecundum rem, ſed per noſtrum modum intelligendi, ac per conſequens eſſet in Deo infinitas quędam rationis,& non realis:Rurſus hęc infinitas

per-

perfectionum diſtinctarum ſiuè ſecundum rem, ſiuè ſecundum rationem eſt infinitas ſecundum numerum nō ſecundum eſsentiam, de qua loquimur in præſentiarum, ergo.

Quarta ſententia eſt Diui Thomæ, Caietani, & recentiorum Thomiſtarum in p.p.q.7. ar. 1. & 2. & 1. contra gentes cap. 45. Ferrarienſ. ibidem Ægidij in 1.diſ.43.q.1.& Riccar.ar.1.q.1. qui omnes dicunt rationem infinitatis per eſsentiam eſse in nullo recipi, & è contra rationem finitatis eſse in aliquo recipi, res enim creatæ corporales, quia conſtant ex materia, & forma, quarum cum ſint diſtinctæ, vna in alia recipitur, & conſequenter finitur, & determinatur per aliam, finitæ ſunt ex ſui eſſentia; item ſpirituales res, quia conſtant ex eſſe, & eſſentia, quorum vnum recipitur in alio conuenit eis ratio finiti per eſſentiam, Dei verò eſſentia eſt ſuū eſſe nō in aliquo receptū, ideò infinitum, & illimitatū ſecundum ſui eſſentiam Deum eſſe dicunt. Sed contra hoc arguitur cum Thomiſtæ aſserant attributa Dei eſſe de eſſentia eius, ſiuè ſint plura, ſiuè vnum ſecundum rem, & Damaſcen. lib.1.cap.4. dicat, ſi iuſtum, ſi bonum dicis, quæ circa naturam ſunt, non naturam Dei dicis, illa ergo ſunt aliquo modo in Deo, ſicut quidditas in conſtituto per ipſam, vel perfectiones ſecundariæ in proprio ſubiecto, & quaſi in illo recipiuntur, cum circa illius naturam ſint, ſequeretur, quod hæc receptio eſſet ratio finitatis per eſſentiā in Deo, quod tamen eſt falſum; modum autem, quo vnum in diuinis eſt in alio ſupra explicuimus.

Quinta ſententia eſt eiuſdem D.Thom.1.contra gentes ca.43. quod infinitum per eſſentiam ſit, quod eſt extra genus omne, ſicuti Deus eſt, & confirmatur ex Ariſ.5.met.text. 22. dicente definitionem eſſe terminum, & Albertus in 1.diſt. 45. art. 1. ſubdit Deum eſſe infinitum, quia neque definiri, neque comprehendi poteſt à noſtro intellectu; ſed facili negotio refellitur hæc ſententia, quia loquitur de infinito ſecundum definitionem, vel comprehenſionem, vt in primo notabili diximus non de infinito ſecundum eſſentiam.

Sexta ſententia fuit eiuſdem Alberti in 1.q.34.a.1. vbi probat, Deum infinitum eſſe, tum quia caret principio, & fine durationis, tum quia nullo loco ſibi adęquato concludi poteſt, ſed hic Auctor loquitur de infinito ſecundum durationem, quod eſt æternitas, & de infinito ſecundum locum, quod eſt Immenſitas, non de infinito per eſſentiam.

Septi-

Septima ſententia eſt Gabrielis Vaſques in p. p. diſp. 25. cap. 5. vbi aſſerit, rationem infinitatis ſecundum eſſentiam eſſe negationem eſſendi ab alio, vt à cauſa efficiente, cuius oppoſitum dicit finitatem per eſſentiam, & probat, nam cum omnis effectus à ſua cauſa recipiat eſſe, & propterea intra eius efficacitatem cōtineatur, & extra eam egredi non poſſit efficitur, vt, omnis res, quæ ab alia recipit eſſe ſit finita, & limitata ſecundum eſſentiam habeatque naturam participatam, cum autem Deus à nullo ſit, ita infinitus per eſſentiam eſt: ſed contra hoc eſt, nam eſſe, vel non eſſe ab alio, vt à cauſa efficiente propriè, & per ſe dicit eſſe creatum, vel increatum, ſeu dependens, vel independens, negatio igitur eſſendi ab alio eſt per ſe ratio increati, vel independentis, non infiniti per eſſentiam licèt aliquo modo infinitum per eſſentiam inde colligatur, quia non habet eſſe ab alio, & participatum, ſed cum ſint hæc duo independens, & infinitum diſtincta vel à parte rei, vel ratione tantum, & ratio vnius non ſit alterius, vnum non eſt aliud, nec de ratione alterius, cum vnum, & idem non poſſit eſſe ratio conſtituens diſtincta, atque diuerſa.

Octaua ſententia eſt Patris Suarez lib. 2. cap. 1. vbi ait, rationem infinitatis ſecundum eſſentiam eſſe negationem limitationis facientis rem eſse finitam in ſui entitate, & ſubſtantia, ſicut creatura habet finitam eſsentiam in graduentis, quia talis eſt vt non repugnet illi habere aliam excellentiorem in graduentis, & ideò eſt limitata, & finita; Deus autem dicitur infinitus ſecundum eſsētiam, quia tantæ perfectionis eſt, vt non poſſit habere in ea ſuperiorem, nec æqualem, qui ſit diſtinctæ naturæ (licet habeat æqualem in eadem natura diuina, ſicut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt æquales) & declarat hanc negationem, vel infinitatem eſse illam à Sanctis traditam nimirum Deum eſse tale ens, quo maius excogitari non poteſt.

Sed quamuis hæc opinio ſit probabilior cæteris non placet, nā ſicut per carentiam termini diuerſo modo ſumpti circumſcribitur infinitas, quæ fundatur in aliqua preſuppoſita perfectione, ex qua infertur. Nam negatio termini durationis eſt infinitas, quæ dependet ex æternitate, quia enim aliqua res eſt æterna, ideò non habet terminum durationis, & negatio termini loci eſt infinitas, quæ dependet ex immenſitate, quia enim res eſt immenſa, ideo non habet terminum loci; quapropter illa circumſcribitur æterna,

na,& hæc immenſa, pari ratione negatio termini ſecundũ eſſentiam,& entitatem,vt explicat Suarez per illud,quod Deus eſt quo maius excogitari non poteſt,eſt infinitas, quæ pēdet ex magnitudine eſſentiæ, & entitatis Dei ſecundum quam dicitur Deus maximum,& ſummum ens, quia enim Deus eſt ſummum, & maximum ens,ideò non habet terminum in entitate, vt ab alia entitate,vel perfectione entitatiua excedatur, & hoc modo potius deſcribi debet Deum eſſe ſummum, & maximum ens quam infinitum,quia caret termino entitatis,ſicut potius deſcribitur immenſus, & æternis,quam infinitus, quia caret termino loci,& temporis.

Nona ſententia eſt cuiuſdam recentioris Scotiſtæ, qui negat vno, aut altero modo prædictorum debere dici Deum infinitum per eſſentiam,& comprehendit omnes modos prædictos,quia ſic vndequaque Deus dicitur infinitus, & propterea infinitus per eſſentiam non limitando infinitatem ad aliquem particularem modum,ſed faciliter etiam refellitur hæc opinio, quia ſi vno illorum modorum non dicitur Deus infinitus per eſſentiam, nec omnibus ſimul ſumptis dici poteſt,etenim diceretur Deus ſimul immenſus, æternus,incomprehenſibilis,independens,& ſummum ens, quæ omnia,vt diximus nō habent rationem infinitatis per eſſentiam, ſed rationem immenſitatis,æternitatis,&c.

Vltima,& quę mihi probabilior videtur ſententia eſt, quod infinitum per eſſentiam conſtituitur ex poſitiuo,& negatiuo,primo modo ſumitur fundamentaliter,ſecundo modo formaliter;primo modo dicit quantitatem virtutis, ipſamque rei virtutem perfectionem entitatiuam,& entitatem, quæ idem omninò ſunt, qui ergo habet ſummam entitatem,virtutem,& perfectionem eſt infinitum per eſſentiam fundamentaliter, ratio autem infiniti per eſſentiam formaliter eſt negatio,& carentia finis, ſicut aliæ infinitates nempè immenſitatis,vel durationis, hæc autem carentia finis cum ſit multiplex conſtituens diuerſas infinitates, vt ſupra dictum eſt,negatio finis per ſe conſtituens infinitum per eſſentiā, non videtur eſſe alia, quam negatio ipſiusmet finis, vt finis eſt, id eſt cauſæ finalis, quæ per ſe complet totam rationem infiniti per eſſentiam.

Primò probatur noſtra ſententia per excluſionem aliarum ſententiarum,quæ admittunt negationem finis alio modo,quā iſto.

Secun-

Secundo probatur ratione, cum enim aliæ infinitates pendeant, vt ſupra diximus ex alio fundamento, quo res circumſcribitur, vt infinitas, ſeu negatio durationis ex æternitate, qua res circumſcribitur, non enim hoc modo dicitur res infinita, ſed dicitur, & circumſcribitur æterna, eodem modo ad propoſitum oportet inuenire quamdam infinitatem, & negationem finis ſub propria ratione finis propriè, & per ſe conſtituens Deum in eſſe infiniti per eſſentiam, huiuſmodi autem ratio non poteſt eſſe niſi carentia finis vt ſic. i. cauſæ finalis a Deo, quod nõ ſit ad aliud, aut propter aliud.

Sed contra hoc obijciet aliquis, quia Deus eſt propter ſe, & ad ſe, ideò non eſt ad aliud, & propter aliud, ex quo ſequitur potius Deum deſcribi debere eſſe cauſam finalem ſui, & aliorum quam eſſe infinitum, ideſt quam non eſſe ad aliud, vel propter aliud.

Reſpondetur libenter concedendum eſſe, Deum cauſam finalem eſſe ſui, aliorumuè propter perfectionem, vt diximus, entitatiuam, qua melior excogitari non poteſt, & vt ſic habet rationem finis, & cauſæ finalis, propter ſui bonitatem, & perfectionem, cum finis ſub ratione boni, & perfecti moueat, ideſt cauſa finalis; nos autem in præſentiarum non loquimur de poſitiuo, quod eſt in Deo, quod propriè eſt eſſe finem, & cauſam finalem propter ſui ſummam bonitatem. ſed loquimur de negatiuo in reſpectu ad extra, quod negat terminum, vel finem, quo limitari poſſit, ſicut cæteræ infinitates in reſpectu ad extra dicuntur tales, quæ cum diuerſimodè habeant carentiam termini, & finis ſiuè loci, ſiuè temporis; hæc autem infinitas per eſſentiam habere etiam debet carentiam ſui proprij finis differentem ab alijs, & cum infinitum deſcribatur non immenſum, aut æternum propriè, & per ſe, & per eſſentiam infinitum dicitur, quia caret fine, vt finis eſt, qui vt ſic eſt cauſa finalis, ex quo ſequitur, Deum & ipſum ſolum eſſe infinitum per eſſentiam, quia ipſe eſt vltimus finis ſui, & aliorum, quod eſt fundamentum infinitatis, vt infinitas eſt ſecundum eſſentiam, quæ formaliter conſiſtit in carentia ſolius finis, & cauſæ finalis.

Secundo probatur illud eſt infinitum per eſſentiam, quod opponitur finito per eſſentiam, & non finito ſecundum locum, aut ſecundum tempus, vel alio modo, ſed finitum per eſſentiam eſt

ſolum quod habet finem, vt finem vel ſub ratione finis, ideſt cauſam finalem, igitur infinitum per eſſentiam eſt id, quod non habet cauſam finalem, maior patet, quia oppoſitorum eadem eſt diſciplina, minor probatur, quod finitur loco habet finem ſecundum locum, & non ſecundum eſſentiam, & quod finitur duratione, vel alio modo ex ſupradictis, igitur, quod finitur fine, ideſt cauſa finali finitur fine ſecundum eſſentiam, ac per conſequens, quod non finitur fine, ideſt cauſa finali eſt infinitum per eſſentiam.

Tertio illud eſt tale per eſſentiam, de quo tale prædicatur eſſentialiter, ſed ſolum non habere cauſam finalem prædicatur de infinito eſſentialiter, ergo non habere cauſam finalem eſt infinitum per eſſentiam, minor probatur, quod eſt infinitum, vt infinitum eſſentialiter prædicatur infinitum de illo, quia prædicatum includitur eſſentialiter in ſubiecto per illam reduplicationem, vt, & non, quod eſt infinitum ſecundum locum, aut alio modo, ſed quod non habet finem, ideſt cauſam finalem eſt infinitum, vt infinitum, & non quod habet finem alio modo, ergo, minor probatur finis ſecundum locum non eſt finis, vt finis, ſed finis tantum ſecundum locum, igitur, quod eſt infinitum ſecundum locum, non dicitur infinitum, vt infinitum, ſed infinitum ſecundum locum, & ſic de cæteris; finis autem, ideſt cauſa finalis eſt finis, vt finis, igitur infinitum ſecundum cauſam finalem eſt infinitum, vt infinitum, & ſic infinitum per eſſentiam.

Quarto quod finitur ſecundum aliquid ſui non eſt infinitum per eſſentiam, ſed quod non eſt infinitum ſecundum cauſam finalem, quamuis ſit infinitum quocumque alio modo eſt finitum ſecundum aliquid ſui, & quod eſt infinitum ſecundum cauſam finalem eſt infinitum quocumque alio modo, igitur iſtud, non illud erit infinitum per eſſentiam, minor probatur, nam licet res ſit immenſa, vel æterna ſi tamen eſt propter aliud eſt finita ſecundum aliquid ſui, eſſe autem, & agere propter ſe, non propter aliud includit omnem aliam perfectionem, & excedit omnem alium terminum, vt patet, igitur non habere cauſam finalem eſt præciſa ratio infiniti per eſſentiam, ex quo proueniunt omnes aliæ infinitates.

Quinto deniquè illud eſt ratio formalis in aliqua re eſſendi tale, quo poſito neceſſariò ponuntur omnia pertinentia ad eſſe adæ-

qua-

quatè, & quo ſublato etiam ſi ponantur cætera non ponuntur omnia pertinentia ad eſſe tale vndequaque, ſed infinitas ſecundum cauſam finalem, & non ſecundum alium modum eſt huius modi, ergo; maior patet, minor probatur, nam vltimus finis, ideſt cauſa finalis eſt primum efficiens, primum ens, primum eminens, & conſequenter independens, immenſum, ſummum, æternum, & cætera huiusmodi, vt probauimus ſupra in quæſtione Vtrum Deum eſſe ſit demonſtrabile à poſteriori, infinitum autem ſecundum locum, vel ſecundum tempus, vel alio modo non includit cætera; nam ſi Deus crearet aliquam rem ab æterno ſecundum opinionem quæ tenet hoc eſſe poſſibile, res illa exiſtens infinita ſecundum durationem vt puta ſi etiam eſſet ſempiterna, eſſet finita ſecundum locum, ſecundum actionem, ſecundum comprehenſionem, & definitionem, & ſecundum cauſam finalem, & ſi Deus crearet aliquam qualitatem infinitam, quam poteſt ſecundum veriorem opinionem creare, quamuis non poſſit creare ſubſtantiam infinitam, illa qualitas exiſtens infinita ſecundum magnitudinem eſſet finita, ſecundum durationem, & ſecundum actionem cauſæ tum efficientis, tum finalis, & ſecundum definitionem, & cognitionem.

Pro quo notandum eſt, quod quamuis ſicut primus, & vltimus finis eſt etiam primum ens, primum efficiens, primum eminens, & conſequenter immenſum, æternum, indefinibile, & incomprehenſibile, ſic etiam è cōuerſo primū efficiens, ſic etiā primus finis, primū ens, primū eminēs, & rurſus primū eminens ſit primū efficiens, primus finis, & cætera omnia includens, ex quo videtur non eſſe maiorem rationem, quare eſſe infinitum ſecundum cauſam finalem includat etiam infinitatem ſecundum quemcumque alium modum quam eſſe infinitum ſecundum cauſam efficientem, non includat etiam eſſe infinitum ſecundum omnem alium modum, ac per conſequens falſa videtur illa propoſitio, quod eſſe infinitum ſecundum cauſam finalem includat cætera infinita, & non è conuerſo, notandum eſt inquam, quod omnes prędictæ perfectiones includuntur ſe inuicem, & ſunt in ſe inuicem idem, ſed hoc nimirum realiter non formaliter, cum ergo diuerſæ ſint rationes formales prędictarum perfectionum formaliter à parte rei diſtinctæ, diuerſa à parte rei formaliter fundamenta ſunt diſtinctarum formaliter à parte rei negationum finis, ideſt infinita-

tum, quæ quidem negationes quamuis ſint idem realiter ſunt tamen diſtinctæ formaliter, vel non idem formaliter, præſens autem quæſtio inquirit quæ ſit præciſa ratio formalis infinitatis ſecundum eſſentiam, & hanc eſſe negationem finis, ideſt cauſæ finalis, vt iam ſupra probauimus, quamuis iſta negatio ſemper ſit cum alijs negationibus finium aliorum, & identificatæ illis, hoc tamē eſt ſolum realiter, non formaliter.

Secunda Concluſio pro prima parte quæſtionis Deus, & ſolus Deus eſt infinitus per eſſentiam probatur, nam ſolus Deus per eſſentiam eſt vltimus finis, cum agat propter ſeipſum, non propter aliud, quia eſt primum bonum, & bonitas eſt ratio formalis finis propriè dicti, vt moueat in ratione boni, ſolus ergo Deus eſt infinitus per eſſentiam.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Deus ſit æternus.

De æternitate Dei pauca occurrunt, nam cęleri paſſu eſt incedendum, vt ad difficiliores quæſtiones, & magis intentas accedamus.

Deum eſſe æternum nemo vnquam negauit, quia etiam mundum Philoſophi poſuerunt æternum, illud tamen notandum eſt æternitatem dupliciter ſummi poſſe, primo modo pro qualibet duratione, quæ principio caret, & fine, quæ (ſecundum aliquos aſſerentes creaturam ab æterno creari poſſe) illi communicari poteſt, ſemper tamen oppoſita ſententia mihi probabilior viſa eſt, ex definitione creaturæ ab Auguſtino tradita 12. de Trinit. cap. primo, quæ eſt habere eſſe poſt non eſſe, vnde non prouenit ab impotentia Dei, quod non poſſit ab æterno aliquid creare, ſed ex repugnantia rei, cuius eſsentia eſt non poſſe eſse ab æterno, cum de ſui eſsentia ſit habere eſse poſt non eſse, ſi Auguſtino credere velimus; Et quamuis aliqui reſpondeant diſtinguendo, ly, poſt, de ordine, & poſterioritate temporis, vel naturæ, vtraque tamen prioritas, & poſterioritas reducenda eſt ad poſterioritatem, & prioritatem æternitatis, in qua verum eſt ſecundum Auguſtinum creaturam habuiſse eſse poſt non eſse;

neque

neque placet illa prioritas naturæ negatiua, nimirum inquantum eſt de ſe, habuiſſet non eſſe, ſed à Deo haberet ſemper eſſe, nam Auguſtinus non loquitur de eo quod habuiſſet, vel foret habitura, ſed de illo, quod ex ſe habet, & ratione ſui, ſcilicet eſſe poſt non eſſe: Secundo modo æternitas ſumitur magis propriè, & dicitur duratio ſine principio & fine, & cum ſtabilitate eius, cuius eſt duratio, quæ dicitur æternitas per eſſentiam, & hæc ſolius Dei eſt, nullique creaturæ communicari poteſt.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Deus ſit immenſus, & Vtrum Deum eſſe præſentem vbique ſecundum potentiam neceſſariò inferat eſſe vbique ſecundum eſſentiam.

PRæſupponitur in præſenti quæſtione prima pars tamquam certa de fide, Deum eſſe immenſum, & vbique, quod explicant Theologi ſecundum potentiam, præſentiam, & eſſentiam, non ſolum ex auctoritates Scripturæ, & Patrum, verum etiam plurium eximiorum Philoſophorum; Hieremias enim cap. 23. dicit Cœlum, & terram ego impleo, & in Pſalm. 138. dicit Quo ibo à ſpiritu, & quæ ſequuntur, Athanaſius oratione contra Idola, Nazianzenus orat. 34. quæ eſt ſecunda de Theologia, Chriſoſtomus in caput ſecundum ad Coloſſenſes, & Auguſtinus lib. 7. de Ciuitate Dei cap. 30. vbi ait: Implens cęlum, & terram præſente potentia, non abſente natura, quamuis non defuerint aliqui Philoſophi, vt Ariſtoteles lib. de mundo ad Alexandrum, & de cęlo cap. 9. circa finem, & hæretici Manichæi, contra quos diſputat Auguſtinus Eugubinus in verba Pſalmi 138. Si aſcendero in cœlum tu illic es, inquit, Deum eſſe vbique ſolùm ſecundum cognitionem, non ſecundum ſui ſubſtantiam, & eſſentiam; hi omnes negauerunt Deum eſſe vbique.

Præſuppoſita ergo hac veritate inquirunt Theologi cauſam eſſendi Deum vbique ſecundum eſſentiam, & ſubſtantiam, vtrum hoc ſit præciſè ex operatione, itaut ex eo præciſè quod Deus operatur in aliquo loco ſit ipſe ibi ſecundum eſſentiam, & non poſſit ibi operari, & eſſe ſecundum potentiam, niſi ſit ibi ſecundum eſſentiam.

Partem affirmatiuam tuetur Diuus Thomas, & multi eius expoſitores in quæſt. 8. art. 1. Albertus in 1. diſ. 37. art. 1. Bonau. in 1. ar. 1. q. 1. Ægidius diſp. 1 art. 1. quæſt. 1. & 2. Durand. quæſt. 1. Capreol. quæſt. 1. art. 1. concluſ. prima, & multi alij Scholaſtici; quorum præcipuum fundamentum eſt, quod agens dupliciter eſt immediatum, primo modo immediatione virtutis, vt ſola ſua virtute propria agat, non mendicata virtute ab alio agente; ſecũdo modo immediatione ſuppoſiti, vt inter agens, & effectum nullum aliud ſuppoſitum agens intermediet; aliud eſt fundamentum deſumptum ex Ariſt. 7. phyſico. cap. 2. text. 10. quod cauſa debet eſſe coniuncta cum effectu, ex hoc infertur à prędictis Auctoribus, Deum cum ſit agens immediatum duplici illa immediatione non poſſe agere alicubi, quin ſit coniunctus ſecundum ſubſtantiam ſuam effectui, hoc idem probant pluribus auctoritatibus Scripturæ ex Pſal. 138. Si aſcendero in cęlum tu illic es, & ſubdit cauſam, etenim illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua, deducere, & tenere ſignificat actionem, quæ eſt cauſa præſentiæ Dei ſecundum ſubſtantiam in celo, in inferno, in mari, &c. alias auctoritates ſimiles adducunt.

Oppoſita ſententia, & verior eſt Scoti in 1. diſt. 8. quæſt. 1. quē etiam ſequuti ſunt Ocham, Baſſolius, Gabriel Biel, & Gabriel Vaſques in prima p. qu. 8. diſp. 28. cap. 4. & 5. hæc enim tria eſſe alicubi ita diſtincta ſunt, vt vnum nec inferat alterum, nec dependeat ab altero, & relictis cæteris expoſitionibus ſic declarantur eſſe Deum vbique ſecundum eſſentiam eſt præbere realem præſentiam ſuæ ſubſtantiæ, & per ſuam ſubſtantiam omnibus rebus coexiſtere, eſſe per potentiam vbique eſt omnes res producere, & tribuere eis eſſe, & conſeruari, quod eſt in illis operari, hi autem duo modi diſtincti ſunt, nam poſſum ego concipere, Deum exiſtere ſecundum ſuam ſubſtãtiam in aliqua re, vel in omnibus, quin vt operantem illum concipiam, & impoſſibile non eſt ipſum concipi ſaltem per intellectum operantem alicubi, vel in aliqua re à qua diſtet, & non ſit præſens ſecundum ſubſtantiam, eſt ergo ſignum hos duos modos eſſendi eſſe diuerſos, eſſe autem in omnibus per præſentiam ſi accipiatur præciſiuè, vt ab alijs duobus modis diſtinctum, eſt Deum habere in ſuo proſpectu omnia intimè ipſa per ſuam cognitionem penetrando magis quam dux ſuum exercitum quando illum luſtrat.

Hic

Hic notandum eſt, quod Scotus non negat, Deum ſemper extitiſſe, & fore in omni loco, & in omnibus rebus ſecundum eſſentiam, & ſubſtantiam ſuam, vt falsò illi imputat Dionyſius Cartuſianus diſt. 37. q. 1. qua ſi Deus eſſet in aliquo ſingulari loco incluſus, & in remotum, atque diſtans operaretur, ſed hanc exiſtētiam in omnibus inquit, non prouenire ab actione Dei, ſed a ſui immēſitate, & à ſua ſubſtantia, quæ eſt immenſa, & omnia implet, quamuis etiam concipere aliquo modo poſſimus per intellectum, Deum agere in diſtans, vbi non eſſet, ſi per impoſſibile ipſe non eſſet immenſus ſecundum ſubſtantiam, quod hac ratione confirmatur, nam Deus eſt agens per voluntatem, eiuſque omnipotentia eſt ſua volūtas, cum ergo poſſit velle aliquid fieri in remotum, ſicut in propinquum, ſequitur exiſtentiam Dei ſecundum ſubſtantiam non eſſe neceſſariò præſentem, vel inexiſtentem rei, quam producit, quia ſi per impoſſibile Deus eſſet in vno loco determinato, poſſet ſua voluntate agere in loco, vbi non eſſet, ac per conſequens exiſtentia eius ſecundum eſſentiam in rebus non prouenit ab eius operatione in illis, ſed aliundè, & quamuis neceſſariò ſequatur Deum eſſe ſecundum eſſentiam in re, vel in loco vbi operatur, ex quo ſequitur, operationem Dei eſſe rationem, & cauſam, vt ſit ſecundum ſubſtantiam in loco vbi operatur, hæc tamē conſequentia neceſſaria non eſt formalis, ſed materialis, ideſt nō quia operatur hic eſt hic quaſi eius operatio ſit ratio, & cauſa eſſendi hic, ſed eſt ſolum conſequentia materialis, nimirum quia ipſe eſt immenſus, ideò eſt hic vbi operatur, quia ſi immenſus non eſſet poſſet hic operari, & non eſſe hic, vt diximus ſecundum ſubſtantiam.

Multas alias rationes adducit Rada pro hac ſententia, ſed quia procedunt ex fundamentis, quæ ſunt phyſica, & non omnia conceſſa ab Aduerſarijs, vt. ſ. Sol producens aurum vbi non eſt per ſuam formam ſubſtantialem Thomiſtę dicunt Solem eſſe ibi pręſentem per calorem, & radios ſuos, quibus producit ſubſtantiam auri, quod negatur à Scotiſtis, & indiget longa probatione phyſica, quæ non eſt huius loci; alia etiam fundamenta ſunt phyſica, vt agens materiale mediatè per vnam qualitatem, & immediatè per aliam, ſiuè agens per diuerſas potentias, vt ignis calore calefacit, & forma ſua ſubſtantiali producit ignem, ſufficiant duę prædictæ rationes Scoti, quæ multum conuincunt, & Theologicæ

ſunt, vt breuitati ſtudeamus.

Supereſt reſpondere fundamentis contrariæ ſententiæ; ad auctoritatem Ariſtotelis reſpondetur, ipſum loqui de agente materiali, & corporali, cuiuſmodi nō eſt Deus, ſed eſt agens per voluntatem, & ſic non eſt neceſſaria, vt ſit coniunctus cum effectui, ad aliud de immediatione concedimus totum, non tamen inde infertur exiſtentia, ſeu præſentia Dei ſecundum ſubſtantiam in re, quam producit, quin etiam diſtantia inferri poſſit, poteſt enim Deus immediatè agere immediatione virtutis, quia propria virtute producit effectum, & etiam immediatione ſuppoſiti, ita ut nullum aliud ſuppoſitum agens mediet inter ipſum Deum, & effectum, quamuis ſit diſtans ab effectu; Sed cōtra hoc replicant Thomiſtæ illam immediationem ſuppoſiti non ſolum intelligi, vt nullum aliud ſuppoſitum agens mediet, ſed vt ſuppoſitum Dei, ſiuè ipſe Deus ſit ita immediatus effectui, vt neque locus, neque ſitus intermediet, ſed immediationē ſuppoſiti hoc modo neceſſariam eſſe in Deo Aduerſarij non probant, ſed præſupponunt, & conſequenter petunt principium.

Ad omnes alias auctoritates, & rationes, quæ adduci poſſunt reddentes cauſam exiſtendi Deum alicubi ex operatione. Reſpōdetur ipſas verè non reddere cauſam exiſtentiæ Dei ſecundum eſſentiam ex operatione, ſed reddere modum cognoſcēdi ipſum, nam quia Deus ſua ſubſtantia eſt vbique, & immenſus, & hoc nō apparenter cognoſcimus, ex ſigno operationis oſtenditur nobis, Deum eſſe alicubi, vel in cęlo, vel in terris: Rurſus ſi ſequitur vnū ex alio non eſt per conſequentiam formalem, ſed materialem nimirum, quia Deus eſt agens non otioſum, ideo operatur vbi eſt, & è contra, quia eſt immenſus, ideo eſt vbi operatur.

Tres alij modi ſpeciales exiſtentiæ Dei in creaturis ſuperſunt, nam prædicti ſunt generales, primus eſt per vnionem hypoſtaticam, ſecundus per gratiam in viatoribus iuſtis, tertius eſt per gratiam, & gloriam in Beatis, de quibus in materia de Incarnatione, de Gratia, & Beatitudine tractatur.

✠

QVÆ

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Deus ſit immutabilis.

DE immutabilitate Dei optimè notat Vaſques diſput. cap. 3. triplex mutationis genus eſſe in natura rationali, primum eſt ſecundum eſſe nimirum, vt ea ita ſit quod poſſit non eſſe, & hoc modo Deus mutari nequit, quia à ſe ipſo eſt, non ab alio à cuius voluntate pendeat, vt ſit, vel non ſit; Secundum genus eſt ſecundum accidens quomodo omnis creatura mutari poteſt, cum autem in Deo nullum accidens eſſe poſſit, vt probatum eſt in quęſtione de ſimplicitate Dei, & quod neque loco mutari poſſit, ſequitur ab ipſa immenſitate Dei: Tertium genus mutationis eſt propoſiti voluntatis, & cognitionis primo, vt quod quis antea putabat verum, deinde falſum iudicet, ſecundo, vt quod prius decreuerat facere, poſtea agere nolit: tertium deducitur, ex certitudine ſcientiæ diuinæ, quam certiſſimam omnes Theologi prædicant, Scotus in 1. diſ. 39. & D.Thom. in prima p. qu. 15. art. 15. de primo genere immutabilitatis habemus illud primæ ad Timot. 3. qui ſolus habet immortalitatem, de ſecundo accipi poteſt illud Iacobi primi, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, vbi pro tranſmutatione gręcum habet conuerſionem: de tertio genere habemus illud Prouerbior. 19. Multæ cogitationes in corde viri, voluntas autem Domini in æternum manet.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum Deus ſit omnipotens.

MVlta à nobis inculcanda ſunt in præſenti quæſtione pro exacta eius intelligentiâ; Primò quid ſit potentia Dei; Secundò, quæ ſit infinitas eius; Tertiò vnde ſumatur eiuſdem potentiæ infinitatis ratio.

MEM-

MEMBRVM PRIMVM.

Vtrum potentia Dei exequutiua ſit intellectus & voluntas eius, an diſtincta ab illis, ſicut in nobis.

PRimò ſciendum eſt potentiam Dei, de qua nunc loquimur, eſſe actiuam, paſſiuam enim nullam potentiam Deo admittimus, quæ potentia actiua duplex eſt ſecundum Scotum in quolibet. q. 7. cauſatiua, & productiua, prima ſe extẽdit ad res cauſabiles, ſecunda ad res producibiles: res enim quæ ſunt obiecta potentiæ actiuæ in duplici ſunt differentia, vel enim ſunt poſſibilia in quantum diſtinguuntur ab impoſſibili, & hoc modo etiam Deus dicitur poſſibilis, & ſic eſt obiectum potentiæ, non tamen cauſatiuæ, ſed productiuæ, producitur enim Deus Filius, & Spiritus Sanctus, nõ tamen cauſatur, quia cauſatio includit diſtinctionem naturæ inter cauſam, & cauſatum, quæ diſtinctio non eſt in diuinis; poſſibile aliud eſt, quod diſtinguitur contra neceſſarium, & ſic Deus non eſt poſſibilis, ſed ſolum creaturæ ſunt obiecta potentiæ, tum productiuæ, tum cauſatiuæ, quia producuntur ſimul, & cauſantur, cauſatio enim eſt inter illa, quæ ſunt diuerſæ naturæ, & ſic in plus ſe habet potentia productiua, quam cauſatiua; nam Pater æternus habet potentiam productiuam reſpectu Filij, non autem cauſatiuam, quia ipſe non eſt cauſa Filij, ſed principium.

Prima opinio eſt Durand. in 1. diſt. 38. q. 1. aſſerentis, potentiam exequutiuam in Deo ita diſtingui ab eius intellectu, & voluntate, ſicut in nobis in quibus potentia exequens ambulandi eſt in pedibus, loquendi eſt in ore, videndi in oculo diſtincta à noſtro intellectu, & voluntate, ſic etiam in Deo licet intellectus, & volũtas eius ſit principium remotum ſuarum actionum probat Durãdus, nam potentia exequens eſt principium proximum effectus, voluntas verò, & intellectus ſunt principium remotum, ergo, probat minorem: illud quod eſt commune duobus, non eſt ita proximum ad vnum illorum, ſicut, quod eſt particulare ad aliquod vnũ, ſed voluntas, & intellectus ſunt communia principia, vel principium commune rebus creatis, & increatis, & potentia exequens eſt determinata ad res creatas, igitur potentia ſola exequens diſtincta ab intellectu, & voluntate eſt principium proximũ creaturarum.

Op-

Oppoſita ſententia eſt Patris Vaſques in p. p. diſp. 102. cap. 4. qui potentiam Dei exequutricem ponit eſſe ſcientiam, & voluntatem, de Dei voluntate probabimus infra in tertia ſententia, & de ſcientia ipſe probat, nam ex præſuppoſito, quod tantum intellectus, & voluntas Dei concurrunt tamquam potentiæ ad quemlibet effectum, & nulla alia potentia exequutrice interueniente ab illis diſtincta melius eſt ex parte intellectus ponere actum ſuum, nempè ſcientiam poſſibilium practicam, nam ad hoc, vt voluntas reddatur potens, debet concurrere intellectus, & ad hoc vt potens per intellectum, & voluntatem dicatur potens proximum, debet dici potentijs proximis, ſed voluntas eſt proximum principium faciendi in Deo, quia eſt vltimum, & propinquum effectui, intellectus verò non eſt proximum, quia intercedit actus eius inter ipſum, & voluntatem, igitur ipſe actus .i. ſcientia, quæ propinquius operatur debet pertinere ad potentiam Dei, potius quam intellectus.

Sed non apparet vnde perſuaſus ſibi fuerit Vaſques alicuius potentiæ actum conſtituere potentiam, vel pertinere ad illius rationem formalem.

Tertia ergo ſententia probabilior eſt, & nobis tenenda, ſi loquamur cum diſtinctione, nam vt præſuppoſuimus in principio quæſtionis duplex eſt potentia, actiua ſcilicet cauſatiua, & productiua, loquendo de potentia præcisè productiua, non cauſatiua, quam Filius, & Spiritus Sanctus fuerunt producti, tum intellectus, tum voluntas ſunt potentiæ productiuæ diuerſæ tamen rationis, quibus ſolus Pater dicitur omnipotens, quia ſe extendit ad omne producibile, producit enim, & cauſat Pater cum Filio, & Spiritu Sancto res ad extra, & producit cum Filio ad intra Spiritum Sanctum voluntate, tamquam potentia, & producit ſe ſolo Filium intellectu; ſi autem loquamur de potentia cauſatiua ſimul, & productiua, ſcilicet ad extra, qua producuntur res alterius naturæ à producente in rerum natura, non autem in eſſe intelligibili, & cognito, ſiuè obiectiuo, ad quod eſſe ab intellectu res producuntur, de quo eſſe non loquimur in præſentiarum, ſi quidem omnipotentia Dei propriè reſpicit res producibiles ad extra in rerum natura, voluntas eſt potentia, qua formaliter dicitur Deus potens, & omnipotens, non intellectus diuinus, licet præſupponatur actio intellectus, qua productæ fuerunt vt in eſſe cognito, & res accepto

eſse

eſſe cognito,& intelligibili ab intellectu in primo inſtanti naturę hēt,vt inquit Sc.in 1.d.43 q.vn.ex ſeipſa,in ſecundo inſtāti naturę eſſe poſſibile,quia ſeipſa formaliter non repugnat ſibi eſſe, & ſeipſa formaliter repugnat ſibi habere eſſe neceſſarium ex ſe , in quibus duobus ſtat tota ratio poſſibilis, & in quibus reſpondet rationibus potentiæ actiuæ , concluſio ergo ſequitur in quæſtione propoſita voluntatem, ſcilicet diuinam eſſe potentiam Dei , & non diſtingui,nec inueniri in iſto aliam potentiam proximiorem exequutiuam à voluntate diſtinctam.

Primo probatur Concluſio , intellectum non eſſe potentiam actiuam ad extra,de qua loquimur , tum quia ipſe tantum producit res in eſſe intelligibili,non in eſſe reali, tum quia creaturæ acceperunt eſſe poſſibile poſt actionem intellectus diuini , & potentia propria alicuius effectus præſupponit ipſum effectum iam habere eſſe poſſibile ante actum illius potentiæ, quando res enim non habet poſſibilitatem eſſendi in aliquo eſſe , tum nulla eſt potentia potens producere illam in tali eſſe pro tunc ; ſed quando Deus produxit creaturas per actum ſui intellectus,ipſę non habebant eſſe poſſibile ad extra, & in rerum natura , vt diximus pro eodē inſtāti , ergo intellectus pro tunc nō potuit eſſe potētia actiua rerum creatarum , de qua nunc loquimur : Secundo probatur quod intellectus diuinus , neque nunc quando actualiter producitur res in rerum natura ſit potentia,nam hæc de qua loquimur eſt potentia proxima immediatè attingens effectum , ſed voluntas eſt,quæ immediatè attingit , & intellectus nil aliud facit , quam oſtendere voluntati ipſam rem producibilem , igitur non eſt intellectus potentia iſta actiua ; Tertio probatum eſt non poſſe eſſe potentiam actiuam , nec poſſe ipſam conſtituere actum intellectus diuini,qui eſt ſcientia,de qua Vaſques: Quarto probatur,nullam aliam potentiam exequutiuam eſſe in Deo reſpectu ad extra præter ſolam voluntatem,cum hac tamen aduertentia , quod voluntas ſe ipſa abſolutè ſumpta non habet rationem potentiæ, ſed cum reſpectu,ſcilicet inquantum habet rationem principij,& habet efficacitatem,ad res producendas , nam licet multiplicentur perfectiones diuinæ, ſiuè ſecundum rem,ſiuè noſtro modo concipiendi,nunquam tamen perfectiones , nec facultates in Deo etiā ſecundum noſtrum modum intelligendi,multiplicare debemus, ſi aliquo modo perfectioni,& efficacitati illius infinitæ derogetur,

con-

conſtituere autem in Deo potentiam exequutiuam diſtinctam à voluntate eſt derogare perfectioni, & efficacitati voluntatis diuinæ ergo, probatur minor, nam ſicut in nobis ideo voluntas noſtra eſt impotens ad facienda multa exercitia, quæ vult, quia indiget potentia exequutiua, & alia facultate vt inſtrumento, ita erit impotens, & ſic non infinitæ, & perfectę virtutis voluntas diuina, ſi indigeret alia facultate, & potentia exequutiua ad faciendum res.

Ad hoc reſpondent aliqui, quod Deus potens eſt operari extra ſe, quatenus infinitus eſt non in genere ſcientis, nec volentis, ſed ſimpliciter in genere entis, & ſic ratio omnipotentiæ conuenit Deo non ratione intellectus, aut voluntatis, ſed ratione ſuæ eſſentiæ, quę infinita ſimpliciter eſt in genere entis, quia Deus qui eſt ſua infinitas ſecundum eſſe, non tantum ratione ſuæ eſſentiæ habet ex ſe eſſe, ſed etiam poſſe operari.

Sed cōtra hoc eſt, nã ſit eſt attribuere attributũ potētię ipſi eſſentię Dei, prout eſſentia eſt diſtincta ab omnibus attributis, & ſic eſt negare peculiare attributũ omnipotentię diuinę, nam licet Deus, eiuſq; eſſentia ſit infinita ſecundum ſe in genere entis, hæc infinitas non modificat potentiã, ſed eſſentiã, igitur eſſentiã ſecundum ſeipſam eſt infinita in quantum diſtinguitur à potentia, quæ quidem potentia, licet ſit diſtincta ex natura rei ab eſſentia eſt ipſamet voluntas, vt ſupra probatum eſt. Hanc ſententiam tenet Scotus in 1. diſ. 37. q. 1. quando probat, poſſe Deum intelligi operari vbi non eſſet ſecundum eſſentiam, ſic alioquin non eſſet immēſus, & ſubdit rationem, quia ſua omnipotentia eſt ſua voluntas, idem tenet Baſſolius in 2. diſ. 8. q. 1. Ferrar. 2. contra gentes, Caietanus cum Diuo Thoma in 1. p. q. 25. a. 1. ſolutione 4. ad ſecundum argumentum.

Auctoritates Sacræ Scripturæ, & Patrum, vt Pſal. 121. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, & ſimiles non cogunt, neque demonſtrant intentum, nam etiam in illis, qui habent potentias exequutiuas diſtinctas à voluntate, vt in homine idem dici poteſt, vt Franciſcus ambulat quando vult, & vbi vult, & hoc ſolum connotat tales actiones ſubdi voluntati hominis, non autem exequi ab illa.

Ad argumentum Durandi reſpōdetur, non ex eo ſequi, voluntatem diuinã quæ eſt communis, creatis, & increatis non eſſe principium

Digitized by Google

cipium proximum vtriuſq; ſub diuerſa tamen ratione, nimirũ in quantũ eſt principium producendi Spiritum Sanctũ, & in quantũ eſt principium producendi creaturas, oculus enim corporeus exiſtens principium videndi albũ, & nigrum indifferens, nõ propter hoc non eſt principium proximum ſe ſolo videndi vtrumque.

Ad rationẽ Vaſques reſpondetur ſcientiã, & actum intellectus, ſiuè ipsu intellectu requiri ad producendũ res, tamquam conditio quædam præ requiſita, non tamquam principium producendi.

MEMBRVM SECVNDVM.

Quæ ſit infinitas Potentiæ Dei.

POtentiam Dei eſſe infinitam præſupponitur in hoc dubio, ſed inquiritur titulus propoſitus; Et primo notandum eſt, nos non loqui de potentia exequutiua, quæ eſt ipſa voluntas, de qua in ſuperiori membro dictum eſt, ſed de ipſa potentia ideſt vi, & virtute Dei, qua Deus eſt potens, vt poſtea ſua voluntate producat effectum, ſicut potentia viſiua eſt diſtincta ab oculo, qui eſt potentia exequutiua illius primæ potentię, & virtutis conſequens illam, nam hoc modo diſtincta attributa ſunt potentia, ſeu omnipotentia, & voluntas in Deo, ſiuè ex natura rei, ſiuè ratione.

Pater Suares lib. 3. c. 9. hanc potentiam diſtinguit in potentiam intenſiuam, & extenſiuam, intenſiuam Dei potentiam inquit, nõ eſſe infinitam infinitate in genere, ſicut ſcientia, & voluntas, & cætera attributa, vt æternitas, immenſitas, & bonitas, ſed eſſe infinitam ſimpliciter, ſolum in genere entis, nam commenſuratur infinitati eſſentiæ diuinæ, quæ eſt continere in ſe eminenter omnes creaturas, ſic etiam infinita dicitur potentia Dei ſimpliciter ſicut eſſentia, quia in producendo continet eminenter omnem effectum producibilem, & addit iſtam potentiam intenſiuè infinitam non eſſe ſicut facultas addita ipſi eſſentiæ Dei, ſed eſſe ipſãmet eſſentiam diuinam, vt per ſe immediatè operatiuam tamquam principium principale, & immediatum operationis ſicut potentia calefaciendi reſpectu caloris, non dicit potentiam illi additam, ſed ipſum calorem, vt actiuum per ſe ipſum, quia inquit potentia Dei non ſolum eſt actiua per modum principij, quo proximi, ſed per modum principij principalis, vt quod, loquendo autem

tem de potentia Dei extenſiua, inquit rationem infinitatis eius eſſe, vt extendatur ad omne poſſibile, ſiuè non repugnās ſine determinatione latitudinis entium poſſibilium, quia hoc demonſtrari à nobis non poteſt, propter hoc impugnat aliquas rationes ab alijs adductas probantes talem infinitatem alicuius Dei operationis, vt potentię mouentis velocius, & velocius in infinitum, aut creantis, vt .ſ. producat infinitos effectus ſimul vel ſucceſſiue.

Verum tamen hæc opinio Patris Suares, quoad ſecundam partem de potentia extenſiua, licet mihi probetur, vt infra oſtendā, prima tamen pars de potentia intenſiua nō quadrat, ex eius enim modo, & ordine dicendi ſatis patet, ipſum non facere diſtinctionem aliquam inter eſſentiam diuinam, & diuinam potentiam, nec rationis quidem, quia hoc modo ſecundum ipſum ſequitur, potētiam diuinam intenſiuam non eſſe attributum Dei, cum nullo modo illam diſtinguat ab eſſentia, neque ſecundum noſtrum modum intelligendi, quod apud omnes eſt falſum. Dicēdum eſt igitur potentiam Dei ſiuè intenſiuam, ſiuè extenſiuam eſse facultatem quamdam, & vim cui attributi nomen Theologi aſſignant, & cōſequenter diſtinctam eſſe ab eſſentia Dei, principium tamen quo, non quod, operationum Dei, quarum principium quod, eſt ipſe Deus, & parū vel quaſi nihil differunt potentia intenſiua, & extenſiua, nam continere in virtute omnes effectus, & poſſe producere illos idem quaſi eſt; loquendo igitur de potentia Dei infinita ex parte obiecti, vnde infinitatem ſumere debemus, dubium eſt de quo infra.

MEMBRVM TERTIVM.

Qua ratione talis Potentia infinita Deo conueniat.

PRima ratio, quam reddit Gregorius, & tenet Vaſques loco citato quare dicatur potentia Dei infinita eſt, quia, quodlibet corpus, ita eſt aptum natum moueri, vt velocius, ac velocius in infinitū moueri poſſit ac requirat; neceſſe eſt igitur inueniri talem potentiam, quæ poſſit illud velocius, ac velocius ſine termino mouere, ſed hæc potentia debet eſse infinita, quam Deus habet, inde ergo probatur infinitas potentiæ Dei, probatur minor, ſi enim finita eſset omnis potentia haberet terminum in mouendo

tale

tale corpus,& ſic non moueret ſine termino,quod eſt ratio infiniti;ſed quamuis hæc ratio probet infinitatem potentiæ Dei, at nimis arctat rationem eius infinitatis ad motionem, ſcilicet corporum,cum ex pluribus demonſtrari poſſit quod melius eſt.

Secunda ratio eſt Enrici in ſumm.ar.2.quæſt.6. & Diu.Thom. in prima p.q.45. ar.3. & 5. qui ex creatione probant infinitatem potentiæ, quanto enim minor eſt potentia in aliquo effectu producendo,tanto maiori virtute eget agens,vt producat illum , & ſic proportionaliter in infinitum,ſi ergo nulla eſt potentia in aliquo effectu,vt producatur,infinita debet eſſe in agente, vt producat illum,quia inter nihil,& ens diſtantia infinita eſt ; hæc tamen ratio impugnatur à Scoto in 1.diſ.2.q.2. §.oſtenſis igitur, & à Durando dicentibus inter ens,& nihil non eſſe diſtãtiam infinitam, licet nulla ſit proportio inter illa , & ſic etiam inter nullam potẽtiam,& quemlibet effectum,quia illud ens,cui opponitur nihil,finitum eſt,& ille effectus,cui nulla potentia reſpondet finitus etiã eſt,& dicitur impropriè diſtare infinitè ens,& nihil ; nimirũ quia nunquam vnum aliud attinget nec per augmentum , nec per decrementum. Vbi notandum eſt diſtantiam inter poſitiuum , & negatiuum ſumendam eſſe ex parte poſitiui, quod ſi erit finitum, finita erit etiam diſtantia inter ipſum,& nihil,ſiuè negatiuum ſibi oppoſitum ; ſi verò poſitiuum erit infinitum , infinita etiam erit diſtantia inter ipſum,& negatiuum,ſiuè nihil,vnde ſequitur,quod inter Deũ,& nihil eſt vera diſtantia infinita , inter creaturas autem,& nihil non eſſe infinitam; cum ergo obiectum creationis ſit finitum non ex diſtantia illius a nihilo ſumenda erit infinitas potentiæ agendi ad creandum illud .

Tertia ratio eſt Durandi in 1.diſ.43.q.1. & aliorum admittentium rationem infinitatis in potentia eſſe , quia poteſt producere infinitos effectus ſimul,vel ſucceſſiuè,nam id quod ſucceſſiuè in effectu inuenitur,virtute ſimul eſt in potentia cauſæ,ergo. Vaſques, & Suares impugnant hanc rationem , nam ex illa ſequeretur Solem fore eodem modo infinitum,ſi perpetuò duraret, quia ſic ſucceſſiuè infinita producere poteſt; ſed futilis eſt impugnatio,nam licet Sol ſucceſiuè produceret infinita,non tamen continet illa in ſui potentia ſimul,ſed eodem modo ſucceſſiuè continet,ſicut fiunt, ex hac ergo parte probaretur infinitas potentiæ Dei , quia Deus ſimul continet effectus non ſucceſſiuè ſicut Sol , ſed melius impu-

gnatur

Digitized by Google

gnatur prędicta ratio durandi,quia licet Sol poſset producere infinitos effectus,& conſeruare ſimul illos infinitos productos, ſi tamen illi effectus ſunt in certo gradu limitatæ perfectionis, poſſet alia potentia infinita ſuperior Sole illos conſeruare,& ſic non rectè probatur infinitas potentiæ agentis ex multitudine infinita effectuum.

Proprior ergo ratio, ac præciſa infinitatis potentiæ mihi videtur eſſe,quod effectus poſſit produci vnus, vel plures, vel etiam infiniti magis,ac magis perfectè in infinitum, & maioris,ac maioris perfectionis, ſine termino, quæ quidem negatio termini perfectionis in effectu eſt ratio infinitatis potentiæ in cauſa ſiuè in diuerſis ſpeciebus,& infinitis, ſiuè in eadem ſpecie, cum enim dato vno effectu cuiuſcumque ſpeciei poſſit Deus intra eamdem ſpeciem alium perfectiorem producere, & illo alio dato, poſſit aliam perfectiorem, quo etiam alium magis perfectum Deus producere poſſit in infinitum, & ſine termino, hoc neceſſariò eueniet,& non aliter niſi a potentia infinita,quę ſi nō inueniretur, (ſed omnis potentia finita eſſet) daretur terminus in perfectione rerum creatarum, quem non liceret tranſigere, quod falſum eſt apud omnes, propter hoc igitur Deus dicitur infinitam habere potentiam intenſiuam,& extenſiuam, quia perfectiorem, & perfectiorem effectum vſque in infinitum ſine termino producere poteſt, ſaltem in eadem ſpecie, quod apud omnes locum habet, nam non omnes concedunt infinitas ſpecies paſſibiles.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum Deum eſſe omnipotentem ratione naturali demonſtrari poſſit, & quare dicatur Deus omnipotens.

PRima pars huius quæſtionis præſupponit Deum omnipotentem, cum enim probatum ſit in ſuperiori quæſtione Deũ habere potentiam infinitam clarè patet habere omnipotētiam, q̃ vel eſt formaliter ipſamet potētia infinita, vel illã conſequitur.

Scotus in primo diſ. 42. quæſt. prima, & Gabriel eadem diſtinctione artic. primo, & ſecundo reſpondent cum diſtinctione, quod omnipotentia illa, qua Deus aliqua per ſeipſum, & aliqua neceſſariò cum cauſis ſecundis omnia facit, & poteſt facere, benè demonſtratur naturaliter ex ratione infinitæ potentiæ iam demonſtratæ, vel ſaltem intentæ ab Ariſtotele octauo phyſicor. omnipotentia verò illa, de qua Theologi loquuntur, qua Deus omnia ſeipſo poteſt facere ſine concurſu cauſarum ſecundarum, cum ſit agens liberum contra Philoſophos, naturaliter, & à Philoſophis nunquam demonſtrata eſt, nec demonſtrari poteſt.

Vaſques in prima parte diſput. 104. inquit, poſſe etiam naturali ratione demonſtrari ex ratione infinitatis potentiæ, ſi enim potentia Dei infinita eſt, omnipotentia erit, vel eam includit, ſicut ergo ratione naturali demonſtratur infinita potentia, ita etiam omnipotentia; ſed toto cœlo fallitur, nam potentia infinita demonſtrata eſt à Philoſophis, ſed non illa, qua Deus ſe ſolo, & immediatè omnia poteſt facere, cum Philoſophi ponant neceſſariam connexionem cum cauſis ſecũdis ſaltem, quoad plures effectus præſupponendo etiam primam cauſam habere infinitam potentiam, illa igitur infinita potentia, qua Deus ſe ſolo ſine cauſis ſecundis omnia poteſt non eſt adhuc demonſtrata à Philoſophis, nec demonſtrari poteſt naturaliter, & hæc eſt omnipotentia de qua loquimur.

Quo ad ſecundam partem quæſtionis Gabriel inquit, Deum eſſe omnipotentem, quia poteſt omnia poſſibilia, & poſſibile eſſe obiectum omnipotentiæ, ſed hæc declaratio non placet, quia aſſerit poſſibilia, antequam referantur ad ipſam omnipotentiam non eſſe poſſibilia, ſed ab ea habere, vt poſſibilia ſint, quia poſſibile eſt, quod à potentia fieri poteſt, nã potentia, & poſſibile cũ ſint relatiua, vnum per alterum definitur.

4 Sed iſte modus dicendi meritò ab omnibus refellitur, tum

quia

quia committitur circulus, & fallacia petitionis principij, & nulla fit demonſtratio, quia omnipotentia Dei hoc modo non ſcitur per aliud manifeſtius ſe, idem enim eſſet dicere, Deus eſt omnipotens, quia poteſt omnia poſſibilia, vel ideò poteſt omnia, quia eſt omnipotens; inſuper impugnatur auctoritate Philoſophi quinto metaphyſic. cap. 25. vbi probat inueniri quædam relatiua, quæ ideò ſunt talia, quia alia ad ipſa prius referuntur, vt menſurabile, ſcibile, & intelligibile, eo dicitur relatiuum, quia aliud ad illud dicitur, quo eſt prius, itaque poſſibile eſt ad quod refertur potentia, & ſic prius habet eſſe ipſum poſſibile in eſſe poſſibilis, quã ipſa potentia ſit, ſicut ſcibile prius eſt ſcientia.

Vaſques in loco ſupra citato referendo opinionem Scoti reprehẽdit illum in eo, quod inquit tale eſſe poſſibile habere res ab intellectu; prius enim ait Vaſques eſt, rem habere eſſe poſſibile, & poſſe eſſe, poſtea verò intelligi; ſed fallitur, nam putat velle Scotum intellectum diuinum intelligere tantum res, & non producere illas in eſſe intelligibili, quod non eſt verum, & præſupponendo in idem coincidere opinionem Diui Thomæ, & Scoti quod non intellexit Vaſques, nempe entia poſſibilia eſſe obiectum omnipotentiæ, quatenus præſupponuntur ad omnipotentiam, quod idem inquit Scotus in primo diſtinctione 43. ſicut Diuus Thomas in prima parte quæſt.25.artic. tertio, vnde ſumpſit Vaſques ad quod addit Scotus res poſſibilis eſt, quæ ſeipſa formaliter non repugnat ſibi eſſe,& ſeipſa formaliter repugnat ſibi habere eſſe neceſſarium ex ſe,in quibus duobus ſtat tota ratio poſſibilis, deinde ibidem nihil aliud facit Scotus, (niſi declarare vnde res habeant tale eſſe poſſibile) nimirum originatiuè, & formaliter,& inquit originatiuè ab intellectu diuino, qui producit res in eſſe intelligibili,& cognito in primo inſtanti naturæ,ex quo formaliter habent in ſecundo inſtanti eſſe poſſibile ex ſe formaliter,quod eſſe poſſibile, licet ſit poſterius omnipotentia abſolutè ſumpta,eſt tamen prius illa relatiuè ſumpta, quod totum veriſſimum eſt, vnde patet Vaſques fruſtrà,& ignarè reprehendere Scotum,nam ſecundum Scotum intelligere res poſſibiles, non eſt producere illas in eſſe poſſibili, vt ait Vaſques ex mente Scoti, ſed prius eas producit in eſſe cognito, & obiectiuo; poſtea ex ſe ipſis formaliter recipiunt eſſe poſſibile deinde eas intelligit, igitur ſecundum Scotum intellectio non eſt productio. Miror quod

diſtinctæ, & per conſequens vt ſic non poſſunt facere vnum infinitum, ſic nec tres perſonæ, vt ſunt tres faciunt vnum Deum, deſtruit etiam ſuppoſitum quæſtionis, quia ſi non obſtante, quod relationis originis ſint tres faciunt vnum infinitum, iam non ſumuntur, vt ſunt inter ſe diſtinctæ, & ſub ratione formali relationum oppoſitarum, ſed vti communicant in aliquo eſſe communi.

Ex ſecunda via arguitur, omnè infinitum formaliter eſt communicabile, nulla relatio originis eſt communicabilis, cum ſit ratio incommunicabiliter exiſtendi, & conſequenter primo, & per ſe incommunicabilis, igitur non eſt infinita; maior probatur, perfectio ſimpliciter ſimplex eſt communicabilis, infinitum formaliter eſt perfectio ſimpliciter ergo, minor huius patet, maior probatur, ex definitione perfectionis ſimpliciter, quod ipſa ſit melius, quam non ipſa in quocumque ſupple ſuppoſito entis cuiuſcumq; naturę, & per conſequens omni enti non repugnat, & conſequenter omni enti eſt communicabilis.

Ad hanc rationem reſpondet Suares lib. 3. c. 10. relationes originis dicere perfectionem ſimpliciter, quatenus nullam imperfectionem includunt, & ex hac parte opponuntur perfectionibus creatis, & limitatis, quę propterea non dicunt perfectionem ſimpliciter, de qua loquitur Anſelmus quod ſit melior ipſa, quam nõ ipſa in quocumque, quia vna relatio originis eſt melior ipſa quam non ipſa in vna perſona, & non in altera, vt paternitas in Patre, & non in Filio, & ſpiratio actiua in Patre, & in Filio, & non in Spiritu Sancto, & hoc prouenit ex oppoſitione illarum non ex infinitate formali, quia omnes ſunt ęquè pariter infinitæ dumtaxat relatiuæ, non abſolutæ.

Contra hoc arguitur, ſi relationes originis dicunt perfectionē infinitam, & vna eſt ita propria vni perſonæ, vt non poſſit competere alteri, & hoc non prouenit ex infinitate, ſed ex oppoſitione, ſequitur ſaltem ex hac doctrina, quod propter eamdem oppoſitionem in Patre, & Filio ſit vna perfectio, quę non ſit in Spiritu Sancto, nempè ſpiratio actiua propter oppoſitionem ad ſpirationem paſſiuam, ex quo vlterius ſequitur Patrem, & Filium eſſe perfectiones Spir. S. ita Scot. 1. diſt. 13. q. vn. §. Aliter ponuntur, arguit, nulla relatio realis eſt formaliter perfectio infinita, quia tunc perſona aliqua in diuinis nõ haberet omnem perfectionem infinitam formaliter hoc autem eſt hæreticum; relationes ergo

originis nullam prorſus perfectionem,& infinitatem dicunt.

Ex tertia via arguitur infinitum formaliter taliter identificat ſibi rem habitam,vt vera ſit prædicatio eius de illa, & è conuerſo non ſolum in concreto,ſed in abſtracto, at relationes originis,ſiuè accipiamus oppoſitas nec in concreto, nec in abſtracto prædicantur de ſe inuicem, non ſolum enim Pater non eſt Filius, ſed nec paternitas eſt filiatio; ſiuè accipiamus diſparatas etiam in eodem ſuppoſito,vt licet Pater ſit ſpirans,vel ſpirator, nõ tamen paternitas eſt ſpiratio,igitur relationes originis non ſunt infinitæ formaliter,alioquin ſi eſſent infinitæ,& diſtinctæ realiter, & vna non eſſet alia,eſſet compoſitio in diuinis, quam compoſitionem negat D. Aug.lib.3.c.4.contra Maximin.ſi poteſt dicere Patrem ſimplicem,& tamen iuſtum,bonum,ſapientem,quanto magis vnus Deus ſimplex,& tamen Trinitas, ergo relationes originis nullam perfectionem, & infinitatem formalem dicere poſſunt, prima maior ſyllogiſmi probatur; nam omnis prædicatio vera fit propter identitatem terminorum eius, quæ quidem identitas prouenit, vel ab eodem ad ſe ipſum, vel ab infinitate formali vnius, ſeu vtriuſque extremi, vel ex concernentia ad aliud, ſed hæc prædicatio paternitas eſt ſpiratio eſt omnimodo falſa ergo, maior huius ſyllogiſmi probatur, & declaratur, quoniam concernentia vel eſt vtriuſque termini, ad tertium,vt album eſt dulce in lacte, eſt vera, albedo eſt dulcedo eſt falſa; vel vnius termini,vt accidentis tamquam accidentis ad ſubiectum,vt homo eſt albus vera, humanitas eſt albedo falſa; vel tamquam proprij ad principium, vt homo eſt riſibilis, vera,humanitas eſt riſibilitas,falſa; vel tamquam definitionis ad definitum,vt homo eſt animal, vera, humanitas eſt animalitas,falſa; concernentia igitur nulla interuenit in hac propoſitione,quæ faciat ipſam eſſe veram; cum ambo termini ſint abſtracti,paternitas eſt ſpiratio,nec in illis eſt identitas vnius vel eiuſdem ad ſeipſum, vt patet, quia ſic diceretur paternitas eſt paternitas & non diceretur paternitas eſt ſpiratio; ſicut etiam dicitur, eſſentia eſt deitas,nec eſt infinitas formalis, vt in vtroque extremo, ſicut eſt in iſta,eſſentia eſt bonitas;nec in vno extremo,vt in hac,eſſentia eſt paternitas,nulla ergo prædicatio eſt vera in illis terminis, & per conſequens nullum fundamentum identitatis, nec etiam ipſa infinitas formalis, quam quidem ſi haberent, vera vtique eſſet

præ-

prædicatio in illis, & verè diceretur paternitas eſt ſpiratio, quod tamen eſt falſum.

Reſpondent ad hanc rationem Aduerſarij quod relationes originis ſunt infinitę formaliter, & tamen non prædicantur de ſe inuicem, quia ratione diſtinguuntur, quę diſtinctio impedit prędicationem inter illas, contra hoc arguitur, talis diſtinctio non impedit prædicationem, ſed aliundè prouenit impedimentum; nam quando dicimus, iuſtitia eſt bonitas, eſt vera propoſitio propter infinitatem formalem, à qua prouenit identitas terminorum, à qua prouenit prædicatio inter illos, paternitas verò eſt ſpiratio, omninò eſt falſa; igitur nullum fundamentum habent prædicationis, nec infinitatem formalem.

Reſpondent adhuc Aduerſarij, quod hæc eſt vera, ſapientia eſt iuſtitia: hęc eſt falſa attributum ſapientiæ eſt attributum iuſtitię; quia attributa diſtinguũtur ratione, & ſimiliter paternitas, & ſpiratio actiua diſtinguuntur ratione, & ideò non prædicantur de ſe inuicem. Contra hoc arguitur: attributum dicit quodammodo ſecundam intentionem, & relationem rationis circa id, de quo dicitur, quia eſt vniuerſale, & commune pluribus, nimirum iuſtitiæ bonitati, ſapientiæ, & ſimiliter notio dicit commune pluribus ideſt paternitati, filiationi, & ſpirationi actiuæ, & paſſiuæ, igitur ſicut ſapientia, & iuſtitia dicuntur duo attributa, & paternitas, & filiatio duæ notiones, quia numerantur, cum habeant commune vniuocum, ſecus eſt de habentibus commune æquiuocum; nam ſydus cæleſte, & animal marinum, & terreſtre non dicuntur tres canes, & hoc non obſtante, ideſt quod attributa, & notiones, numerantur, & vnum attributum non ſit aliud, & vna notio non ſit alia, attamen vera eſt iſta, ſapientia eſt iuſtitia, & falſa iſta paternitas eſt ſpiratio actiua; igitur veritas illius propoſitionis prouenit ab infinitate formali extremorum, quam ſi haberent extrema ſecundæ propoſitionis, vera vtique eſſet.

Plurima argumenta fiunt contra hanc noſtram doctrinam. Primò omnis actio adæquata principio, & termino infinito eſt formaliter infinita, ſed generatio diuina eſt adæquata principio, quod eſt memoria fęcunda ſeù eſſentia diuina, & etiam termino, qui eſt Filius, quæ ſunt infinita, igitur generatio eſt infinita. Reſpondetur adæquatio eſt duplex. Prima eſt ſecundum quantitatem molis, vel virtutis, ſecundum quam ęqualia entia dicuntur, &

iſto modo non eſt adæquata productio diuina termino, vel principio; altera eſt ſecundum proportionem,& adæquatum dicitur alteri quod eſt ſibi improportionatum,& iſta eſt duplex adæquatio ſecundum intenſionem,& ſecundum extenſionem, & vtraque poteſt eſſe effectus ad cauſſam,ſed prima eſt quando eſt ita perfectus effectus,vt perfectior non poſſit produci,vt ſi Sol produceret in ſummo perfectam lucem, ſeu calorem. Secunda eſt quando cauſſa non poteſt habere alium effectum vltra illum; primo modo non eſt proportionata generatio diuina ſuo principio, nec termino,quia ſic haberet aliquam perfectionem; ſecundò modo eſt proportionata nimirum quantum ad extenſionem, quia eius principium non poteſt ſe extendere ad aliam generationem.

Secundò arguitur; ratio ſubſiſtendi eſt ratio perfectiſſimè eſſendi,at relationes originis ſunt huiuſmodi,ergo; & conſequenter ſunt formaliter infinitæ,quia perfectio diuina infinita eſſe debet. Reſpondetur duplex eſt ſubſiſtentia, vel ratio ſubſiſtendi communicabiliter,& incommunicabiliter, prima eſt perfectiſſima,non autem ſecunda propter rationem dictam; nam quod dicit eſſe perfectiſſimum eſt perfectio ſimpliciter, & per conſequẽs communicabile,& non incommunicabile.

Tertiò omne ens eſt bonum,quia cum ipſo conuertitur,relationes originis ſunt entia; ergo ſunt bonæ; ergo ſunt perfectæ: ergo infinitam perfectionem dicunt. Reſpondetur, perfectum duplex primum perfectione tranſcendentali quæ ſolum excludit negationem entis,vel defectum ſecundum propriam naturam; ſecundum perfectione quantitatiua, per quam ens poteſt eſſe menſura,vel menſuratum excedens,vel exceſſum ab alio;mox relationes ſunt bonæ,& perfectæ primo modo,ſcilicet in quantum non includunt imperfectionem aliquem, ſeù defectum in ſui eſſe, non autem ſecundò modo, quæ eſt perfectio poſitiua.

Quartò Relationes originis ſunt appetibiles,quia ſunt obiecta diuinæ voluntatis ergo ſunt bonæ,& perfectæ. Reſpondetur, eas eſſe appetibiles non ſecundum ſe,ſed ratione eſſentiæ diuinæ quæ eſt earum fundamentum, & per hoc non dicunt perfectionẽ, ſed nec dicunt imperfectionem.

SECTIO

SECTIO V.

DE NOTIONIBVS.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum in Diuinis ſint tantum quinque notiones, ſcilicet Innaſcibilitas. Paternitas, Filiatio, Communis Spiratio & Proceſſio

PRætermiſſa opinione Gregorij Præpoſitiuum ſequentis in 1.diſ.26.q.2. & dicentis notiones diuinas non in rebus, ſed in noſtris conceptibus ſitas eſſe,& ab illis oriundas, imò eſſe ipſoſmet eas notiones; ſiquidem notitia, ſeù notio conceptus eſt, huic tamen obuiandum eſt notando conceptum ipſum deſumptũ eſſe à re eiuſque proprietate, ac proinde eſſe ipſammet notionẽ, quod clarè expreſſit D. Baſil epiſ.43. inquiens notionem eſſe cognoſcibile ſignum; cognoſcibile enim conceptu natura ſaltem prius eſt,& inferius applicat ad propoſitum dicens,quia ergo neceſſarium eſt diuinas perſonas, vt diſtinctas cognoſcere ideò etiã neceſſe eſt,vt per quaſdam proprias notiones in confuſas habeatur in Trinitate comparatio; at verò notiones nil aliud,quem ipſæ proprietates perſonales ſunt; ergo in re, & non in intellectu conſiſtunt; ſed cum circa controuerſiam omnes DD.Scholaſtici ſupradictas veras eſſe notiones affirment. Laborandum tamen nobis eſt circa eſſentiam notionis, quæ qualiſuè ipſa ſit, deindè applicandum cuilibet earum dictarum, poſtremo quædam argumenta proferre,vt veritas magis eluceſcat.

Primò ergo notandum, ad notionem quatuor conditiones requiri. Prima quod non ſit communis tribus. Secunda quod dicat aliquod ſpeciale,& ideò produci à Patre non eſt notio,nec Filij, nec Sp. Sancti. Dices ex hoc ſequi produci à duobus,ſeù potius duo producere vnum,vt Pater,& Filius, qui producunt Spiritum Sanctum pariter non fore notionem,non enim eſt ſpeciale vnius. Reſpondetur diuerſam eſſe rationem; nam produci à Patre ſic abſolutè prolatum non dicit quid vnum,ſiuè vnam productionẽ, ſed

ſed duas,ſcilicet generationem, & ſpirationem, producere verò duo vnum, dummodo ſit vna productio ſicuti eſt in Patre,& Filio vna ſpiratio actiua notio eſt illorum. Tertia conditio eſt quod pertineat ad dignitatem,ideo non producere aliam perſonam nō eſt notio Spiritus Sancti,quia hoc non dicit dignitatem. Quarta eſt quod notificet quod per aliam notionem notificatum nō erat; ideo inſpirabilitas non eſt notio Filij, quia filiatio declarat Filiū non Spiritum,ſed genitum,ſicut reuera eſt.

De generatione actiua,generatione paſſiua,& ſpiratione paſſiua, quæ proceſſio propriè vocatur nullum eſt dubium eſſe veras notiones; dubium tamen remanet de ingenito,& innaſcibilitate, de ſpiratione actiua,& de inſpirabilitate.

Prima difficultas eſt de innaſcibilitate, & improducibilitate ſi ſit vera notio, dicendum autem eſt eſſe neceſſarium ponere talem notionem Patris. Primò ad diſcernendum illum ab alijs patribus; omnes enim alij Patres naturales, vel memoria, quæ eſt imago Patris, eſt à ſuis cauſſis immediatis, vel ſaltem à Deo Pater autē diuinus à nullo,ipſe,ergo notione improducibilitatis diſcernitur ab illis,& innoteſcit. Secundò ad declarandum eſſe in rerum natura vltimum, & primum principium omnium rerum,ne daretur proceſſus in infinitum in cauſis. Tertiò ad oſtendendum in diuinis duas eſſe tantum productiones, quæ ab vno, & illo improducto eſſe debent; ſiquidem duobus principijs duo tantum æquè adæquatè correſpondent;alioquin non eſſet certum in diuinis eſſe tantum duas productiones ſpecie,& numero diuerſas, ſi vnus, Pater,ac per conſequens improductum principium ibi non eſſet. Quartò quia ſi eſſent duæ perſonæ innaſcibiles in diuinis, & improductæ eſſent duæ naturæ diuinæ,non enim poteſt vna eademque numero natura in duobus ſuppoſitis abſolutis eſſe; ſiquidem illi duo Patres improducti, aut plures ad ſe inuicem non referentur per aliquam relationem, per quam dicerentur ipſi habere eamdem numero naturam.

Contra tamen arguitur. Quoniam notio ſignificat dignitatem eius perſonæ,quam notificat,at innaſcibilitas cum ſit negatio,& ens rationis non pertinet ad dignitatem ergo. Reſpondent aliqui notionem dicere poſitiuam proprietatem,& non tantum negatiuam,hoc tamen eſt contra Aug.5.de Trin. c. 3. vbi dicit,alia eſt notio,qua dicitur genitus,& alia qua ingenitus, & paulò infra

ſub-

ſubdit cum ingenitum dicitur Pater non quid ſit, ſed quid non ſit dicitur.

Reſpondetur ergo non eſſe de ratione notionis, vt formaliter dicat perfectionem,& dignitatem perſonæ,ſed ſatis eſt, vt eam per negationem circumſcribat,& notificet; magna enim dignitas eſt in perſona non habere principium,ac per conſequens eſſe primum principium,& ex ſe habere perſonalitatem,eſſe coniunctum diuinitati, quæ illi ab alio ſibi non communicetur, quod ſignificatur per notionem innaſcibilis, aut improducibilis; item multæ relationes rationis dicunt dignitatem, vt relatio dominij in Rege, & ſic eſt in propoſito eſſe primum principium Trinitatis.

Secunda difficultas de ſpiratione actiua dicendum eſt ſpirationem communem Patri,& Filio dumtaxat actiuam eſſe vnam notionem. Primò quia eſt vna ſimplex, & ſingularis,vt oſtenſum eſt q. 3. præceden. ſect.& non eſt omnibus communis, ſed duabus particularis,in quantum eas à tertia perſona diſtinguit,& quamuis à priori non diſtinguat,ſiquidem ſuis perſonalibus proprietatibus conſtituentibus diſtinguũtur Pater, & Filius à Spiritu Sancto nimirum perſonaliter à poſteriori tamen diſtinguuntur, in quantum habent oppoſitas relationes ſpirationis. Secundò quia relatiua ſunt ſimul cognitione, ſi ergo vna relatio eſt notio, eius oppoſita notio eſſe debet.

Contra hoc arguitur, nam notio non debet eſſe communis pluribus,ſpiratio actiua eſt communis duabus perſonis,vt patet; ergo non eſt notio. Maior eſt Baſilij in ep.43.dicentis,Patrem, & Filium non communicari inter ſe in proprijs notionibus; ſecundò quia ſequeretur quod multa alia prędicata communia pluribus poſſent poni,& dici notiones,vt relatio producentis, quod tamen eſt falſum,ergo.

Ad primum reſpondetur D. Baſil. loquutum fuiſſe de proprietatibus,& notionibus perſonalibus,nam addit illis verbis ſecundum proprietatem ſuam, quæ proprietatis nomina ſunt propria vnius perſonæ,ſpiratio autem actiua non eſt perſonalis proprietas,& ideò eſt alia notio ab illis diſtincta.

Ad ſecundum reſpondetur, quod iſta notio ſpiratio actiua eſt vna relatio ſimplex,& ſingularis,& hoc ſufficit, vt ſit vera notio licet duabus competat; ſed aliæ formalitates communes vel ſunt abſo-

abſolutæ,& ſic non ſunt notiones,vel ſi ſint relatiuę non ſunt vna numero,& ſingularis pluribus communis; ſed vna nimirum ſpecie,nam producere eſt nomen commune ad generationem,& ſpirationem,ſic etiam procedere eſt commune nomen communitate rationis ad generari,& ſpirari.

Tertia difficultas eſt de inſpirabilitate,ſit ne notio, an non? vbi notandum eſt,quod Scotus in 1. diſ. 28. quæſt. vnic. ſub conditione dicit inſpirabilitatem eſſe notionem,puta,ſi non adſit aliqua ratio probans oppoſitum, nempe non poſſe eſſe notionem, propter hoc aſſerere eam eſſe notionem,nec contra intentionem PP.eſt,qui ponentes quinque notiones ſic poſitiuè loquendo; nullibi tamen negauerunt poſſe aliquam nouam addi notionem,ſicut poſt Ambroſium, qui non meminit notionis innaſcibilis addita fuit, pariter igitur nulla ratione in oppoſitum conuincente addi poterit inſpirabilitas pro vera notione.

Duæ tamen, vel tres rationes perſuadent inſpirabilitatem nō eſſe veram notionem; prima erit, nam Spiritus Sanctus eſt ingenitus alio modo, quam Pater, ſicut de ipſo inquit Athanaſ. in Symb.non genitus,ſed procedens, ſimiliter de Spiritu Sancto dicitur ad intra non productiuus,& de Filio non generatiuus, quæ illis ſolis conueniunt,& tamen non dicuntur notiones; ſola igitur innaſcibilitas ponitur pro notione tamquam particularis quædam dignitas Patris, quam dignitatem non includunt cæteræ negationes,& ſic inſpirabilitas non eſt notio.

Secunda ratio eſt, quia aliæ negationes ſunt conſequentes ad origines, & relationes aliarum perſonarum, ac per conſequens perſonę prius erant notificatę per relationes conſtituentes ipſas, at innaſcibilitas eſt aliquo modo prior relatione paternitatis,& ideò eſt vera notio, inquit enim Aug. ſi Pater non eſſet genitor adhuc eſſet ingenitus, quare innaſcibilitas non eſt notio cum cōſequatur relationes conſtituentes.

Tertia ratio, quoniam Filium non ſpirari declaratur per hoc quod ipſe ſpirat, quia Spiritus Sanctus habet omnem rationem ſpirati; non enim poſſunt eſſe duo ſpirati in diuinis,alias poſſent eſſe,& eſſent infiniti,& quamuis cum hoc quod Pater generat includatur,quod nō generetur, quia Filius habet omnem rationem generati, ſed non euidenter oſtenditur ipſum Patrem non poſſe alio productionis modo, quam generatione produci, & ideò per

tia,quæ ſunt idem realiter,& non formaliter; ſed vtraque reſpõſio deficit, nam principium, & propoſitio illa intelligitur, quod illa, quæ ſunt eadem vni tertio, eadem prorſus identitate, qua ſunt eadem illi tertio ſunt eadem inter ſe vt notauimus ex Scoto locis ſupra citatis,& vt optimè inquit Suar.lib.4. c. 3. exponenda eſt negatiuè,quæ ſunt eadem vni tertio, vt ab eo realiter non diſtinguantur; hæc ita etiam ſunt inter ſe idem, & inter ſe realiter non diſtinguantur,& in hoc ſenſu exponenda eſt præſens propoſitio in diuinis,quæ ſi poteſt aptè exponi, melior erit eius intelligentia,vt in noſtra ſententia videbimus.

Tertiò dicunt alij, hanc propoſitionem non tenere in terminis non conuertibilibus,quales ſunt diuina eſſentia & relatio,ſiuè perſona diuina,nam licet Petrus ſit homo,& Paulus ſit homo,Petrus non eſt Paulus,quia homo non conuertitur cum illis, & ideo in ſecunda figura ex puris poſitiuis non ſequitur concluſio, ſic in propoſito licet Pater ſit eſſentia diuina, & Filius ſit eſſentia diuina, Filius non eſt Pater, ac per conſequens non ſunt idem inter ſe; ſed contra hoc eſt,nam licet Petrus, & Paulus non prædicentur ſibi inuicem,& ideò non ſint idem identitate numerica, quia vterque illorum eſt vnus numero, ſunt tamen idem inter ſe ſpecificè,quà eadem identitate ſunt idem naturæ humanæ, & homini, eodem modo,licet Pater,& Filius in diuinis non prædicentur ſibi inuicem,nec ſint idem,& vnum numero,& perſonaliter ſunt idem eadem identitate,qua ſunt idem ipſi eſſentiæ naturæ diuinæ,ſcilicet eſſentialiter, & propterea etiam illo modo valet hæc propoſitio in terminis,non conuertibilibus, quod eſt contra prædictam ſententiam.

Quartò Capreolus,Ægidius,& Thomas de Argentina in 1.diſt. 33. inquiunt, quæ ſunt idem vni tertio inadequatè non ſunt idem inter ſe,ſicuti eſt in propoſito de eſſentia diuina;& perſonis, nam perſonæ quid aliud includunt diuerſum ab eſſentia, ac per conſequens non ſunt idem illi adæquatè, ſed partim ſunt idem illi, ſcilicet ex parte ipſiuſmet eſſentiæ, quam includunt, partim diſtinctè, ſcilicet ex parte relationum, quæ diſtinguuntur ab eſſentia, ac per conſequens non ſequitur, ſi perſonæ ſunt idem eſſentiæ diuinæ,eſſent idem inter ſe;ſed hæc ſententia falſa eſt, nam quãdocumque aliqua propoſitio vniuerſalis eſt vera in omnibus terminis, eſt vera,in quibus habet aliquod fundamentum veritatis, ſi

non

non totale, ſaltem partiale, ſic patet in propoſito, quando aliqua duo ſunt idem vni tertio inadæquatè, ideſt partialiter tantum, vel ſecundum vnam partem, & ſecundum aliam ſunt diſtincta debent ad minus eſſe eadem inter ſe eadem identitate inadæquata, ideſt ſecundum illam partem, ſecundum quam ſunt idem illi tertio, ſicut ergo perſonæ diuinæ ſunt idem eſſentiæ diuinæ, non ratione relationum, & perſonarum, ſed ratione eſſentiæ, ſic erunt inter ſe idem nimirum eſſentialiter, non perſonaliter.

Quintò explicat Pater Suares lib.4.cap.3. quæ ſunt eadem vni tertio eſſe eadem inter ſe, niſi obſtat oppoſitio illorum duorum, ideſt niſi illa duo maiorem oppoſitionem habeant inter ſe, quam cum tertio; propterea, quia perſonæ diuinæ inter ſe opponuntur, ideo non ſunt inter ſe idem, ſicut ſunt idem eſſentiæ diuinæ cum qua nullam habent oppoſitionem: Sed contra hoc eſt, nã quamuis ſecundum illam partem, ſecũdum quam, illa extrema ſunt oppoſita, non ſint idem inter ſe, quia ſecundum illam, neque ſunt idẽ illi tertio, ſecundum aliam partem, debent eſſe idem inter ſe, ſecũdum quam non ſunt oppoſita, quia ſecundum illam eamdem ſunt eadem illi tertio, nam ſic declaratur propoſitio eodem modo, & identitate, qua ſunt idem illi tertio debere extrema eſſe idem inter ſe.

Sextò reſpondet idem Suares ibidem, & Vaſques in pr.p.diſp. 123.ca.2. illam propoſitionem non tenere in terminis illimitatis propter hoc non debere applicari ad eſſentiam diuinam, quæ illimitata eſt, valere tamen dicunt in creaturis, quia poteſt illud principium oriri ex limitatione earum, propter hoc ſtat identitas realis perſonarum diuinarum in eſſentia cum diſtinctione ipſarum reali inter ſe, ſed verè toto cœlo aberrant hi Auctores, & ſine cauſa deſtruunt hoc vniuerſale principium ex cuius ſolutione ſoluitur, atque deſtruitur omnis forma ſyllogiſtica in diuinis, etenim cum omnis ſyllogiſmus teneat virtute huius principij, quia enim extrema in præmiſſis vniuntur in medio, ideò vniuntur inter ſe in cõcluſione, vbi ergo non tenet hoc principium, non tenet vllus ſyllogiſmus.

Septimò Scotus loc. ſupra citat. concedit, & ſaluat hoc principium in diuinis, & ſimul ſoluit rationem, verum eſt, inquit, perſonas diuinas eſſe idem inter ſe ſimpliciter, ſicut ſunt idem eſſentiæ diuinæ, cui realiter, & eſſentialiter ſunt idem, & realiter eſſentialiter

liter

liter ſunt inter ſe idem; ex his dictis formaliſtæ deſumpſerunt identitatem realem conuerti aliquando cum identitate eſſentiali, duplex enim inquiunt eſt identitas realis, realis eſſentialis, & realis perſonalis, ſeu ſuppoſitalis, prima eſt inter perſonas diuinas, & eſſentiam, & inter ſeipſas, quia vni eſſentiæ ſingulari identificantur, & iſto modo eſſentialiter ſunt etiam idem inter ſe: ſecundo modo omnia illa, quæ ſunt in vno ſuppoſito dicuntur eſſe idem realiter, quia vni rei exiſtunt, & vnica exiſtentia coexiſtunt, & ſic totum ſuppoſitum cum omnibus, quæ ſunt in illo vnica res dicitur, licet ergo inferri eadem identitas perſonarum inter ſe, quæ ſunt idem eſſentię, ſcilicet identitas realis eſſentialis, nequit tamē inferri identitas realis perſonalis; hinc patet quomodo ſaluatur hoc principium in diuinis ſine læſione veritatis Catholicæ, nimirum eſſe tres perſonas diſtinctas realiter perſonaliter in vna eſsētia ſingulariſſima, cui tamen ſunt idem realiter, eſſentialiter, & ſimiliter realiter, eſſentialiter ſunt idem inter ſe.

Sed contra hanc reſponſionem arguitur, eadem identitate, qua perſonæ diuinæ ſunt idem eſſentiæ ſunt idem inter ſe, at perſonæ diuinæ ſunt idē identicè eſsentiæ diuinæ, igitur ſunt idē identicè inter ſe, concluſio eſt falſa ergo altera præmiſsarum, non minor patet, nā Pater eſt eſsentia, Filius eſt eſſentia, & Spiritus Sanctus eſt eſſentia, ſunt veræ propoſitiones identicè, ergo maior debet eſſe falſa, quod eſt principium probatum à Scoto, & applicatum diuinis, aut ergo non eſt diuinis applicandum, aut ſi eſt verum in diuinis, perſonæ ſunt idem identicè, & ſic Pater eſt Filius, & conſequenter non poteſt ſtare in diuinis vnitas eſsentiæ diuinæ cum pluralitate perſonarum. Difficile mihi prima facie viſum eſt hoc argumentum, ſed penſata natura prædicationis identicè, & vnde ipſa proueniat, reſpondetur, quod idem eſt dicere idem idēticè, ac idem realiter, & ſicut diſtinguitur identitas realis in realē eſſentialem, & realem perſonalem ſic identitas identica diſtinguenda eſt in identicam eſſentialem, & identicam perſonalem, primo modo ſunt idem identicè perſonæ diuinæ inter ſe, ſicuti ſunt idem identicè eſsentiæ diuinæ, non autem ſecundo modo, nunc probatur aſsumptum, ſcilicet idem eſse identitatem identicam, & realem, nam prædicatio identica ex eo prouenit in diuinis, quod vel vtrũque, vel ſaltem vnum extremum eſt formaliter infinitum, vt Pater eſt eſsentia ex infinitate formali prouenit,

quod

quod alterum extremum identificetur realiter extremo infinito, & quod vnum prædicetur de altero identicè, illud ergo, quod in propoſitione dicitur prædicatio identica, in identitate dicitur identitas realis, quia enim eſt identificatum realiter per infinitatem formalem, prædicatur identicè ideſt ſecundum identitatem realem, idem ergo eſt dicere idẽtitas identica, ac identitas realis.

Sed contra ex hoc principio ſequitur tenere omnẽ formã ſyllogiſticã, vbi illud principiũ verificatur, verificatur autẽ in diuinis reſpectu perſonarũ, & eſſentię, hæc ergo forma valet, eſſentia diuina eſt Pater, Filius eſt eſſentia diuina, ergo Filius eſt Pater, ſi quidem termini, qui vniuntur, & verificantur in præmiſſis, in medio vniuntur, & verificantur inter ſe in concluſione, ſed Pater, & Filius vniũtur, & verificãtur in ꝓdictis ꝑmiſſis in medio .i. in eſſentia diuina, dupliciter per te realiter, eſſentialiter & identicè eſſentialiter, ergo vniuntur, & verificantur inter ſe Pater, & Filius in concluſione prædicta ſcilicet ergo Pater eſt Filius, & ſic iſta erit propoſitio vera identicè pater eſt filius, ſed hoc eſt falſum, quoniã nec pater, nec filius eſt formaliter infinitus, ex quo prouenit propoſitio identica, ſicut ergo concluſio eſt falſa, exiſtentibus pręmiſſis veris, ſic illud principium erit falſum in diuinis de identitate perſonarum inter ſe propter identitatem ad tertium. Reſpondetur verum eſt omnem formam ſyllogiſticam prouenire ex illo principio, ſed vbi ſyllogiſmus eſt poſſibilis, quia habet fundamentum in illo principio, & ideo vbi eſt ſyllogiſmus inuenitur neceſſario tale principium, ſed non è contra, poteſt enim in aliquibus terminis eſſe illud principium, impoſſibili exiſtente ſyllogiſmo in illis terminis, nam iſta duo ſyllogiſmus, & illud principium ſe habent, vt vniuerſale, & particulare, vbi enim eſt homo, neceſſario eſt animal, & homo, eſt, quia animal eſt, quo non exiſtente, non exiſteret homo animal, tamen poteſt eſſe ſine homine, ita ſimiliter poteſt eſſe illud principium in aliquibus terminis, qui ſint idẽ inter ſe propter identitatem ad eſſentiam, non tamen inter ſe inuicem prædicari poſſunt, in alijs autem terminis fiunt ſyllogiſmi in diuinis medio hoc fundamento, & principio ibi verificato ad modum, quo ſupra dictum eſt.

Quare autem in prædictis terminis non ſit poſſibilis ſyllogiſmus, non obſtante, quod tale principiũ verificetur in illis, notandę maximè ſunt duæ regulæ.

Prima

Prima regula ad debitè ſyllogizandum in propoſitionibus vniuerſalibus requiritur, quod tales propoſitiones vniuerſales ſint regulatæ per dici de omni quod eſt, vel de nullo quod eſt, nimirum quod nihil ſit ſumere ſub ſubiecto, de quo non dicatur prædicatum, ſi eſt propoſitio affirmatiua, quando inquiritur per ly, quid, quando verò eſt propoſitio negatiua, nihil ſumatur ſub ſubiecto, à quo non remoueatur prædicatum, & notanter additur ad ly, dici de omni, & de nullo, ly quod eſt, nam in creaturis ſine tali addito, ſed ſimpliciter ſequitur veritas concluſionis ex veritate præmiſſarum per dici de omni, vel de nullo, & ex falſitate præmiſſarum apparet falſitas concluſionis, vt in iſta, omnis homo eſt animal, Franciſcus eſt homo, ergo Franciſcus eſt animal abſque eo quod dicatur in maiori, omne quod eſt homo, in diuinis autem dici de omni abſolutè ſine addito quod eſt fallitur regula, nam poteſt fieri ſyllogiſmus, cuius præmiſſæ ſint ambæ veræ, & concluſio falſa, & ſic per iſtam regulam abſolutam in diuinis non apparet falſitas, aut veritas concluſionis ex veritate, aut falſitate præmiſſarum, niſi addatur ly quod eſt, vt omnis eſſentia diuina eſt Pater, Filius eſt eſſentia diuina, ergo Filius eſt Pater, præmiſſæ ſunt veræ, quia ragulantur per dici de omni, concluſio tamen eſt falſa, & hæretica, & ideò fallit nos iſte modus ſyllogizandi in diuinis, ſimiliter per dici de nullo abſolutè, vt nulla eſſentia diuina generat, Pater eſt eſſentia diuina, ergo Pater non generat; præmiſſæ veræ, concluſio hæretica: addendum eſt igitur in diuinis ly, quod eſt, vt appareat veritas, vel falſitas diſcurſus, vt omne quod eſt eſſentia diuina eſt Pater, Filius eſt eſſentia diuina, ergo Filius eſt Pater, in hoc ſyllogiſmo ſic regulato apparet falſitas concluſionis ex falſitate maioris; quoniam non omne quod eſt, eſſentia diuina eſt Pater, quia Filius eſt eſſentia diuina, & tamen Filius non eſt Pater, & è contrariò in ſyllogiſmo per dici de nullo quod eſt, vt nullum, vel nihil quod eſt eſſentia diuina generat, Pater eſt eſſentia diuina, ergo Pater non generat, maior eſt falſa, quia aliquod, quod eſt eſſentia diuina, nempè Pater generat, & conſequenter concluſio eſt falſa, & ideo hæc regula in diuinis in dici de omni, & de nullo vtenda eſt cum illo addito, ſcilicet quod eſt, vt appareat veritas, vel falſitas diſcurſus; magna eſt enim differentia inter has propoſitiones, omnis eſſentia diuina eſt Pater, &

omne quod eſt eſſentia diuina eſt Pater, nam prima eſt vera, ſecunda falſa, prima ſignificat, quod de quocumque dicitur iſte terminus, eſſentia, eſt verificabilis iſte terminus, eſſentia, quod eſt verum, nam eſſentia diuina eſt vna Deitas, & vna eſſentia, quæ eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ſecunda verò ſignificat, quod de quacumque re verum eſt dicere hoc eſt eſſentia diuina, de ipſa verum eſt dicere quod eſt Pater, quod eſt falſum, & eadem differentia eſt inter iſtas, nulla eſſentia diuina generat, & nihil quod eſt eſſentia diuina generat, prima vera, ſecunda falſa propter eamdem rationem.

Secunda regula eſt, quod ſyllogiſmi expoſitorij non tenent in terminis diuinis, niſi eorum propoſitiones ſingulares ſint reducibiles ad vniuerſales, addendo ſubiecto vniuerſali ly, quod eſt, cum igitur iſta vniuerſalis ſit falſa, omne quod eſt eſſentia diuina eſt Pater, vt patet ex dictis, ad quam propoſitionem reduci debet maior huic ſyllogiſmi expoſitorij, vt eſſentia diuina eſt Pater, eſſentia diuina eſt Filius, ergo Filius eſt Pater, concluſio eſt falſa, quia expoſitori a maioris eſt falſa, eſt ergo verum in diuinis principium illud, quæ ſunt idem vni tertio ſunt idem inter ſe, & applicabile perſonis diuinis, & eſſentiæ, quamuis in illis non poſſit eſſe ſyllogiſmus propter dictas rationes.

Secundum argumentum, quod præſefert difficultatem eſt Scoti loc. cit. vnitas, & pluralitas eſſentialium in diuinis arguit vnitatem, & pluralitatem eſſentiæ, ſed plura ſunt eſſentialia, quia per te ſunt plures perſonæ, ergo plures eſſentiæ, quod eſt hæreticum, probatur minor quicquid eſt in aliquo, vel eſt ei accidentale, vel eſſentiale, ſed in Deo nullum eſt accidens, ergo perſonę, & conſtitutiuum illarum eſt eſſentiale. Reſpondetur accidentale dupliciter ſumi pro extraneo, & pro eo quod aduenit enti in actu, ſecundo modo non inuenitur accidentale in diuinis, primo modo benè inuenitur, quoniam eſt medium inter eſſentiale, & accidentale, ſecundo modo ſumptum, illud, ſcilicet quod non accidit, & conſequenter non eſt accidentale ſic, & nec eſt de eſſentia, vel de ratione formali, & conſequenter nec eſſentiale, hoc modo differentia dicitur reſpectu generis, & perſona reſpectu eſſentiæ dicitur accidentale .i. extraneum reſpectu eſſentiæ in quãtum.ſ.non eſt de ratione formali illius, ac per conſequens poſſunt multiplicari perſonæ non multiplicata eſſentia.

Hæc

Hæc doctrina de vnitate eſſentiæ diuinæ cum pluralitate perſonarum ratione, probatur, & ſimul clariſſimo exemplo declaratur a Scoto in corpore quæſtionis littera CC. præſuppoſita quadam doctrina de naturæ, & ſuppoſiti eſſentia, quam exactè diſcuſſimus in de Incarn. d ſp. 3. qu. 2. quod natura ſit communicabilis dupliciter, vt quo, & vt quod, ſuppoſitum verò vtroque modo incommunicabile. Differentia tamen ſupponenda hic eſt inter naturam creatam, & diuinam, quia illa diuiditur per illam duplicem communicationem, hæc verò indiuiſibilis manet cum ſui cõmunicatione, natura igitur diuina communicatur pluribus ſuppoſitis, & perſonis diuinis, quia de ratione formali naturæ eſt cõmunicari, & tamen manet indiuiſibilis, & eadem numero in communicatione ſui, vt patet in quæſtione de vnit. Dei, ſtat ergo numeralis vnitas naturæ cum pluralitate numerali ſuppoſitorum in diuinis: Exemplum autem poſitum à Scoti in littera EE. eſt de anima intellectiua, quæ exiſtens vna ſingularis plures partes numero diſtinctas perficit, & hoc eſt quia eſt illimitata ad perficiendũ plures partes ſine ſui diuiſione, in quo differt ab alijs animabus imperfectis, quæ cum ſui diuiſione informant partes diuerſas, ac per conſequens perfectionis hoc eſt anima intellectiua hæc indiuiſio: duæ tamen imperfectiones ſibi inſunt, prima eſt, quod informet, & perficiat materiam, ſecunda eſt, quod perficiat partes, ſublatis igitur imperfectionibus reſtaret perfecta vnitas cum pluralitate, puta ſi anima non perficeret rem materialem, & ſi perficeret res totales ſubſiſtentes, & plures, & tunc anima eſſet vna natura dans totale eſſe pluribus ſuppoſitis diſtinctis, eſſentia ergo diuina, quæ penitus eſt illimitata, & à qua tollitur quicquid eſt imperfectionis, poteſt dare, & dat eſſe totale pluribus ſuppoſitis diſtinctis.

QVÆSTIO SECVNDA.

An plures perſonæ ſint idem vni ſubſiſtentiæ diuinæ communi, & eſſentiali, atque abſolutæ.

DE ſubſiſtentia quotupliciter ſumatur latè loquuti ſumus in mate-

materia de Incarnatione prima parte diſp.3.quæſt. ſecunda. hæc enim in præſenti quæſtione præſupponitur, ſed quia hic eſt proprius locus dignum eſt aliquid de ipſa dicere.

Prima ſententia affirmat, diuinam naturam, vt preconceptam perſonis, nec habere ſubſiſtentiam propriam, nec ſi eam haberet in vſu eſt vocare ſubſiſtentiam, ſed exiſtentiam dumtaxat, eſt Patris Vaſques in prima parte diſp.125.

Prima pars probatur; Subſiſtentia eſt per ſe exiſtentia, at verò natura diuina eſt in perſonis diuinis, igitur non habet ſubſiſtentiam, licèt exiſtentiam ſuam habeat abſolutam in illis, ſicut habet natura humana in hominibus ſingularibus, & natura humana ſingularis Chriſti habet in Verbo ſuam exiſtentiam creatam, non tamen habet natura humana in hominibus, nec natura Chriſti in Verbo ſubſiſtentiam: ſecũdo natura humana præcisa a ſuppoſito Verbi non haberet ſubſiſtentiam à ſe, ſed à perſonalitate creata, vel alia increata, igitur diuinitas, vt præciſa à perſonis diuinis ſe ſola non habet ſubſiſtentiam.

Secunda pars probatur: Nullus Patrum dixit vnquam, Deum ſubſiſtere, vel deitatem ſubſiſtentiam habere, quinimmò ex oppoſito ipſam ſubſiſtentiam acceperunt pro perſona, & hypoſtaſi, tantum ergo abeſt, vt eſſentia diuina habeat ſuam propriam ſubſiſtentiam ſecundum vſum Patrum, quantum abeſt, vt eſſentia ſit perſona, & ſicut tres perſonæ diuinæ non dicuntur vna perſona, vel vna hypoſtaſis, ita non dicuntur eſſe vna ſubſiſtentia, ſicut dicuntur verè, & propriè eſſe vna diuinitas, & vnus Deus, aſſumptum patet ex Concil. Lateranen. ſub Martino quinto conſultat. quinta can. primo, vbi dicitur Trinitas numeratur tribus ſubſiſtentijs, vbi ſubſiſtentiam, pro perſona, & hypoſtaſi acceperunt omnes ferè Patres græci. Rurſus hoc habetur ex ædicto de fid. Iuſtinian. Imperat. ad Ioann. Pontific. quod habetur tom. ſecũdo Concilior. poſt Concil. Toletan.2.& ex epiſtola Agatonis papæ, quæ refertur in 6. Syno. act.4.

Hæc ſententia infra improbabitur in noſtra opinione, ad vtramque autem rationem reſpondetur, diſparem eſſe rationem de natura diuina, atque de humana, ſiquidem diuina habet exiſtentiam à ſe, & ex ſe perfectam in vltima actualitate, quæ eſt per ſe exiſtentia, & ſubſiſtentia, humana verò natura, licet habeat exiſtentiam propriam, non tamen

eſt

eſt vltima actualitas hæc eius exiſtentia, quia adhuc eſt determinabilis natura humana à proprio, vel alieno ſuppoſito, ad hoc, vt ſit in vltima, & completa actualitate.

Ad auctoritates, & vſum loquendi reſpondetur præter illa, quę diximus in de Incarnatione indifferenter acceptum eſſe hoc nomen ſubſiſtentia à Patribus, vt aliquando ſignificet hypoſtaſim, & perſonam, & aliquando ſignificet ſubſtantiam completam, & perfectam, & à Scholaſticis determinatus eſt vſus huius vocabuli, vt accipiatur ſecundo modo, & multi ex antiquis Patribus clarè expreſſerunt ſecundam acceptionem, quando ſcilicet ſubſiſtentia applicatur naturæ, non perſonis diuinis, ita, vt eſſentia diuina, quia eſt perfecta ſubſtantia ſit ſubſiſtentia, Anaſtaſius enim, & Cyrillus Alexandrinus tom. 4. Bibliot. in compendiaria Fidei explicatione inquiunt, quid eſt Deus? eſſentia, cuius nullus eſt author, cui prorſus nihil deeſt, quid eſt eſſentia? res, quæ per ſe eſt, neque altero indiget ad hoc vt ipſa ſubſiſtat, plurimi etiam PP. in hoc ſenſu loquuntur, vnde licet concedatur tres perſonas diuinas eſſe vnam ſubſiſtentiam, non licet inferri eas eſſe vnam hypoſtaſim, vel perſonam cum illa ſit ſubſiſtentia abſoluta, & communis tribus, diſtincta à ſubſiſtentijs proprijs, & relatiuis hypoſtaſum, & perſonarum.

Secunda ſententia eſt Caietani in prima p. qu. 39. art. 3. & alibi aſſerentis quidem ſubſiſtentiam hanc communem tribus, & propriam naturæ diuinæ, quam propterea vocat ſemiperſonam; ad perſonam enim requiritur tum ſubſiſtentia, tum incommunicabilitas, natura verò diuina quàmuis non habeat incommunicabilitatem, cum tamen habeat ſubſiſtentiam ſemiperſona vocatur; hæc tamen ſententia ab omnibus refellitur tamquam in propria, & vndequaque improbabilis.

Tertiò Capreolus in 3. d. prima q. 1. adeò aſſeruit hanc ſubſiſtentiã eſſentialem, & communem tribus, quòd præter illam non ſint in diuinis aliæ ſubſiſtentiæ, quæ à Theologis relatiuæ vocantur, hanc eanmdem ſententiam ſequitur Ferrar. 4. contra gen. c. 26. & Durandus in 3. diſt. 1. quæſt. 2. & probant quoniam ſi Paternitas conſtituit perſonam Patris, non prout eſt diſtincta ab eſſentia, ſed vt eſt eadem illi, nulla alia ſubſiſtentia inueniri poteſt in Patre, niſi illa naturæ diuinæ, cum relatio originis conſtituens Patris perſonam non ſit aliquo modo diſtincta ab eſſentia, & cõ-

ſequenter nullam ſubſiſtentiam illi tribuere poſſit aliam à ſubſiſtentia eſſentiæ diuinæ, nec ſit vndè aliqua alia ſubſiſtentia perſonæ Patris aduenire poſſit, idem ſimiliter dicitur de Filio, & Spiritu Sancto: Secundo probat relatio diuina eſt tantum quidam modus exiſtentiæ diuinitatis ſecundum Damaſcen. primo de fide cap. 9. 10. & 11. ſed modus exiſtentiæ nec exiſtentia, nec ipſam tribuit alicui, igitur exiſtentiæ non multiplicantur in perſonis, cum ex relatione omnia in diuinis multiplicentur, probatur min: nam Anima rationalis habens exiſtentiam per creationem ex modo exiſtendi in ſe dum eſt ſeparata, & ex modo exiſtendi in corpore dum eſt vnita, nulla alia noua exiſtentia ſibi additur, ſed nouus modus exiſtendi, ergo ſimiliter Deo habenti ſuam perfectiſsimam exiſtentiam per ſe, & ex ſe nulla noua per relationes originis additur, relatio ergo originis non dat exiſtentiam perſonis, ac per conſequens perſonæ vnica tantum exiſtentia, & ſubſiſtentia communi, & eſſentiali exiſtunt.

Hæc opinio pænitus falſa, & magis abſurda, quam prior eſt, loquitur enim ſaltem contra intentum Synodus 5. Conſtantinopolitanæ, quæ act. ij. definit Trinitatem eſſe numerabilem tribus ſubſiſtentijs perſonalibus, nec poteſt intelligi de ſubſiſtentijs in concreto, ita vt ſint tres perſonæ ſubſiſtētes vnica illa ſubſiſtentia communi eſſentiæ diuinæ, & enim nugatoria eſſet loquutio Concilijs, & ſenſus eſſet, quod Trinitas eſſet numerabilis tribus perſonis perſonalibus, ſi ſubſiſtentia à Concilio poſita eſt idem quod perſona, ſcilicet ſubſiſtens concretum, & confirmatur quoniam ſecundum Concilium ſunt tres ſubſiſtentes relatiui in diuinis, igitur ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ in abſtracto, ſequela probatur, quia ſubſtantiuum non numeratur, nec multiplicatur, niſi multiplicentur formæ, ergo.

Ad primum argumentum reſpondetur falſum eſt relationes conſtituere perſonas, vt idem eſſentiæ, ſunt enim diſtinctæ ab eſſentia nedum ratione, verum etiam ex natura rei, & formaliter, & vt ſic diſtinctæ ab eſſentia conſtituunt perſonas, ſiuè ſint diſtinctæ ratione, ſiuè à parte rei, ſi ergo ea ratione, qua relationes ſunt idem eſſentiæ non poſſunt habere propriam ſubſiſtentiam diſtinctam à ſubſiſtentia eſſentiæ, vt prædicti Auctores diſcurrunt, eadem ſimiliter ratione, qua relationes diſtinguuntur ab eſſentia, vt vere diſtiguuntur ſecundū omnem opinionem, & vt ſic diſtinctæ

con-

conſtituunt perſonas, debenthabere ſubſiſtentiam propriam,atque diſtinctam ab eſſentiæ diuinæ ſubſiſtentia propria.

Ad auctoritatem,Damaſceni, & rationem conſequentem reſpondetur,quod Damaſcen. non ita vocauit relationem diuinam eſſe modum,quin vera res ipſa ſit,quoniam modus,vt diſtinctus à re,& qui nullam entitatem actualem ex ſe dicit, imperfectionem includit,cuiuſmodi non eſt relatio originis in diuinis,& hoc idem patet ratione,nam ideo perſonalis ſubſiſtentia, & relatiua Verbi terminat naturam humanam,quia non tantùm modus, ſed vera, res eſt actualis,& eſt etiam actualitas eius entitatis, per quã perſona diuina actualiter ſubſiſtit in rerum natura.

Quartò alij aſſerunt,quod vna eſt ſubſiſtentia in diuinis, illa ſ. communis,& eſſentialis, quæ tamen prout eſt quaſi determinata ad tres perſonas per tres relationes, & proprietates relatiuas habet rationem trium ſubſiſtentiarum, & ex hoc tres perſonæ dicũtur tres ſubſiſtentes, ſi quidem ſubſiſtentia eſſentialis, vt eſt determinata per paternitatem ad Patrem induit rationem ſubſiſtentię perſonalis, & ſic de alijs perſonis, & hoc modo vna, & ſimplex ſubſiſtentia eſſentialis fit trina perſonalis ſubſiſtentia.

Sed non minus abſurda eſt hæc ſententia, quam præcedentes, inde enim ſequeretur, eſſentiam ipſam diuinam ſic determinatã ad perſonas per proprietates relatiuas vnicam exiſtentem fieri triplicem,ſiuè trinam eſſentiam in tribus, itavt ſicut ſubſiſtentia eſſentialis in Patre alia eſt, & alia in Filio propter diuerſam determinationem,ita pariter alia eſſet diuina eſſentia in Patre,alia in Filio propter eamdem diuerſam determinationem, quia non eſt maior ratio de vno abſoluto,quàm de alio. Secundò determinari,modificari, & quodam modo actuari dicit imperfectionem, non ergo diuina eſſentia,nec ſubſiſtentia illa communis, nec aliquod, aliud abſolutum in diuinis actuatur, ſeu determinatur per relationes originis,ergo.

Quinta,& vera nobis ſequenda ſententia eſt, quod datur ſubſiſtentia communis eſſentialis,& abſoluta diuinitatis, vt præcisè à perſonis diuinis, quia dicitur hic Deus ſubſiſtens, & indiuiduum Deitatis,præter tres illas ſubſiſtentias proprias perſonales,& relatiuas, quibus tres diuinæ perſonæ incommunicabiliter per ſe exiſtunt, & ſubſiſtunt, ſicut eſſentia diuina communicabiliter per ſe exiſtit, & ſubſiſtit. hæc enim ſententia eſt his tem-

poribus communis in Scholis, & tuetur à Scoto in primo diſt. 5. q.2.& d.7.q.vnica,& in quolibet.q.4. Et quoad ſecundam partem quæſtionis eſt magis nota,& antiqua, quam etiam oſtendit Scotus in 1.diſ.18.q.3.& in 3.d.1.q.1.& diſ.5.q.1.

Primò probatur hæc ſententia,eſſentia diuina, vt præciſa à perſonis,& ſecundum ſe,& ſuam propriam rationem concepta, eſt perfectio ſimpliciter,igitur ei conuenit per ſe exiſtere, & ſubſiſtere,quod etiam eſt perfectio ſimpliciter, probatur ſequela ex ſupradictis in quæſtionibus præcedentibus,cuicumque perfectioni ſimpliciter ſimplici eſt compoſſibilis omnis perfectio ſimpliciter propter rationes ibi traditas,at in diuinis idem eſt eſſe, & poſſe eſſe, habere, & poſſe habere, igitur eſſentia diuina actu habet ſubſiſtentiam propriam ſiuè formaliter, ſiuè ratione diſtinctam à ſubſiſtentijs relatiuis perſonarum, & confirmatur, nam eſſentia diuina,vt ſic eſt infinitè perfecta in genere entis, ergo eſt infinitum,& perfectum ens,& conſequenter per ſe exiſtens,& ſubſiſtẽs, ideſt habens vltimam actualitatem,quæ maximè conuenit perfectioni rei præſertim infinitæ.

Ad hoc reſpondere poſſunt aduerſarij,quod diuinitas,vt ſic habet omnem perfectionem in ratione naturæ, ad quam rationem non pertinet per ſe exiſtentia,quia vt ſic non eſt in ſe, ſed in perſonis,& ideò non ſubſiſtit, nec habet ſubſiſtentiam aliam à ſubſiſtentia perſonarum.

Sed contra hoc eſt illa doctrina à nobis tradita in locis cit. de Incarnatione de duplici illa ſubſiſtentia, prima ſecundum quam res non exiſtit in alio,vt in ſubiecto vel in toto, vel in alia parte, & eſt propria ſubſtantiæ completæ,& perfectæ,quæ quidem ſubſtantia,vel eſt ipſummet ſuppoſitum,vel natura ſubſtantialis,quæ ita eſt in ſuppoſito,vt non determinetur, nec actuetur à ſuppoſito per ſuppoſitalitatem,cuius modi eſt ſola natura diuina,in qua nec potentia,nec quaſi potentia cadere poteſt, vt determinetur, & actuetur,ad differentiam naturarum creatarum ſubſtantialium, quæ determinentur,& contrahuntur ad ſuppoſita, & ſic actuantur,& dicta ſubſiſtentia ex ſui perfectione ſingularis exiſtẽs communicabilis eſt tribus: altera ſubſiſtentia eſt incommunicabilis, prima eſt naturæ diuinæ, quia ſeipſa eſt ſingulariſſima,& ſubſiſtit completè,& perfectè in rerum natura etiam, vt præciſa à perſonalitatibus,atque perſonis,ſecunda ſubſiſtentia eſt ſuppoſitorum,

qui-

quibus competit incommunicabilitas.

Secundo probant alij hanc ſententiam ex eo quod, vnicuique, quo correſpondet neceſſariò ſuum proprium quod, ſed non omni quo, ſiuè naturæ neceſſariò correſpondet ſuum proprium ſuppoſitum,& tamen illi correſpondet ſuum proprium quod,ideſt ſingulare, atque indiuiduum, cuiuſmodi eſt inter alias naturas natura diuina,cui exiſtenti quo immediatè correſpondet ſuum proprium quod ideſt ſingulare,& indiuiduum,cui præcisè cõpetit, quæcumque competunt perſonis diuinis,vt eſſe Deum,Dominum, Creatorem, & Conſeruatorem. Dicitur enim in Symbolo Athanaſ. Deus, vel Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus,& tamen non tres Dij,& Domini,ſed vnus Deus,& Dominus, hoc autem dicitur, quia iſta competunt perſonis non ratione perſonæ,quia ſic eſſent tres Dij,ſed ratione naturæ, quæ eſt ipſum indiuiduum Deitatis, cui vt quod competit eſſe Dominum creare,& conſeruare, & cætera huiuſmodi probatur illa minor, nam in accidentibus cuicumque naturæ, quæ eſt principium quo non reſpondet ſuppoſitum, vt patet, ſed neceſſariò reſpondet ſuum proprium indiuiduum,ſiquidem nulla natura poteſt eſſe realis,& non ſingularis,atque indiuidua, indiuiduum igitur non ſuppoſitum eſt proprium quod ipſius naturæ, quæ eſt quo,hoc enim accidens mouet ſenſum, & ſic eſt ipſum quod mouet, ſimiliter in natura ſubſtantiali poteſt eſſe ſuum proprium quod, quod non ſit ſuppoſitum,ſed indiuiduũ,vt in natura humana Chriſti non eſt ſuũ proprium ſuppoſitum, & tamen ipſa poteſt agere, & ſic habere ſuum proprium quod, quod erit ſuum indiuiduum, non ſuppoſitum; ſiquidem in materia de Incarnatione diximus, naturam humanam Chriſti Verbo diuino vnitam poſſe peccare,non concurrente ſuppoſito diuino,vt ibi diximus,igitur in illa natura erit ſuũ proprium quod,& hoc non ſuum ſuppoſitum,quod iam nõ habet, nec ſuppoſitum Verbi, quod iam peccare non poteſt, igitur erit ſuum proprium indiuiduum principium quod peccandi, vel alias actiones operandi;hoc idem contingit in natura diuina, quæ habet ſuum proprium quod,vt præciſa à perſonis, quod eſt ſuum indiuiduum, cui immediatè competit creare, gubernare, & alias actiones ad extra operari.

Ad hoc reſponderi poteſt veram eſſe doctrinam in natura non habente ſuppoſitum,quæ autem habet ſuppoſitum,vel proprium,

vel

vel alienum, vt natura Chriſti habet pro principio quod ipſum ſuppoſitum,in quo eſt,& non indiuiduum,vt diſtinctum a ſuppoſito ſic in diuinis ſunt propria ſuppoſita naturæ diuinæ, quæ ſunt ipſius principia,vel principium quod.

Sed contra hoc eſt, quoniam natura humana Chriſti, etiam ſi habet ſuppoſitum Verbi non poteſt ipſum ſuppoſitum eſſe principium quod maximè peccandi, quia influeret in peccatum, & peccaret, & in diuinis quamuis ſint ſuppoſita propria naturæ diuinæ non poſſunt eſſe ipſa, vt ſic .i. vt ſuppoſita eſſe principium quod actionum ad extra, etenim Pater non vt Pater creat ad extra,nec Filius,nec Spiritus Sanctus vt ſic,quia ſi vt ſic eſſent principia quod creandi eſſent tres creatores diſtincti, ſicuti ſunt tres perſonæ diſtinctę,creat igitur Pater,non vt Pater,& vt perſona, ſed vt Deus,ſicut è contrario Pater,vt Pater generat,& Filius,vt ſic generatur,& vt ſic perſonæ ſunt principia quod actionum ad intra realiter diſtincta,ſicut & ipſæ perſonæ realiter diſtinguuntur.

Secunda Concluſio pro principali intento quæſtionis, tres perſonæ diuinæ ſunt idem prædictæ ſubſiſtentiæ communi abſolutæ,& eſſentiali, probatur, nam tres perſonæ ſunt vna eſſentia diuina,& vna deitas,ſiuè vnus Deus, igitur tam in abſtracto ſunt vna ſubſiſtentia abſoluta, quàm in concreto ſunt vnum ſubſiſtens abſolutum,ſequela probatur de quo prædicatur aliquid,prædicatur & eſſentia illius,ſed Deus,& Deitas prædicatur de tribus, & exiſtentia, ſeu ſubſiſtentia eſt de eſſentia Dei, vt patet ex dictis in ſuperioribus,ſubſiſtentia igitur prædicatur de tribus, & ſic tres ſunt vnum ſubſiſtens commune dumtaxat, & abſolutum quamuis ſint tres ſubſiſtentes relatiui.

Notandum eſt in calce huius quæſtionis ſecundam rationem, quam aliqui magnifaciunt non eſſe præcipuum fundamentum huius ſententiæ propter multas difficultates quas patitur, & quæ non omnia ab omnibus conceduntur, ſola igitur prima ratio eſt præciſum fundamentum ſententiæ, ſiquidem ab omnibus conceditur, perfectiones ſimpliciter eſſe neceſſariò ſibi inuicem compoſſibiles,& in diuinis neceſſariò de facto compati, & ab omnibus conceditur etiam ſubſiſtentiã,aut per ſe exiſtentia, cum ſit vltima actualitas rerum eſſe perfectionem ſimpliciter ſimplicem.

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Diuinæ Perſonæ verè, & propriè ſint, & dicantur vnus Deus propter eſſentiæ vnitatem, & quot, quibuſque modis enunciãda ſit vnitas perſonarum in eſſe Dei.

PRima ſententia eſt Marſilij in primo q. 5. ar. 3. ad 4. & 5. & Petri de Aliaco q. 4. & 5. dicentium, quod licèt propter Eccleſiæ vſum, & ad vitandas hæreſes, ita loquendum ſit, nimirum tres perſonæ ſunt vnus Deus, aſſerunt tamen illam non eſſe propriam vnitatem, & ablata omni ſuſpitione erroris potuit alius modus loquendi introduci, hoc probat auctoritate, & ratione; auctoritas eſt illa Gen. primi vbi dicitur creauit Deus, quo loco hæbraica lectio habet, creauit Dij, quod putant fuiſſe dictum propter vnitatem naturæ, & trinitatem perſonarum, ita ibi exponũt Lyra. Vrgenti, & alij, & D. Thom. in prima parte q. 39. art. 3. inquit linguam hæbream iuxta vſum admittere illam locutionem, non tamen latinam, ex quo ſequitur re ipſa ſpectata, non eſſe impropriam illam locutionem, creauit Dij, ſed ſolum propter vſum non admitti in latinam; Ratio verò eſt, nam Deus eſt habens Deitatem, ſed in diuinis ſunt tres habentes Deitatem, poſſunt igitur dici tres Dij.

Contra hanc ſententiam arguitur auctoritatibus Concilior. in quibus definitum eſt tres perſonas eſſe dicendas vnum Deum, ita Concil. Lateran. in cap. firmiter, & damnamus, Concil. Florent. & Toletan. 6. & 11. & rationibus etiam probatur, ſicut enim in fide non poteſt eſſe falſitas, ita non poteſt admitti improprietas locutionis, quæ propè falſitatem eſt, vnde cum fides magis ſit de rebus, quam de vocibus fatendum penitus eſt in re ipſa, tres perſonas eſſe vnum Deum, & confirmatur, quoniam ſi iſta locutio, tres perſonæ ſunt vnus Deus, eſt in propria ſua oppoſita erit magis propria, & ſic potius tres perſonæ dicendæ ſunt plures Dij, hoc autem eſt hæreticum, vera igitur, & propria eſt illa propoſitio.

Ad fundamenta huius opinionis reſpondetur ad illud de voce hæbrea, creauit Dij, optima videtur expoſitio Caietani in Gen. 1. & Abulenſis opuſc. de trin. quod ly Dij non ſumitur propriè ad ſigni-

ſignificandum pluralitatem Deorum,ſed metaphoricè ad ſignificandam authoritatem,ſiuè poteſtatem qua Deus plurima poteſt, ac ſi infiniti Dei eſſent, non quia propriè, & verè non ſit tantum vnus Deus,vel quia plures ibi interuenerunt perſonæ quaſi in cōcilium creandi hominem, Ratio autem huius ſententiæ nullius eſt momenti,nam vt latè docuimus in de Incarnatione,ad pluralitatem nominis concreti ſubſtantiui, non ſufficit pluralitas ſuppoſitorum,ſed requiritur pluralitas formarum, ſeu naturarum,& ad vnitatem concreti ſubſtantiui requiritur, & ſufficit vnitas naturæ ſine vnitate ſuppoſitorum; hoc autem nomen Deus eſt concretum ſubſtantiuum, & ideò non poteſt multiplicari ratione trium perſonarum,niſi multiplicaretur natura diuina, hæc autem vna ſimpliciter eſt,igitur vnum ſubſtantiuum ſimpliciter eſt verè, & propriè,non obſtante,quod ſint tria ſuppoſita, quæ neceſſariò propter dictam rationem verè,& propriè dicuntur, & ſunt vnus Deus, at verò ly habens Deitatem eſt nomen adiectiuum, quod plurificatur ad plurificationem ſuppoſitorum, quam præcisè ſequitur,non obſtante vnitate naturæ, propter hoc in diuinis verè dicitur ſunt tres habentes deitatem,non autem propter hoc dicēdum eſt ſunt tres Dij.

Secunda opinio deſumi poteſt ex fundamentis Caietani in 3. parte q.3.ar.6.& Dur.in 3.diſt.prima q.3. & Ricc. ar.1.q.5. quod tres perſonæ diuinæ verè,& propriè ſunt vnus ratione vnius ſubſiſtentis communiter in Deitate, qua ſubſiſtentia communi ablata non poſſunt eſſe,nec dici propriè, & ſimpliciter vnus Deus,& probant,quoniam poſita ſubſiſtentia communi, hoc ſubſiſtens in Deitate eſt hic Deus,qui propriè dicitur Pater,& Filius,& Spiritus Sanctus, ablata verò illa ſubsiſtentia non poteſt deſignari in concreto vnus numero Deus,qui ſit tres perſonæ.

Hæc tamen ſententia nullum habet firmum fundamentum, etenim ex Conc.Floren.habetur,quod Pater,& Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti,& non plura,hæc tamen vnitas principij non fundatur in aliqua ſubſiſtentia communi illis duobus, ſed in vnitate voluntatis,vt patet,Ratione etiam probatur, nam eodem modo poſſet dici hic Deus, & tres perſonæ vnus Deus, ſi non eſſet vnum ſubſiſtens in Deitate,ſed vnum numero indiuiduū Deitatis, quod etiam diceretur hic Deus,ſecundum opinionem aliorum Theologorum Catholicorum,in qua opinione etiam dicitur

citur tres perſonæ ſunt vnus Deus,alioquin eſſet vel hęretica,vel ſuſpecta opinio,auferens ſubſiſtentiam communem, quod eſt falſum,vnitas ergo ei non prouenit ab eius ſubſiſtentia communi,licet per illam magis pateat , ſed præciſè prouenit ab vnitate naturæ diuinæ,ſic Ambroſ.primo de fid.c.1.&2.Pater,& Filius vnũ ſunt non confuſione perſonæ , ſed vnitate naturæ, & Fulgentius lib.de fid.ad Petr.c.primo,vnum rectè credimus, & dicimus Deũ, quia vna prorſus æternitas, vna immenſitas, vna naturaliter eſt trium perſonarum diuinitas. Rurſus ſi tres perſonæ aſſumerent vnam numero naturam humanam dicerentur vnus homo, & hoc non propter ſubſiſtentiam communem hominis,quę in illis tribus eſſet,quia illam ſine ſubſiſtentia,& non cum ſubſiſtentia aſſumere poſſunt,eodem igitur modo non dicuntur vnus Deus propter vnã ſubſiſtentiam,ſed propter vnam naturam.

Tertia igitur ſententia,& concluſio catholica,vera, & propria eſt iſta,tres perſonæ diuinæ verè,& propriè ſunt vnus Deus,quot verò quibuſque modis liceat enunciare, & denotare hanc vnitatẽ ſequentibus propoſitionibus explicatur .

Prima propoſitio Pater,Filius,& Spiritus Sanctus dicendi ſunt vnum,& non vnus,ita dicitur Ioannis 10.hi tres vnum ſunt, ratio eſt,quia hoc nomen in maſculino refert ſuppoſitum,in neutro autem refert naturam, ſicut ergo non eſt vnum ſuppoſitum in diuinis,ſed vna natura,ita tres perſonæ non dicuntur vnus,ſed vnum.

Secunda propoſitio Pater,Filius,& Spiritus Sanctus ſunt idem eſt propoſitio ambigua,& potius cauenda,quam vtenda ſecundũ Athan.dialog.3.de trin. & Iuſtinian. in expoſitione fidei propter ambiguitatem,& quia idem immediatè adiunctum perſonis ſine alio addito videtur maſculinè potius ſumi, hæc ergo propoſitio cum ambigua ſit diſtinguenda eſt, vel enim ſumitur neutraliter illud idem,& eſt vera,vel maſculinè,& eſt falſa, quia ſicut in neutro tres perſonæ non poſſunt dici aliud, & aliud , ità è conuerſo in neutro poſſunt dici idẽ , & quia in maſculino dicuntur verè alius, & alius, ideò non poſſunt dici idem in maſculino,quia hæc oppoſita ſunt , & in hoc ſenſu Guitmundus in quadam compoſitione trinitatis, quæ habetur 6.tom.Blibiot.dicit Pater, & Filius ſunt idem ipſum,non idem ipſe,ſed ſi ad hoc, idem,addatur aliquid aliud erit vera , vel falſa ſecundum rationem additi,nam ſi dicantur idem ſuppoſitum eſt falſa,ſi idem Deus eſt vera,ſic etiam vera eſt

iſta

iſta, Pater eſt idem Deus cum Filio, & Spiritu Sancto, ſicut de Patre in præfatione miſſ. trinit. dicitur, qui cum vnigenito Filio tuo vnus es Deus, vnus es Dominus, & etiam ſępè in collectis dicitur, qui cum Filio, & Spiritu Sancto viuis, & regnas Deus.

Tertia propoſitio, Pater eſt idem Deus, qui eſt Filius, & Pater eſt idem qui Filius, ſunt diuerſæ propoſitiones, prima eſt omninò vera, quia ibi refertur Pater, quatenus Deus eſt, ſecunda eſt falſa, & ideò negatur ab Athanaſio in dial. primo contra Anomeos, & ab Ambroſ. 1. de fid. c. 2. quia illud relatiuum, qui refert perſonam Patris, quatenus perſona eſt, non quatenus Deus, idem tamē Ambroſ. vbi ſupra, & Auguſtinus 11. de Ciu. cap. 10. admittunt hanc propoſitionem Pater eſt idem quod Filius, nam ly, quod, eſt relatiuum neutrum, & declarat ly, idem, in eodem genere neutro vſurpari, talia autem relatiua in neutro poſita, identitatem tantum in eſſentia indicant, vt ſupra dictum eſt.

Quarta propoſitio, Deus Pater eſt Deus Filius, eſt ſimpliciter falſa, nam ratione adiuncti determinatur ſuppoſitio ad tales perſonas, & idem eſt, ac ſi diceretur Pater eſt Filius.

Quinta propoſitio, Pater eſt Deus, & idem Deus eſt Filius, videtur eſſe locutio ambigua, cum enim Pater proximè pręceſſerit, videtur ipſe immediatè referri, ſed cum Deus ſit poſitus à parte prædicati in prima propoſitione, & conſequenter Deus proximior ſit ſecundæ propoſitioni, quam Pater, qui eſt ſubiecto, optimè de Deo poteſt intelligi locutio, atque identitas, & ideò ſic erit propoſitio vera.

Sexta propoſitio, Pater eſt vnicus Deus, Filius eſt vnicus Deus, & Spiritus Sanctus eſt vnicus Deus, D. Tho. in 1. p. q. 31. ar. 4. Bonau. in 1. diſ. 21. ar. 2. q. 1. & Hylar. 7. de trin. inquiunt, Deum non eſſe dicendum vnicum, cuius fundamentum videtur eſſe, quia hæc vox vnicus videtur excludere conſortium perſonarum, ſed rectè dici poteſt vnicus Deus, vnica Deitas, vnicus Pater, quia in prima, & ſecunda excluditur conſortium Deorum, non perſonarum, & in tertia conſortium Patrum excluditur, ac ſicut etiam dici poteſt vnicus Filius, vnicus Spiritus Sanctus. i. vnus.

Septima propoſitio, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt Deus ſingularis ab eod. Hylar. loc. cit negari videtur, & Leo Papa ſerm. 2. penthecoſt. inquit in Deitate, nec ſingulalitas, nec diuerſitas, ſed hi Patres ſumpſerunt ſingulare pro incommunicabi-

cabi-

cabili,propriè tamen ſumitur,vt diſtinguatur ab vniuerſali,& ſic vera eſt propoſitio,quia idem ſignificat,ac indiuiduum, & vnum numero,ita enim Anſelm.de Incarn. Verbi cap. 3. tres perſonas vocat vnum numero Deum,& Lactantius lib.4.c.29.vocat ſingularem Deum.

Octaua propoſitio,Pater,Filius & Spiritus Sanctus ſunt ſolitarius Deus, & iſta Pater eſt ſolitarius Deus, Filius eſt ſolitarius Deus,prima eſt ambigua,nam videtur excludere ſocietatem perſonarum, ſed cum ibi exprimantur tres perſonæ in illa priori propoſitione tantum excluditur ſocietas Deorum: In ſecunda verò,& tertia excluditur ſocietas etiam perſonarum, & hanc negat Hylar 4.de trin.& Aug.6.de trin.c.6.& 7.& Concil.Toletan.6.in confeſſione Fidei.

Nona propoſitio, Pater,Filius,& Spiritus Sanctus ſunt vniti, vel coniuncti Deitati,vel cum Deitate,videtur eſſe ambigua,quia videtur ſignificari vnio inter perſonas,& Deitatem,ac per conſequens diſtinctio realis inter perſonas,& Deitatem, quia vnio indicat diſtinctionem realem vnitorum, quæ diſtinctio non eſt inter perſonas, & Deitatem, & propterea non debet abſolutè admitti illas eſſe vnitas Deitati,vel cum Deitate, ſed dicendas vnũ in Deitate.

Decima propoſitio, tres perſonæ ſunt vnitæ Deitate eſt optima,vera, & propria, quia ſignificatur vnio inter perſonas,quæ verè ſunt diſtinctè realiter,& vinculum huius vnionis dicitur eſſe ſola Deitas,non per vnionem ſui cum perſonis, quia ſic denotaretur diſtinctio realis inter ipſam, & perſonas,quæ à nemine admittitur; ſed per identitatem ſui cum omnibus tribus illas inter ſe vnit,& eſt proprijſſima propoſitio,atquè locutio.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum tres perſonæ diuinæ habeant eamdem perfectam vnitatem in omnibus attributis Diuinis.

De fide eſt,& ex Sacra Scriptura deſumitur,omnes perſonas diuinas habere omnia,& eadē attributa diuina, q̄ Deitati, ſiuè Deo conueniant, hoc etiam Concilia expreſsè definierunt Lateran.cap.firmiter,& cap. damnamus, Toletan. 6. & vndecimum

mum in conceſſ.fidei,& Epheſin.tom.5.c.22.ita inquit, quælibet perſonarum Deus perfectus eſt,ideſt omnibus proprietatibus ornata eſſe noſcitur,& creditur,Patres etiam idem ſemper oſtenderunt Damaſc.lib.1.de fid.ca.8. Riccar.de Sancto Victor.lib.1.de trin.c.11.& lib.3.c.22.& Ambroſ.1.de fid.c.2.ſic ait, vnitas poteſtatis excludit numeri quantitatem.

Propter quinque tamen mouetur iſta quæſtio,primum eſt,nam eſſe communicabile tribus, & eſſe in tribus prædicatum eſſentiale eſt,& attributum Deo, ſeu Deitati conueniens, nulli tamen perſonarum competit,& de nulla prædicatur,vt patet,ac per cōſequens non videtur perſonas conuenire, & habere vnitatem in omnibus attributis,ſicut in eſſentia diuina.

Secundum eſt,eſſe omninò improductum, cum conueniat Deo ratione Deitatis attributum eſt eſſentiale, ſoli tamen Patri conuenit,& nullo modo alijs perſonis, ergo.

Tertium eſt, eſſe æternum licet conueniat omnibus perſonis quatenus dicit durationem ſine principio,& ſine mutatione, non tamen omnibus conuenit eo modo, quo huic Deo & Patri, nam illi conuenit a ſe,& ſine productione,alijs verò perſonis conuenit ab alio cum productione.

Quartum eſt,de attributis, quæ appropriata dicuntur, ſolus.n. Pater dicitur communiter potens,Filius ſapiens,Spiritus Sanctus Amor,& bonus, non igitur omnibus ſingula iſtorum conueniunt.

Quintum eſt,dubium de omnipotentia, nam poſſe generare pertinet ad omnipotentiam Patris, Fulgentius enim ad quintam obiectionem armenorum inquit,genitori (quod nefas eſt) potentia naturalis adimitur,ſi Filio paternæ ſubſtantiæ ęqualitas denegatur, ſed Filius non poteſt generare,igitur non habet omnipotentiam.2.Auguſtinus lib.3.contra Maximinum argumentatur, ſi Pater potuit generare Filium æqualem,& noluit fuit inuidus, ſi voluit, & non potuit, vbi eſt omnipotentia Dei Patris, vndè ſic vltimo inferri poteſt, ſi Filius non potuit generare, vbi eſt omnipotentia Dei Filij, ſed verè non potuit, ergo in hoc ſaltem verè Filius non habet æqualem omnipotentiam cum Patre. idem diſcurſus fieri poteſt de poſſe ſpirare,quod Patri, & Filio conuenit, & non Spiritui Sancto.

Ad primum reſpondetur, quod diuerſum eſt prædicatum eſſe communicabile ab eſſe actu in tribus, primum eſt abſolutum, &

con-

conſequenter eſt eſsentiale. Secundum eſt relatiuum, & notionale, ratio prim. eſt fęcunditas, & infinitas diuinitatis, ratio ſecundi eſt eſse terminatum tribus relationibus. Primum conuenit omnibus eodem modo, & hoc ſufficit, vt tale prędicatum cōueniat ſingulis perſonis, non enim habet conuenire illis, vt conſtitutis per ſuas relationes, ſed vt habentibus talem naturam, & in hoc vltimo eſſe communicabile differt ab alijs prędicatis abſolutis, quia illa cōueniunt perſonis, vt habentibus naturam, & vt cōſtitutis, & ideò de illis dicũtur in recto, vt Pater, Filius, & Spiritus Sãctus eſt bonus, communicabile verò dicitur in obliquo, vt Pater, Filius, & Sp.S. habent eſse cõmunicabile. i. habent naturam cõmunicabilẽ.

Ad ſecundum reſpondetur, eſſe improductum dupliciter ſumi: ratione eſsentiæ, & ratione relationis, primum eſt eſsentiale, ſecundum notionale: primum conuenit omnibus perſonis eodem modo, quo conuenit eſse communicabile, nimirum in obliquo, & ſic vniformiter dicitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus habent eſſe improductum, id eſt habent naturam improductam, nam licet illud eſſe Filius, & Spiritus Sanctus habent per productionem, ipſum tamen eſſe, vel diuinitas non producitur; Secundum eſſe improductum, cum non ſit ex vi ſolius diuinitatis, ſed etiam relationis, & proprietatis eſt notionale Patri ſoli conueniens.

Tertium facile ſoluitur nam attributum æternitatis tam neceſſariò habet Filius, & Spiritus Sanctus, ſicut Pater, quia conuenit illis per eſſentiam ratione eiuſdem eſſentiæ licet aliquis ordo ſit in habendo, nempe à ſe, & ab alio, aliud enim eſt dicere habere à ſe, & habere de ſe, ſiuè ex ſe; primum connotat principium effectiuum ſecundum principium formale; Filius, & Spiritus Sanctus ſunt æterni, & ſummè neceſſarij ex ſe non à ſe, & illa eſt formalitas eſſendi, non autem eſſe, vel habere à ſe.

Ad quartum dicendum eſt illa eſſe appropriata non perſonis propria, vt quidam hæretici aſſerebant teſte Bernardo epiſ. 190. Theologi enim illis approprianrunt tum propter maiorem affinitatem illorum cum proprietatibus perſonalibus, tum propter hęreticos quoſdam, qui negabant Patrem vt ſenem eſſe ita potentẽ ſicuti Filius, & Filium, vt iuuenem eſſe ità ſapientem, ſicut Pater, & Spiritum Sanctum eſſe bonum.

Ad oppoſitum autem Theologi approprianrunt iſta, non quod omnes non ſint æquè potentes, ſapientes, & boni.

Vltimum dubium maiorem difficultatem præſefert, primo tamen reſpondet Aureolus in 1. diſ. 7. q. 1. ar. 2. negando eſſe potentiam in Deo ad actus notionales, & fundamentum eſt, quia in Deo non eſt realis actio ad intra, quia imperfectionem indicat, non eſt ergo neceſſaria realis potentia ad intra, ſed è contra omnino dicendum eſt, in Deo eſſe realem potentiam, & principium quo producendi ad intra, cum ſit ibi realis productio.

Marſilius in 1. q. 23. Torres in 1. p. q. 21. a. 6. Ægidius, & Argentina admittunt potentiam ad intra, & addunt illam pertinere ad omnipotentiam, ratio eſt, quia illa potentia productiua ad intra maxima eſt, quare maximè pertinet ad omnipotentiam, & difficultate propoſitæ reſpondent hanc potentiam non de eſſe Filio, & Spiritu Sancto quantum ad abſolutum, quod includit nimirum poſſe generare, & ſpirare, ſed quantum ad conditionem relatiuã, quæ quidem reſponſio eſt optima, ſed opinio de omnipotentia ad intra, vt ſupra probauimus falſa eſt, ſiquidem eius obiectum eſt ens creabile, non Filius, & Spiritus Sanctus, qui non ſunt creabiles, & hinc ſequitur productiones ad intra non eſſe actus omnipotentiæ, ac per conſequens hoc non obſtat, quin Filius, & Spiritus Sanctus ſint æquè omnipotentes ac Pater, cum omnes æqualiter creare poſſint, & creent, ſic Fulgentius ad Ferrandum q. 4. c. 3. inquit, ideo intelligitur omnipotens Deus, quod omnem creaturã de nihilo produxit, propter quod dixit Athan. in ſym. 6. non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens; Reſponſio igitur prædictorum authorum optima eſt de omnipotentia, quam arguit Auguſt. in Patre, quæ ſaltem connotare potentiam negari non poteſt, ſcilicet potentiam generandi, vndè ſic reſpondetur ad difficultatem, quod potentia generandi dupliciter conſiderari poteſt, quo ad abſolutum, quod eſt principium formale productionis, quod eſt memoria fœcunda, ſcilicet intellectus cum eſſentia ſibi præſente per modum obiecti, & quoad relatiuum, quod connotat, vt conditionem neceſſariam ad hoc vt perſona habens tale abſolutum producere poſſit, quæ eſt ipſa relatio originis, & paternitas potentia primo modo eſt in omnibus perſonis, non autem ſecundo modo.

Sed contra hoc arguitur, nam habens vtrumque habet maiorẽ partem potentiæ, quæ requiritur ad producendum, quare in Patre eſt maior potentia quam in Filio, & Spiritui Sancto. Reſpondetur,

tur,ſi illa conditio eſſet quid eſſentiale benè concluderet argumentum,ſed cum ſit notionale non inconuenit eſſe in vna perſona, & non in alia abſque inæqualitate.

Sed contra replicatur,conditio non pertinet ad rationem formalem,& eſſentialem principij igitur Filius, & Spiritus Sanctus habent totam rationem formalem principij, & potentiæ generandi,vel ergo dicendum eſt quod generent ſicut Pater, vel quod ſit impedita in illis potentia generandi,non eſt dicendum primũ, vt patet,neque ſecundum,quia naturalis potentia non poteſt impediri,niſi ab extrinſeco,vel præter naturam, ſed neutro modo poteſt eſſe hoc impedimentum in diuinis, dicendum eſt ergo Filium,& Spiritum Sanctum non habere potentiam æqualem cum Patre. Reſpondetur,impedimentum dupliciter ſumi poteſt priuatiuè,& negatiuè,primo modo non eſt impedita potentia in Filio,& Spiritu Sancto: Secundo modo concepimus eſſe impeditã, quia non habet in illis perſonis conditionem neceſſariam ad generandum, quod non eſt præter naturam, nec ex impedimento extrinſeco,ſed ex illa intrinſeca conditione dicta, quam requirit principium formale,ſcilicet eſſentia diuina in vna perſona,& nõ in alia nempè,vt illa ſit prima perſona, & ſic producat, & iſta ſit ſecunda perſona, & ſit producta, & ſic Pater quatenus eſt prima perſona,non vt Pater habet principium generandi ſibi propriũ, quia hoc petit ipſa natura diuina,vt vnico modo,& pro vna ſola vice communicetur perſonis cum ordine quodam nimirum ſeipſa Patri,poſtea per Patrem Filio per generationem,& per Patrẽ, & Filium Spiritu Sancto per ſpirationem.

Ad hunc ſenſum etiam de impedimento priuatiuo,& negatiuo reducitur alia reſponſio Ægidij, & Argentinæ ad difficultatem propoſitam,& argumẽtum D. Auguſtini, nam potentia ſolum eſt ad id,quod non implicat contradictionem,at reſpectu Patris generare non implicat contradictionem,propterea ſi non generaret eſſet impotentia in Patre reſpectu autem Filij implicat generare, & ideo non eſt impotentia in illo, etiam ſi generare non poſſit, & ratio huius eſt, quia non implicat contradictionem generare in diuinis,& implicat generare plures Filios,& cum Pater ſit prima perſona, & ingenita,non implicat,ſed poteſt generare, & ſic generat, Filius eſt perſona genita, & ſic implicat generare alium Filium, ſicut etiam implicat Patri generare alium Filium,

& ſic negatiuè deeſt iſta potentia ad generandum ſecundum Filiumin omnibus tribus perſonis, & ideo non dicit in illis imperfectionem, & impotentiā, ex quò patet Auguſtinum latè vſum fuiſſe nomine omnipotentię, nimirum, vt comprehendit potentiam productiuam ad intra propriè autem omnipotentia reſpicit res creabiles ad extra.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum identitas, ſimilitudo, & æqualitas quam habent perſonæ diuinæ propter vnitatem eſſentiæ ſint relationes reales.

PRæſupponit iſta quæſtio diuinas perſonas habere inter ſe inuicem prædictas relationes de quarum prima dictum eſt latius in ſuperioribus, de tertia quoad potentiam, nempè de ęqualitate potentiæ in ſuperiori quæſtione, de æqualitate autem ſecundum magnitudinem, non molis, quia hæc in diuinis non inuenitur, ſed virtutis, & perfectionis, & de ſimilitudine, quæ ab omnibus conceduntur citra controuerſiam pauca dicenda ſunt, vt ad propoſitam quæſtionem veniamus.

De ſimilitudine Hæretici diuerſum ſenſum à Catholico afferebant cum enim ſimilitudo ex ui ſuæ ſignificationis non requirat vnitatem realem in forma, ſed ſolum conformitatem, & neque requirat conformitatem in gradu perfectionis, ſcilicet æqualitatem formæ, ideò dicebant, perſonas diuinas eſſe tantum ſimiles, vtentes illa voce græca, quæ ſolam ſimilitudinem ſignificat (Omouſion) ideſt ſimilis eſſentiæ, & ſic negabant vnitatem naturæ, & æqualitatem in perfectione.

Catholici verò ſimilitudinem admittunt in diuinis cum vnitate naturæ, & æqualitate perfectionis, quæ maxima eſt, quæ tanto maior eſt, quanto maior eſt vnitas, & æqualitas formę, in qua aſſimilantur, magis enim aſſimilantur duo alba vna albedine, & in eodem gradu, quam ſi duæ albedines eſſent, & diuerſis gradibus, quinimmò negare vnitatem formæ, & æqualitatem eiuſdem perfectionis, eſt miſcere ſimilitudinem ſimilitudini Aug. autem 7. de trin. c. vltimo inquit, perſonas diuinas dicendas eſt ſimiles, & non diſſimiles, quia hoc ad ſubſtantiam refertur, multæ aliæ authoritates exiſtunt hoc ipſum probantes, vt Pauli 1. ad hæbr. cum ſit ſplendor gloriæ imago, & figura ſubſtantiæ eius, vbi autem eſt imago, & figura, ibi eſt ſimilitudo.

Æqua-

Æqualitatem in diuinis optimis rationibus probat Scotus diſ. 19 q. prima, primo ex fundamento remoto, ideſt ex magnitudine, ſecundo ex ratione proxima fundandi, ideſt ex vnitate, primum argumentum eſt, magnitudo virtutis, & perfectionis non eſt perfecta niſi ſit infinita, ſed hæc ſola perſonarum eſt infinita, ergo eſt perfecta magnitudo, ac per conſequens fundamentum optimum æqualitatis, maior probatur, nihil eſt perfectum, cui non repugnat infinitas, niſi ſit infinitum, ſed magnitudini non repugnat infinitas, ergo non eſt perfecta, niſi ſit infinita. Secundum argumentum eſt, perfectior æqualitas eſt, vbi non numeratur magnitudo, quam vbi numeratur, ſed in omnibus æqualibus mundi magnitudo numeratur, in diuinis autem non numeratur, cum qua tamen ſtat diſtinctio ſufficiens relatiuorum, quæ requiritur ad relationem iſtam realem æqualitatis, ergo hæc eſt perfectiſſima æqualitas, maior probatur, nam prædictæ relationes perfectiores ſunt, & maior ratio formalis illarum inuenitur, vbi eſt maior vnitas, quam vbi non eſt, minor de ſe patet, & confirmatur auctoritatibus PP. Athan. in Symb. dicit in Trinitate nihil maius, aut minus, ſed totæ tres perſonæ coæquales ſibi ſunt, & Auguſtinus 9. de Trin. cap. primo ait, hanc æqualitatem perſonarum nihil aliud eſſe, quam vnitatem eſſentię, & Anſelm. in monolog. c. 13. ait perſonas eſſe æquales, quia vnaquçq; eſt perfecta, & ſummè eſſentia, hoc idem indicant Concilia Toletan. 6. in confeſſ. fid. Lateran. in c. damnamus, quæ quidem æqualitas procedit in omnibus attributis Dei, vt ſapientiæ bonitatis.

Præſuppoſito ex dictis, quod in Deo ſit identitas, ſimilitudo, & æqualitas, inquiritur, vtrum hæ relationes, quæ communes dicũtur in diuinis ſint reales, an rationis.

De æqualitate primo probandum eſt, quale ſit eius fundamentum in diuinis, & ſi tale fundamentum eſt ex natura rei, & ſi eſt extremorum realiter diſtinctorum, quæ ſunt conditiones relationis realis. Primum probatur, quod fundamentum æqualitatis ſit quantitas, inquit enim Philoſopus in prædicamen. proprium eſt quantitati ſecundum eam æquale, vel inæquale dici, quæ quantitas duplex eſt, molis, & virtutis, ſeu perfectionis, primo modo dicitur magnum, & paruum per eumdem Philoſophum 5. met. c. de quanti. ſecundum ſe: Secundo modo dicitur translatiuè, quia ſic ſunt paſſiones totius entis, & tranſcendentia, nam Auguſtinus

6.de Trin.c.8. iſtam magnitudinem quam philoſophus dicit trãſlatiuè ſumptam,inquit eſſe magnitudinem non molis, ſed bonitatis,& perfectionis,in his,ait,quæ non magna mole ſunt, idem eſt maius eſſe,quod melius eſſe, hæc igitur magnitudo virtutis dicitur in propoſito eſſe fundamentum æqualitatis, quia illa molis non inuenitur in diuinis,habet etiam vnitatem fundamenti, quæ eſt maxima .i. vna numero in tribus, quæ non inuenitur in alijs pluribus,& creatis,quæ æqualia ſunt.

Secundum probatur, nempè eſſentiam habere hanc magnitudinem ex natura rei,nam eſſentia diuina eſt infinita ex natura rei, ſed infinitas eſt magnitudo fundamentum æqualitatis, igitur in diuinis eſt magnitudo ex natura rei, maior patet ex Damaſc.c.9. eſſentia diuina eſt pelagus quodam ſubſtantiæ infinitæ, minor probatur,infinitatem eſſe magnitudinem virtutis, nam ſicut infinitas quantitatiua, quæ conſiſtit in extenſione partium dicit magnitudinem,& illimitationem quantitatis propriæ, ſic infinitas intenſiua, & in perfectione dicit ſummam perfectionem, & infinitam magnitudinem perfectionis;porrò infinitas intenſiua conuenit eſſentiæ ex natura rei,ſed illa eſt magnitudo, igitur magnitudo conuenit ex natura rei eſſentię diuinę,maior probatur,illud, quod circumſcripto quocumque alio ab aliqua re ineſt illi rei, eſt in ea re ex natura rei,ſed circumſcripta quacumque proprietate à quacumque re ineſt ſibi modus intrinſecus, ſiuè infinitas, vel finitas,quæ eſt magnitudo virtutis ergo.

Tertium probatur, vna perſona diuina dicitur æqualis non ſibi,nec eſſentiæ,nec eſſentia ſibi,ſed alteri perſonæ,igitur requirit diſtinctionem realem,quia perſona in diuinis diſtinguitur realiter ab alia perſona,antecedens probatur ex Auguſtino 6.de Trin.c.9. vbi ait,quod in Filio eſt prima æqualitas,ſi ergo Pater poſſet eſſe æqualis ſibi,vel eſſentiæ,cum ipſe ſit prior origine Filio,in Patre eſſet prima æqualitas,quod eſt contra Auguſtinum. Secundo probatur, quod talis diſtinctio extremorum, non ſolum requiratur, ſed præexigatur etiam tali æqualitati, nam Ioannes 5. ait,Patrẽ ſuum dicebat Deum ęqualem ſe faciendo Deo, ſicut ergo ęqualitas iſta depẽdet à Filiatione,ſic prærequirit illam, qua Filius eſt à Patre realiter diſtinctus, ergo, & confirmatur, nam qualis ordo realis eſſet inter aliqua,ſi illa eſſent realiter diſtincta, talis eſt ordo inter ea quæ ſunt eadem,& ſolum diſtincta ratione,vel formaliter,

liter,ſed ſi eſſentia eſſet diſtincta realiter à ſua magnitudine eſſet prior illa, ac per conſequens communicatio eſſentiæ eſſet prior cõmunicatione ſuæ magnitudinis, iã ergo cõmunicatio eſſentiæ eſt prior cõmunicatione magnitudinis,& cõſequenter prior relatione æqualitatis, quæ requirit magnitudinem communicatam, at verò quando communicatur eſſentia conſtituitur perſona, igitur perſona præſupponitur,ac prærequiritur tali relationi.

Ex his ſequitur æqualitatem in diuinis eſſe relationem realem, cum ſit in perſonis ex natura rei,& habeat extrema realia,& realiter diſtincta, ſed quamuis Thomiſtæ concedant has tres conditiones relationis æqualitatis in diuinis,negant ibi inueniri quartam conditionem, quæ ſecundum ipſos deſideratur,vt illa relatio ſit realis nimirum quod fundamenta ſint diſtincta realiter,& non ſint idem in duobus æqualibus, ſicut ſua albedine dicitur vnus paries ſimilis alteri,ſic alter paries ſua albedine diſtincta realiter ab illa dicitur ſimilis illi.

Sed falſum eſt iſtam conditionem requiri, quin potius ad perfectam dictam relationem oppoſitum requiratur,etenimquo maior eſt vnitas ſubſtantiæ, vel qualitatis eo perfectior eſt relatio identitatis,& ſimilitudinis, ea propter perfectiſsima eſt identitas in diuinis,quoniã vna eſt eſſentia, ſi ergo poſsibilis eſt vna numero quãtitas in pluribus,ſicuti de facto eſt in diuinis, illa plura realiter diſtincta ſunt maximè æqualia illa vnica quãtitate numerica.

Quod dictum eſt de æqualitate perſonarum diuinarum idem prorſus vniformiter dicendum eſt de ſimilitudine,quæ cum ſit duplex: altera eſſentialis ſecundum differentiam ſpecificam,altera accidentalis ſecundum accidẽtia,ſic in diuinis vtraque metaphoricè dici poteſt non propriè,quia in Deo non eſt propriè differẽtia ſpecifica, neque accidentia, tamen ſi differentia ſpecifica in creaturis eſſet tota eſſentia indiuiduorum eſſet perfectior forma illorum, & conſequenter eſſet perfectior reſpectus ſimilitudinis inter illa,tunc,quam modo, eſſentia diuina autem in quantum eſt actus,& forma,eſt qua perſonę diuinæ ſunt Deus, datur ergo talis ſimilitudo in illis eſſentialis, ſcilicet ſecundum eſſentiam,& cum attributa ſint quaſi proprietates naturæ diuinæ, quæ ſecundum Damaſc.cap.5. non natura,ſed quæ circa naturam ſunt, dicunt, videtur etiam concedi poſſe ibi ſimilitudo ſimilis accidentali, iſta etiam vtraque ſimilitudo habet fundamentum in re ex parte rei,

vt patet de natura diuina, de attributis, & vnitate eorum, quę ſunt ex natura rei, & ipſa eſt relatio ſine opere intellectus, & eſt extremorum realiter diſtinctorum, ſcilicet perſonarum.

Identitatis relatio in diuinis etiam eſt realis, propter dictas rationes, præſertim quia in pluribus eſt identitas, & vnitas numeralis realis naturæ diuinę, qualis non inuenitur in creaturis reſpectu plurium, nam ſi plures homines ſint vnum, non ſunt vnum numero, ſed ſpecie, perſonæ verò diuinæ ſunt vnum numero cum diſtinctione reali ipſarum, & vnitate reali ſui fundamenti, ſcilicet eſſentiæ diuinæ.

Sed contra prædicta probatur, æqualitatem non eſſe relationē diſtinctam à ſimilitudine, & identitate, nam infinitas non eſt ſpeciale attributum ab alijs diſtinctum, ſed eſt modus intrinſecus cuiuslibet attributi, & ſimiliter magnitudo, quæ eſt fundamentum æqualitatis, tunc arguitur ſic, modus intrinſecus non eſt diſtinctus ab eo, cuius eſt modus, igitur magnitudo eſſentiæ non diſtinguitur ab eſſentia, ac per conſequens æqualitas in eſſentia, quæ eſt ſecundum magnitudinem, non diſtinguitur ab identitate, quæ eſt ſecundum eſſentiam, & ſimiliter magnitudo attributorum non diſtinguitur ab attributis, & conſequenter æqualitas, quæ eſt ſecundum magnitudinem attributorum non diſtinguitur à ſimilitudine, quæ eſt ſecundum attributa, omnis ergo magnitudo vel eſt, eſſentiæ, ſecundum quam propriè eſt identitas, vel eſt attributi, ſecundum quam propriè eſt ſimilitudo, nulla ergo videtur eſſe propriè æqualitas in diuinis diſtincta ab identitate, & ſimilitudine.

Secundò arguitur quodlibet attributum habet ſuam magnitudinem propriam, ſupra quam fundari poteſt æqualitas, tot ergo erunt æqualitates in diuinis quot ſunt attributa.

Ad primum argumentum reſpondet Scotus diſ. 31. ad primum quod non ita diſtinguitur æqualitas ab identitate, & ſimilitudine, ſicut illę diſtinguuntur, inter ſe quoniam æqualitas non poteſt eſſe ſine illis, quia ſemper eſt in forma in qua aliqua nata ſunt aſſimilari, vel identificari, ſimilitudo verò poteſt eſſe ſine identitate, & ratio eſt, quia iſtæ ſunt relationes ſecundum diuerſas formas, æqalitas autem ſecundum eamdem formam, ſecundum quam dicitur etiam ſimilitudo, vel identitas, nam ſi aliqua ſunt æqualia in forma accidentali, vel eſſentiali, illa etiam dicuntur ſimilia,

imò

imò magis ſimilia, quàm ſi non æqualiter communicarent de illa forma, ſi etiam eſſent æqualia propter naturam vnam numero, vti eſt in diuinis, maxima identitas erit, vti in diuinis eſt equalitas igitur ſemper ſtat cum vna illarum, vel etiam cum vtraq; quinimmò eſt proprius modus fundamenti vtriuſque illarum duarum relationum, nam ſi per impoſſibile Pater haberet maiorem Deitatem, & Filius minorem, eſſet ibi aliqua identitas, ſed quia fundamentum identitatis quod eſt ipſa Deitas non haberet eamdem magnitudinem non eſſet perfecta identitas, quia non eſt ibi equalitas, & ſi per impoſſibile Pater haberet maiorem ſcientiam, & Filius minorem, eſſent ſimiles, ſed non perfectè, quia deficit equalitas, magnitudo igitur, quæ eſt quaſi modus fundamenti identitatis, & ſimilitudinis fundat equalitatem, quę eſt quaſi modus ſimilitudinis, & identitatis, quia dicit vtramq; illarum, vt perfectam, ex æqualitate enim naturę, vel formæ ſequitur identitas, & ſimilitudo perfecta.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, tot eſſe magnitudines & æqualitates in diuinis quot ſunt attributa, ſicuti tamen attributa ſunt idem realiter, & vna res, ita & illæ æqualitates ſunt etiam vna res, tot etiam ſunt ſimilitudinis, & identitates, nam ſecundum quod illa ſunt quanta, ſunt æquales, ſecundum quod ſunt quid, ſunt idem & ſecundum quod habent circumſtare eſſentiam, vel habent rationem formæ dantis eſſe tum natura, tum attributa, perſonæ diuinæ ſunt ſimiles.

Dubium oritur occaſione huius tertij argumenti, & reſponſionis, nam præſuppoſito, quod in Deo ſint tot æqualitates reales, quot attributa, quarum fundamentum eſt quantitas, & magnitudo realis illorum attributorum, vtrum æqualitas in duratione, & in poteſtate ſit realis, de quibus ait Auguſ. 1. de fid. ad Petr. nulla alteram præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut ſuperat poteſtate, quia nec Filio Pater anterior, aut maior eſt, admittit ergo Augu. duas alias æqualitates prӕter ſupradictam, quarum fundamentum eſt æternitas, & poteſtas, inquiritur ergo num iſtę duæ æqualitates ſint reales.

De æternitate problematicus eſt Scotus, ſi inſit Deo ex natura rei, & magis inclinat in negatiuam partem, & hoc probat ex definitione æternitatis à Boetio tradità 5. de conſol. proſ. 6. æternitas eſt interminabilis vitę tota ſimul, & perfecta poſſeſſio, vbi vita

eſt

eſt connotatum illius, cui competit æternitas, formalis autem ratio æternitatis eſt reliquum, quod additur, quod vel dicit relationem negatiuam, nimirum interminabilis, quod excludit deſitionem, tota ſimul, quod excludit ſucceſſionem, & perfecta poſſeſſio, quod excludit dependentiam, & participationem, propter quod negatur terminatio, ſucceſſio, & dependentia, & conſequenter eſt quid rationis, & non reale, nulla enim negatio eſt ens reale, vel dicit relationem poſitiuam, & iſtam non niſi potentialem, quia interminabilis videtur dicere poſſe coexiſtere alteri extrinſeco, qui eſt reſpectus ad extra, & potentiam, ac per conſequēs ens rationis eſt, nullum enim quod potentialitatem dicit eſt reale, & præcipuè in diuinis reſpectu ad extra, tria ergo illa, quæ complēt rationem æternitatis non ſunt ex natura rei, ergo nec æternitas, ergo nec æqualitas in æternitate.

Contra hoc arguit Scotus auctoritate, & ſimul, reſpondet, auctoritas eſt Dionyſij de diuinis nominib. c. 5. Deus non eſt quodammodo exiſtens, ſed ſimpliciter, ipſe eſt eſſe exiſtentibus, & ipſum eſſe exiſtentium exiſtens ante ſęcula, ipſe enim eſt æuum æuorum, ſed Deus eſt eſſe exiſtentium reale, igitur eſt æuum æuorum reale, æternitas ergo in Deo eſt ex natura rei, vnde ſequitur æternitatem eſſe proprium modum intrinſecum exiſtentiæ diuinæ, quæ cum ſit in Deo ex natura rei, eius modus erit ex natura rei. Reſpondetur, quod ibi Dionyſius non aſſerit eodem modo æternitatem eſſe in Deo, ſicut eſt exiſtentia, quia licet exiſtentia ſit ex natura rei, quæ eſt fundamentum æternitatis, ipſa tamen æternitas non eſt huiuſmodi, cum de ſua ratione formali nihil aliud dicat niſi negationem imperfectionis, & reſpectum ad extra, propter quod dicit Dionyſius exiſtentiam Dei eſſe æuum æuorum, & quando dicitur æternitatem eſſe modum intrinſecum exiſtentiæ diuinæ, falſum eſt, licet exiſtentia ſit fundamentum eius, nam ſi per impoſſibile eſſentia diuina raptim tranſiret adhuc haberet tā eſſentia, quàm exiſtentia diuina ſuum proprium modum intrinſecum, ſcilicet infinitatem intenſiuam, ergo reſtat æqualitatem in æternitate eſſe relationem rationis.

De æqualitate in poteſtate: cum poteſtas importet relationē ad poſſibilia extra, ad quæ Deus realiter non poteſt referri, ſequitur poteſtatem, quæ ponitur fundamentum æqualitatis ab Auguſtin. loc. cit. eſſe relationem rationis, ac per conſequens relationem

nem æqualitatis eſſe etiam rationis, quod ſi dicatur nullam relationem fundari in alia relatione, aliter eſſet proceſſus in infinitũ in relationibus. Reſpondetur verum eſt hoc de relatione reali, non autem de relatione rationis, quæ in alia relatione fundari poteſt, quia omne illud poteſt eſſe fundamentum relationis rationis, quod poteſt intellectus noſter comparare ad alia, nam poteſt intellectus relationem rationis intelligere, eamque ad aliã comparare, & ſic illa ſecũda relatio fundatur in prima, vt patet etiam in ſecundis intentionibus, quarum vna in alia fundari poteſt, in propoſito autem relatio æqualitatis, quę fundatur in poteſtate eſt relatio rationis, ſicut fundamentum eius, ideſt poteſtas eſt relatio rationis, vt ſupra probatum eſt, duæ igitur æqualitates in æternitate, & in poſtate in diuinis relationes rationis ſunt.

Contra prædictam doctrinam arguitur, perſonæ ſunt æquales ſimiles, & idem ſecundum eſſentiam, at eſſentia non eſt ratio, vt perſonæ diuinæ dicantur ad aliud, igitur relationes illæ non ſunt reales, ſecus ſecundum eſſentiam eſſent ad aliud, quod nemo concedit. Reſpondetur duplex eſſe fundamentum proximum, & remotum, fundamentum proximum harum relationum ſunt magnitudo in æqualitate, & forma dans eſſe in ſimilitudine, vt ſupra dictum eſt, & ſic eſſentia, & attributa, vt habent rationem formæ dantis eſſe, ſiuè eſſentiale ex eſſentia, ſiuè circumſtantionatum ex attributis, quæ ſecundum Damaſc. cap. 5. circa naturam ſunt, fundamentum proximum ſimilitudinis ſunt, & vnitas eſt fundamentum proximum in identitate, eſſentia diuina ſic pręciſè ſumpta eſt fundamentum, vel ratio remota fundandi relationes communes prædictas, quamuis non poſſit eſſe fundamentum relationum propriarum .i. originis.

Secundo arguitur ex Aug. 5 de Trin. ca. 10. vbi ait, idem eſt illi eſſe, & magnum eſſe, igitur magnitudo tranſit in eſſentiam, & cõſequenter non manet ſecundum propriam rationem magnitudinis, vt fundare poſſit relationem æqualitatis, igitur non eſt talis æqualitas in diuinis. Reſpondetur magnitudinem tranſire in eſſentiam per identitatem realem, & manere in ſe ſecundum rationem magnitudinis, & ſic eſt fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis, etiam in creaturis: etenim circumſcripta à Deo, & à creatura quacumque proprietate habet propriam finitatem, & infinitatem, quæ ſunt magnitudines virtutis.

Ter-

Digitized by Google

Tertio iſtæ relationes, vel ſunt reales ratione eſſentiæ, vel ratione perſonarum, non primo, quia eſsentia vna eſt, & eiuſdem ad ſe non eſt relatio realis, nec ſecundo quia relatio realis non fundatur ſuper aliam relationem. Reſpondetur quod relationes cõmunes, vt dictum eſt habent duplex fundamentum in eſsentia, in qua tamen præexigunt relationes originis, & perſonas diſtinctas, & relatas, & ita prædictę relationes ſunt reales, tum ratione eſsentiæ, quæ eſt vna in tribus, tum ratione perſonarum, quæ ſunt diſtinctę realiter.

Aliæ rationes quæ adduci ſolent facili negotio per hæc principia ſoluuntur.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum Diuinæ perſonæ ex dicta vnitate habeant circumince ſſionem, ſcilicet mutuam exiſtentiam vnius in alia, & quæ ſit ratio huius inexiſtentiæ, & vtrum inueniatur aliquod exemplum circumince ſſionis in creaturis.

QVantum ad primum ab omnibus conceditur. circumince ſſio perſonarum, & ſatis expreſſa eſt Ioannis c. 14. Ego in Patre, & Pater in me eſt, modus autem eſt difficilis huius inexiſtentiæ. Vndè notandum eſt, aliquod eſſe in alio ſecundum ſe totum primo, & ſecundum partem; primo modo eſt vnum in amphora; ſecundo modo adhuc dupliciter, vel ſecundum partem, quæ non eſt aliquid eius in quo eſt, vt auis eſt in laqueo ſecundum pedem, non tamen pes eſt aliquid laquei, vel ſecundum partem, quæ eſt aliquid eius, in quo eſt, vt monſtrum habens duo corpora, & duos tantum pedes quodlibet illorum corporum eſt in alio ſecundum pedes, qui ſunt etiam alterius.

Prima ſententia aſſerit tres diuinas perſonas eſſe in ſe inuicem ſecundum partem ſecundo modo nempè ſecundum eſſentiam, quę eſt vna in omnibus, primo probatur ex communi auctoritate Patrum aſſerentium, totam rationem huius circumince ſſionis eſſe vnitatem naturę. 2. vna perſona eſt in alia in quantum habet vnitatem cum illa; ſed ratione eſſentiæ vna perſona habet vnitatem cum alia non ratione relationis originis, vt patet, ergo ſecundum

par-

partem, ideſt ſecundum eſſentiam eſt iſta circumince ſſio.

Oppoſita tamen ſententia eſt vera, & nobis tenenda, vnam perſonam diuinam eſſe in alia ſecundum ſe totam primo, quod dupliciter dicitur, primo quando aliquid competit toti, & nulli parti eius, vt triangulo competit habere tres, & homini competit eſſe riſibile, & non alicui parti illorum vni enim angulo non competit habere tres, & Animæ ſoli, vel corpori non competit eſſe riſibile, ſecundo modo quando competit primo toti, & etiam primario, vel ſecundariò parti, vt totus ignis calefacit, & totum corpus eſt in loco, & quælibet pars ignis calefacit, & pars corporis eſt in loco; nunc ad propoſitum perſonæ diuinæ ſunt in ſe inuicem ſecundum ſe totas primo, primo modo, non ſecundo modo.

Primo probatur, nam hæc circumince ſſio eſt in exiſtentia vnius ſubſiſtentis in altero ſubſiſtentes ſecundum Hylar. 7. de Trin. c. 6. vbi ait in eſſe non vt aliud in alio, vt corpus in corpore, ſed ſic in eſſe, ac ſubſiſtere, vt in ſubſiſtente inſit, & ſit ità in eſſe, vt ipſe ſubſiſtat, qnod dicitur ad differentiam vnius in alio ſecundum ſe totum primo, ſecundo modo, ſed iſta inexiſtentia, quæ eſt ſecundum ſe totum primo primo modo, eſt in diuinis perſonis, ergo nõ competit illis ſecundum partem, imò nec competit alicui parti illorum ſecundum totam, vel per totam, probatur minor, nam ſubſiſtere per ſe incommunicabiliter per ſe competit perſonę primo, & non competit illi per partem, nec parti illius, ergo ſecundũ ſe totam primo perſona eſt in alia modo ſupradicto. Secundo eſſe in, dicit relationem non originis, ſed communem vtriq; extremo, cum ſit eiuſdem rationis in vtroque, cuiſmodi non eſt relatio originis, igitur eſſe, in, habet eamdem rationem fundamenti in vtraque perſona, ſed ſecundum ſe totam primo perſona diuina fundat relationem talem, ergo ſecundum ſe totam primo vna perſona eſt in alia, & non ſecundum partem, ſed ſecundum eſſentiam, & relationem, minor probatur ex Ioannis 14. ego in Patre, & Pater in me eſt, Filius, & Pater ſunt perſonæ, ergo ipſæ fundant primo ſecundum ſe totas talem relationem. Tertio Ambroſ. in quodam Hymno dicit, totus in Verbo Pater, & in Patre totus Filius, igitur ſecundum ſe totum ſibi inexiſtunt, non ſecundum partem.

Quantum ad ſecundam partem quæſtionis de ratione huius inexiſtentiæ, ſentit Suares lib. 4. cap. 16. ſolam vnitatem naturæ eſſe rationem huius inexiſtentiæ, nam vnaquæque perſona eſt eſ-

ſentia, eſſentia eſt in omnibus, igitur vna perſona eſt in alijs duabus,& e conuerſo,ratione ſolius eſſentiæ. Sed contra hanc ſententiam arguitur, nam hæc circuminceſſio eſt ex inexiſtentia ſubſiſtentis in ſubſiſtente incommunicabiliter loquendo,vt ſupra viſum eſt,nam dicitur ego in patre,ideſt perſona in perſona,igitur eſt in exiſtentia diſtincti in diſtincto realiter,ſed eſſentia diuina non eſt diſtincta realiter a perſonis, nec eſt ratio talis diſtinctionis,ergo ipſa non poteſt eſſe ratio,& fundamentum talis circircuminceſſionis. Quod neque relatio ſola poſſit eſſe fundamentum circuminceſſionis. Probatur primo relationes originis non ſunt eiuſdem rationis in perſonis diuinis, ſed hæc relatio eſſendi in,eſt eiuſdem rationis in illis,quia Pater eſt in Filio,& Filius eſt in Patre, igitur relatio originis non poteſt eſſe ratio huius relationis. Secundo ſi inter perſonas diuinas non eſſent relationes originis,& ordo originis,& eſſent diſtinctæ, & eſſet in illis vna eſſentia,ſicuti nunc eſt,eſset ad hunc vna in alia per circumincesſionem, ſola igitur relatio originis non eſt ratio huius circuminceſſionis.

Ex his concludit Scotus in 1.diſ.19.q.2. vtramque & eſſentiã, & relationem,eſſe fundamentum talis circuminceſſionis, principalius tamen eſſe eſſentiam propter ſecundam rationem modo dictam.

Ad rationem Patris Suar.reſpondetur diuerſo modo eſſe eſſentiam in perſonis,& perſonę in ſe inuicem,nam eſſentia eſt in perſonis formaliter,perſonæ ſunt in ſe inuicem,vt ſubſiſtens in ſubſiſtente,& per circuminceſſionem,qui eſt modus inexiſtendi diſtinctus ab illo,ideò non ſequitur conſequentia Suares.

Ad fundamenta prioris ſententiæ reſpondetur Sanctos Patres reddidiſſe principalem rationem huius inexiſtentiæ, quæ eſt eſſent a,vt ſupra dictum eſt,non tamen adæquatam,& totalem rationem,quæ eſt eſſentia,& relatio ſimul.

Ad ſecundum reſpondetur, hanc inexiſtentiam non ſolum requirere vnitatem perſonarum in eſſentia, ſed diſtinctionem etiã earum,& ſic propter vtrumque dicitur hæc inexiſtentia, nam eſſentia eſt ratio vnitatis,& relatio ratio diſtinctionis.

De tertio ſi inuenitur exemplum, quod perfectè repreſentet hanc inexiſtentiam in creaturis; Scotus loc.cit. inquit,quod præcisè eſſet aliquis modus eſſendi, in, illorum quos recenſet Philoſ.

4.phiſ.

4.phiſ.tex.23. ſed nullum illorum eſt ſimile, quia illis modis vnũ eſt in alio, vel per modum partis, vel per modum informationis, vel quia contentum eſt aliquid continentis, vel è conuerſò, quando tamen contentum eſt aliquid continentis non eſt continens aliquid contenti, & è conuerſo, quando continens eſt aliquid contenti, contentum non eſt aliquid continentis, ſed iſta circumincesſio non eſt per modum partis, nec per modum informationis, nec per modum continentis, vel contenti, ſed eſt exiſtentia vnius in alio, & eſt eiuſdem rationis in vtraque perſona, ſcilicet eo modo, quo vna eſt in alia, alia eſt in illa, poteſt tamen, acommodari exemplum, ſi corpus glorioſum eſſet in alio corpore glorioſo æquè, ſubtili, & quanto, & haberent eamdem numero naturam propter quam neceſſariò ſint ſibi inuicem præſentia, quia vnum non eſt in alio per modum partis, nec informationis, neque continentiæ, ſed per modum ſubſiſtentis, & intimè preſentiæ vnius in alio, ſic aſſimilatur circumincesſioni diuinarum perſonarum.

SECTIO II.

DE PRODVCTIONIBVS PERSONARVM, & principijs producendi.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum eſſentia Diuina poſſit eſſe in aliquo, & ipſum eſſe productum.

SVb alio titulo ſolet proponi iſta quæſtio non tantum ab alijs Auctoribus, verum ab eod. Scoto diſ.2.quæſ.6. ſed magis ad propoſitum eſt iſta, cum enim in ſuperioribus actum ſit, vnam numero diuinam naturam ſtare cum pluralitate perſonarum, in quibus ipſa exiſtit, merito nunc inquiritur, ſi aliqua, vel omnes illæ perſonæ ſint productæ, ad illas enim terminari debet productio ad intra, ſi datur, vt verè datur, quod infra probabitur.

In

In præſenti quæſtione prius reijciendæ ſunt duæ hæreſes, ſicut facit Diu. Tho.q.27.a.1.quæ quidem admittunt productionem in diuinis, ſed illam inquiunt eſſe ad extra, primo enim Arrius accepit hanc proceſſionem ſecundum, quod effectus procedit a cauſa, etenim aſſeruit Filium procedere a Patre, vt primam eius creaturam & Spiritum Sanctum, vt vtriuſque creaturam: hæc igitur productio ſecundum Arrium eſt ad extra, & conſequenter nulla datur productio ad intra, ex quò ſequitur neque Filiū, neque Spiritum Sanctum eſſe verum Deum, ſed probando Filium, & Spiritum Sanctum eſſe verum Deum, ſimul probatur eſſe productionē ad intra, & non eſſe tamquam cauſæ, & effectus, cum habeant eamdem numero naturam, aſſumptum probat Diuus Thomas loc.cit.primo de Filio, ex illo Ioannis 1.vt ſimus in vero Filio eius, hic eſt verus Deus. Secundo de Spiritu Sancto, ſolius Dei eſt habere templum nunquam enim aliqua natio dedicauit alicui templum, quem non putarit eſſe verum Deum & Spiritus Sanctus habet templum ex illo 1.ad Corint. 6.an neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, verus igitur Deus eſt Spiritus Sanctus.

Secundus fuit Sabellius, qui declarauit hanc productionem ſecundum, quod cauſſa procedit in effectum in quantum vel mouet ipſum, vel ſimilitudinem ſuam imprimit illi, primam declarauit de Spiritu Sancto, quo Pater naturam rationalem ſanctificat, & viuificat, & ad vitam mouet. Secundam de Filio ſecundum quod carnem aſſumpſit ex Virgine, & ſic inquit Sabellius Patrem eſſe Patrem inquantum eſt omnium creator, & eumdem Patrem eſſe Filium vt aſſumpſit carnem humanam, & eumdem Patrem eſſe Spiritum Sanctum in quantum ſanctificat homines, ſic ergo poſuit vnam tantum perſonam in diuinis diuerſis nominibus per diuerſas rationes inſignitam, ac per conſequens ſecundum ipſum ad intra nulla eſt productio, ſiquidem illæ duæ actiones incarnationis, & ſanctificationis ad extra ſunt; ſed facilè refellitur hic error ex illo Ioannis 5.non poteſt facere Filius à ſe quicquam & conſequenter Filius non eſt Pater, alioquin poſſit à ſe facere, ſicut Pater facit à ſe, idem argumentum applicari poteſt ad Spiritum Sāctum, qui neque à ſe quicquam facere poteſt.

Certiſſima ergo & catholica veritas eſt in diuinis eſſe productionem ad intra, cum enim etiam dicti hæretici aſſerant, plures

perſonas,

perſonas, vt Arrius, contra quem probauimus, omnes tres eſſe verum Deum, & eſſe diſtinctas realiter, vt contra Sabellium probauimus, & inter illas eſſe actionem ſimilem cauſę, & effectus, neceſſariò ſequitur inter illas veram productionem eſſe vnius ab altera, quam veritatem diuerſi diuerſimodè probare conantur, quis autē probabilius probet in recitando eorũ opiniones apparebit.

Primo D. Thomas vbi ſupra probat ſola auctoritate illa Ioannis 8. Ego ex ore altiſſimi proceſſi, nullam autem rationem adducit ad probandum productionem eſſe in diuinis, ſed modum ipſius tantum exponit, ſupponendo ipſam eſſe in diuinis ex illa auctoritate, ſed cum nō deſint qui negent hunc modum procedendi Verbi diuini per actum intellectus, vt infra qu. 4. dicetur de Durandi opinione, licet verus ſit iſte modus, non tamen conuincit, neque ſufficienter D. Thomas probat omnibus aliqua ratione productionem, eſſe in diuinis ad intra.

Secundò Henricus probat: Prima perſona conſtituitur per relationem ad ſecundam, igitur in diuinis ſunt plures perſonę, quarum vna eſt ab alia, antecedens probatur, nam ſecus relatio originis adueniret Patri iam conſtituto, ac per cōſequens dicta relatio eſt accidēs, quod eſt incōueniens dicere, conſequentia etiam probatur, nam illa relatio originē ſignificat, & conſequenter productionem; hæc tamen ratio ſecundũ Scotum in multis peccat, tũ quia inquit relationem aduenientem perſonæ diuinæ conſtitutæ, & non conſtituentem illam eſſe accidens, cuius oppoſitũ apparet in ſpiratione actiua, quæ nō eſt accidens, nō obſtante, quod adueniat perſonis Patris, & Filij iam conſtitutis, & non cōſtituat illas, tum quia demōſtrat ignotum per magis ignotum, tũ infidelibus, quibus facilius perſuadetur pluralitas diuinarum perſonarum, cũ plures Deos ipſi admiſerint, quam probetur perſonam diuinam conſtitui per relationem ſubſiſtentem, & in naturalibus oppoſitũ vident, tum etiam fidelibus, quibus notũ eſt ex fidei ſaltem articulis, plura eſſe ſuppoſita in diuinis, illud verò, quod per ſe ſubſiſtens cōſtituatur per relationem, nec naturaliter noſcitur, nec habetur aliquis articulis fidei. Secundo probat Henricus virtus ſummè actiua ſummè ſe diffundit, ſed hoc fit producendo, & communicādo ſummam naturam, quod nō poteſt fieri niſi ad intra ergo, è cōtra Scotus inquit neque iſtam rationem conuincere, nam oportet probare eſſe poſſibilem talem communicationem in vnitate nu-

merica naturæ,nam ſummum eſt cõmunicabile, & ſui diffuſiuum tantum,quantum eſt poſſibile.

Tertiò Riccardus probat duabus alijs rationibus de ratione ſummi boni ſummè communicatiui, cuius cõmunicatio non eſſet ſumma,niſi intra eamdem naturam, quia melior natura communicabilis inueniri non poſſit. Secundò probat de ratione perfecti, cuius ratio eſt producere ſibi ſimile ex 1.& 4.met. igitur perfectũ producit ſibi ſimile,ſed perfectius eſt, quod producat ſibi ſimile vniuocè,quam ęquiuocè,ergo, has etiam rationes inſufficiẽtes eſſe probat Scotus, nam oportet probare communicationem naturæ eiuſdem numero , & productionem in vnitate numerica naturæ vniuoca,eſſe poſſibilem, quia ad impoſſibile includens contradictionem non eſt potentia.

Quartò denique probat Scotus,vbi eſt aduertendum eius rationes neque eſſe etiam demõſtrationes,ſed ſemper arguit ex principijs fidei,ſunt tamen fortiores,& probabiliores quam præcedentes,primam eius rationem ſufficit hic breuiter adducere, aliæ nãque poſſunt in tex. videri; vbicumque reperitur principium productiuum ſufficiens, & in eo ſit ſine imperfectione, & non ſit illi communicatum ab alio,ſed in eo à ſe ſit, principium illud poteſt producere,& cum in diuinis idem ſit eſſe, & poſſe, ibi neceſſariò producit, ſed in Patre æterno; ſiuè in Deo eſt intellectus habens obiectum actu intelligibile ſibi præſens,& ſic eſt principium productiuum,& in illo eſt à ſe & ſine imperfectione, igitur ibi poteſt intellectus producere, & neceſſariò de facto producit, nimirum notitiam genitam adæquatam tali intellectui, cum ſit agens naturale per vltimum poſſe,& non impeditum,vt patet. Sub infertur, ſed notitia genita adæquata intellectui, & memoriæ diuinæ eſt infinita,& conſequenter per ſe ſubſiſtens,& conſequenter ſubſtantia infinita,& conſequenter intra naturam diuinam, quia infinitum non exiſtit in alio, & extra naturam diuinam inueniri non poteſt,ex quo colligitur in diuinis,neceſſariò dari productionem perſonæ diuinæ in identitate naturæ numerica, idem argumentum confici poteſt reſpectiuè de voluntate tamquam de principio productiuo ſufficienti à ſe,& non impedito à modis,qui etiã debet eſſe per ſe ſubſiſtens,&ſubſtãtia infinita in eadẽ natura,ac ꝑ conſequens alia perſona cũ ſit ſubſiſtẽs in natura intellectuali; hæ inquã rationes ſunt neceſſariæ, & magis neceſſariæ, quã ꝓcedentes,

tes,& rectè probant nimirum ignotum per magis ignotum naturaliter,&ex ſuppoſitione de fide.ſ.quod in diuinis debeat eſſe productio per intellectũ,& voluntatẽ,ꝙ negauit Durãdus,& ideò vera demõſtratio ad hoc probãdũ demõſtrari, & excogitari nõ põt.

Nihilominus impugnat Scotus iſtam ſuam rationem,ea intentione,vt vis eius magis appareat,negando illam vltimam minorem,nam intellectus tunc ſolum eſt principium productiuũ,quandò poteſt habere notitiam a ſe diſtinctã,à qua perficiatur, diuinus autem intellectus cum in ſeipſo ſit perfectiſſimus per notitiam à ſe diſtinctam perfici non poteſt. Secundo dato,quod non requiratur iſta conditio .ſ. quod ſit notitia diſtincta ab intellectu , illa tamen notitia,quam produceret eſſet fruſtra,cum aliam habeat ingenitam notitiam,qua benè perficitur,& videat eſſentiam, & eſt beatus. Tertiò quamuis iſta conditio non requiratur .ſ. vt perficiatur à notitia , adhuc intellectus non poteſt notitiam genitam producere,cum iam habeat terminum ſuum adæquatum , ſcilicet notitiam ingenitam,quaſi productam,quia nihil poteſt extra ſuas vires,ac per conſequens producto ſuo termino,& effectu adęquato,alium producere nequit.Quarto,eſto,quod nõ opporteat principiũ,termino adęquato producto,ibi ſiſtere,ſed alium producere poſſit eadẽ vel alia actione,illa tñ notitia ſecũdo producta ab intellectu,neceſſariò deberet eſſe intra ipsũ producẽtẽ,&non extra, nec realiter ab eo diſtincta,quod probatur ex Ariſ. 9.met.tex.16. vni ponit differentiam inter potentiam actiuam, & factiuã,quod illa intra ſe producit effectũ,iſta verò extra ſe,cũ ergo intellectus ſit potentia actiua,non factiua intra ſe, nõ extra ſe producere debet effectum,& ſic non à ſe realiter diſtinctum.

His quattuor obiectionibus occurrit Scotus iacto quodam fundamento,quod intellectus diuinus, & humanus in aliquo conueniunt,& in aliquo differunt, conueniunt , quia vterque eſt productiuus notitiæ,differunt,quia humanus producẽdo in ſe recipit ſimul ipſam notitiam , & diuinus non recipit,ratio eſt,quia producere dicit perfectionem,ſicut continere virtualiter effectum in ſui potentia perfectionem dicit,recipere autem dicit imperfectionẽ, cum ſit potentialitas paſſiua ; diuinus igitur intellectus retinet id quod dicit perfectionem,ſecluſa omni imperfectione , quod probatur; nã iſta duo producere,& recipere diuiſibilia ſunt,potentialitas enim paſſiua, nihil facit ad hoc vt intellectus ſit productiuus,

ſed vbi duo per accidens concurrunt,ſecluſo illo, quod non eſt de ratione actionis remanet id,quod pertinet ad actionem, ergo ratio agendi in intellectu diuino reſtat,ſecluſa ratione recipiẽdi notitiam,cum hæc imperfectio ſit.

Hoc idem declarat Scotus exemplo Diui Auguſtini de notitia condita 14. de trinit. quod ſi Deus concreaſſet homini notitiam ſuipſiusmet hominis, nõ poſſet vltra homo producere notitiã ſui in ſeipſo,q̃a iã ipsã habet ſecũ cõcreatã,& hoc ſtãte,adhuc poſſet homo ꝑducere notitiã ſui in alio intellectu puta Angelico,vel ſeparato in rõne obiecti,q̃a ſic gignere cõpetit ſibi,vnde eſt in actu ſed obiectũ actu intelligibile eſt homo reſpectu intellectus abſtracti,igitur in tali caſu homo produceret notitiã ſui in rõne obiecti, nõ potẽtiæ nõ in ſe,ſed in alio extra ſe & cõſequẽter nõ reciperet illã; itẽ ſi poſſet intellectus humanus habere aliquod obiectũ actu intelligibile in ſe p̃ſens,poſſet notitiã illius obiecti gignere in paſſo approximato.i.in alio intellectu,ſi ꝙ tale ſit,& hoc etiã in rõne potentiæ,vt puta intellectus cauſans cognitionẽ in alterius intellectu pronũciando aliquã propoſitionẽ illi ignotã v.g.ſi fidelis diceret infideli, Deus, quem credo, eſt trinus, & vnus, ſic cauſaret in intellectu prędicto tamquam in paſſo approximato notitiam Trinitatis. Item poſſet etiam gignere notitiam per ſe ſtantem, ſi haberet virtutem gignendi aliquid per ſe ſtans, ſic in propoſito ab intellectu diuino circumſcripta ratione receptiui notitiæ, remanet ratio productiui notitiæ, per ſe ſtantis, quia talem producere poteſt, quamuis non recipiatur in intellectu, qui eſt principium gignendi.

Sed notandum eſt circa iſtam litteram Scoti,non ſatis intellectam ab aliquibus illam confundentibus potius, quam ad propoſitum declarantibus,intellectum enim Scoti eſt probare,abſtrahi poſſe rationem agendi,& gignendi à ratione recipiẽdi, & in hoc præcisè currit exemplũ D. Aug.nam tres partes ſunt in hoc exẽplo,prima pars eſt,quod intellectus habẽs notitiam ſui concreatã poſſit gignere nõ in ſe,quia iã illã habet,ſed in alio intellectu in ratione obiecti.Secũda pars eſt,quod ſi idẽ intellectus haberet aliud obiectum actu intelligibile,& paſſum .i. alium intellectum debitè aproximatum poſſet gignere notitiã illius obiecti in illo alio intellectu.Tertia pars eſt,quod ſi intellectus haberet potentiam gignẽdi notitiã per ſe ſtãtẽ,gigneret,ac percõſequẽs extra ſeipſum,

Lyche-

Lychetus verò confundit primã cum ſecunda parte, vt eſt videre apud ipſum.

Prima pars explicatur, quod in tali caſu intellectus gignẽs notitiam ſui in intellectu angelico gigneret extra ſe, ſed in ratione obiecti, non in ratione potentiæ, intellectus autẽ diuinus gignens notitiam genitam, præſuppoſita notitia ingenita ſibi connota, gignit non in ratione obiecti, ſed potentiæ, & in hoc non valet exemplum de intellectu humano.

Secunda pars declaratur, in caſu, quo intellectus humanus gigneret notitiam obiecti ſibi præſentis actu intelligibilis in alio paſſo approximato, ideſt in intellectu, neceſſariò gignit prius eamdem notitiam in ſeipſo, quam in illo, quod patet, quia Diuus Auguſtinus loquitur de intellectu habente notitiam ſui concreatã, & non alterius obiecti, in prima parte, in ſecunda verò parte loquitur de notitia alterius obiecti, quam non habet ſibi concreatã, & conſequenter gignendo illam recipit prius illam in ſe, intellectus verò diuinus gignit notitiam genitam extra ſe abſque eo, quod prius ſit in ſeipſo recepta. Addendum eſt igitur in hac ſecũda parte, ſi intellectus haberet notitiam concreatam à Deo alicuius obiecti ſibi infuſam à ſui conditione, tunc in ſeipſo producere non poſſet notitiam illius obiecti, quia iam habet ſibi concreatam, benè tamen poſſet producere illam omnino extra ſe in ratione potentiæ alicui alteri intellectui, & in hoc currit totaliter exẽplum de intellectu diuino, qui habet notitiam eſſentiæ diuinæ in ſeipſo connotam, quare non poteſt eamdem in ſe producere, ſed producendo producit extra, nimirum notitiam genitam, quæ eſt Filius ſecunda perſona.

Tertia pars currit de poſſibili exemplũ, & hoc valere videtur, ſiuè habeat, ſiuè non habeat notitiam aliquam concreatam, nam per ſe ſtans in nullo recipi poteſt, & hæc vltima pars eſt magis ſimilis gignitioni Verbi diuini.

Ex his dictis patet ad obiectiones, & præcisè ad vltimam, quæ eſt quarta in ordine, quod non opporteat in diuinis, vt notitia producta recipiatur in producente, cum ipſa ſit per ſe ſtans, atque ſubſiſtens, & perſona, quæ ſapientia genita dicitur, ſecus eſt in creaturis vbi omnis notitia eſt accidens.

Contra doctrinam iſtam, arguit Scotus multipliciter, ſed duas, aut tres rationes ſatis eſt adducere, quæ difficiliores ſunt, prima

eſt, quod eſt ex ſe neceſsarium nō producitur,ſed tres perſonæ diuinæ ſunt ex ſe neceſsariæ, ergo; minor patet, maiorem probat Scotus quinque vijs,quæ rationes principales etiam eſse poſſunt. Prima via nullum ens neceſſarium ſimul eſt neceſsarium ex ſe, & ab alio,ſed ſi aliqua perſona diuina producitur eſt neceſsaria ab alio,igitur non ex ſe,quod eſt falſum, maior probatur, quoniam neceſsarium ex ſe eſt neceſsarium omni alio circumſcripto, igitur neceſsarium ab alio,circumſcripto illo,non eſt neceſsarium: Secūda via poſſibilitas repugnat neceſsario ex ſe, ſed productum fuit poſſibile produci, alias impoſſibile fuiſset productum, igitur aliqua perſona diuina non eſt neceſsaria ex ſe, quod eſt falſum: Tertia via, nam perſona diuina eſset mutata de non eſse ad eſse, quia productum eſt poſterius producente, ergo quando intelligitur producens non eſt adhuc productum: Quarta via,quia eſsentia diuina fieret de non habente perſonam ad habentem perſonam, quia circumſcripta productione non habet illam: Quinta via, quia eſset mutatio in diuinis,productio enim ad eſse per modum naturæ eſt generatio, hęc autem ſecundum phyſicos eſt eſſentialiter mutatio,ergo.

Ad primam harum probationum reſpondetur, eſſe neceſſarium ex ſe,& ab alio in eodem genere cauſæ implicat, in diuerſo autem genere non implicat; neceſsarium enim ex ſe ſignificat cauſam formalem, ideſt eſse formaliter neceſsarium, neceſsarium ab alio ſignificat cauſam efficientem, & ſic Filius, & Spiritus Sanctus ſunt neceſsarij ex ſe, ideſt formaliter, & ſunt neceſſarij ab alio,quia producuntur ab alio: ad probationem maioris dicitur,quod vera eſt maior, quando poſſibilis eſt circumſcriptio vnius ab alio, quando verò eſt productio in eadem natura numerica, circumſcripto vno circumſcribitur, & aliud & è conuerſo vno exiſtente, non poteſt circumſcribi alius,& ſic eſt in diuinis.

Ad ſecundam reſpōdetur,poſſibile dupliciter ſumitur,vt diſtinctum contra neceſſarium,& ſic nulla perſona diuina eſt poſſibilis, & vt diſtincta contra impoſſibile,& ſic omnes tres perſonæ diuinæ ſunt poſſibiles.

Ad tertiam reſpondetur,aliquid dupliciter poteſt intelligi ſine alio,vel intelligendo vnum non intelligendo alium,ſiue ille exiſtat,ſiue non,& ſic poteſt intelligi Pater ſine Filio,vel intelligendo vnum eſſe,& alterum non eſſe,& ſic eſt falſum in diuinis po-

teſt

teſt,enim in diuinis perſonis fieri abſtractio præciſiua,non autem diuiſiua.

Ad quartam reſpondetur, eſſentiam diuinam fieri de non habente,habente perſonam dupliciter, formaliter, vel per productionem. Primo modo falſum eſt, ſemper enim de ſe habet tres perſonas,ſecundo modo eſt verum,cum enim ſit in illis ſecundũ ordinem originis,prius intelligitur habere primam,quam ſecundam perſonam.

Ad quintam reſpondetur,generationem in creaturis includere duo mutationem, & productionem, abſtracta igitur mutatione, quæ dicit imperfectionem,reſtat quod ſit productio,quod phyſici non cognouerunt.

Secunda ratio principalis,productũ eſt dependens ab alio,ſed nulla perſona diuina eſt dependens ab alio,igitur nulla eſt producta,maior probatur,quia alias ęqualiter Pater,& Filius haberent eſſentiam diuinam. Reſpondetur negando maiorem, ad probationem conceditur æquè independenter eſſentiam diuinam eſſe in producente,& producto,quia dependentia propriè dicit diuerſam naturam producentis,& producti eſt tamen ibi pręexigentia ſecundum quam eſſentia diuina non eſt in Patre,& in Filio ſimul origine.

Tertio arguit Diuus Thomas,proceſſio ab alio repugnat primo principio,ſed Deus eſt primum principium,vt patet ergo.

Reſpondetur quod procedere ab alio,vt extraneum, & diuerſum repugnat primo principio,ſed procedere,vt intimum, & per modũ intelligibilem, vti eſt in diuinis non repugnat primo principio.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum in Diuinis ſint duo principia productiua, & duæ productiones, & non plures ad intra.

PRimam partem huius quæſtionis affirmatiuam tenet, & probat Scot.d.2.q.5. dupliciter, primo à modo agendi ipſius principij,ideſt naturæ,& voluntatis. Secundo ab ipſo producto infinito, & conſequenter ad intra. Primo ſic arguit omnis pluralitas reducitur ad paucitatem tantam, quanta eſt poſſibilis,

ſed non poteſt reduci pluralitas principiorum in diuinis ad maiorem vnitatem,& paucitatē,quam dualitatis, ſcilicet intellectus, & voluntatis,ergo duo tantum ſunt principia, probatur minor, nam ſi reducerentur ad vnum principium, vel alter illorum duorum modorum principiandi, ſcilicet naturaliter determinatè,& per modum naturæ, qui eſt modus principiandi intellectus reduceretur ad alterum modum principiandi, ſcilicet liberè & non vt ſic determinatè,qui eſt voluntatis,vel è conuerſo iſte ſecundus reduceretur ad primum,ſed hoc eſt impoſſibile fieri, maior patet, nam illud principium vel eſſet productiuum ex ſe determinatè, & per modum naturæ,vel liberè,& per modum voluntatis, vel nullo modo,minor probatur, tum quia nullum oppoſitorum totaliter reducitur ad ſuum oppoſitum; hi autem modi operandi naturaliter,& liberè ſunt oppoſiti, ergo, tum quia ſi reduceretur vnus modus principiandi ad alterum, ille ſecundum totum genus ſuum eſſet imperfectus,ſed hoc eſt falſum in diuinis,vbi nulla datur imperfectio,igitur reduci non poteſt,ergo, probatur hęc falſitas minoris, quoniam ex eadem perfectione, conuenit vtrique principio eſſe operatiuum,& productiuum, ſed inquantum operatiuum neutrum eſt imperfectum,quia non eſſet formaliter in Deo, igitur neque eſt imperfectum inquantum eſt productiuum, ſequitur ergo concluſio primi ſyllogiſmi, quod ad dualitatem principij productiui,nempè per modum naturæ,& per modum voluntatis reduci debet ordo principiorum, paraſyllogizo, ſed in primo principio,quod eſt Deus debent poni iſta duo principia ſecundum ſuas rationes principiandi, quia ad nullum prius reduci poſſunt, nec vnum ad alterum,igitur duo tantum principia productiua alterius rationis ſunt in Deo.

Hæc autem duo principia productiua eſſe productiua ad intra probatur ratione infinitatis productorum ab intellectu, & à volũtate,quod redit in illud,quod probauimus quæſtione pręcedenti de productione ad intra, ſiquidem infinitum extra naturam diuinam inueniri non poteſt.

Huic rationi reſpondet Scotus, & vtitur hac reſponſione tamquam ratione,quæ eſt tertia in ordine,dicens,quod vnum principium horum duorum reducitur ad alterum tamquam ad prius, & conſequenter perfectius nimirum ad principium, quod eſt natura reducitur voluntas, quia illud eſt prius in ratione principiandi, quam-

quamuis habeat oppoſitum modum principiandi, & ſic illud vnũ principium habet determinatè primum modum principiandi,ad quem reducitur ſecundus modus,quod non inconueniit.

Sed contra hoc eſt, nam quando duo principia habent oppoſitos modos principiandi,quorum neutrum importat aliquam imperfectionem,neutrum reducitur ad alterum, vt ad prius natura, quæ prioritas dicit perfectionem in priori, licet poſſit ibi eſſe aliqua prioritas quaſi originis,quæ non dicit perfectionem in priori,at intellectus, & voluntas non magis in quantum operatiui, quam in quantum productiui non includunt imperfectionem, igitur nec modus vnius principiandi,nec vnum principium ad alterum,nec ambo ad vnum tertium reduci poſſunt, quia ſic in illo tertio vnus modus neceſſariò etiam reduceretur ad alterum, & ſic idem ad ſeipſum,quod dici non poteſt.

Quattuor alias rationes adducit Scotus contra prędictam rationem pro cõcluſione noſtra,quarum, quia primam magis ad propoſitum explicabimus quęſtione quarta huius Sectionis,& ſecundam mox infra in argumentis Henrici, & tertiam modo ſupra poſuimus,& quartam,& quintam in ordine q. ſequenti, vbi agetur ſi poſſint eſſe plures productiones eiuſdem rationis,propterea hic adducere ſuperfluum eſt.

His ita poſitis atque probatis, ſequitur ſecunda veritas ſecundæ partis huius quæſtionis,quod in diuinis ad intra ſint duæ & nõ plures productiones, vel proceſſiones, vtrum verò diſtinctio harum proceſſionum per principia productiua ſit formalis,vel non, videbitur infra in propria quæſtione; prædicta autem veritas habetur ex Sacr. Script. Ioannis 8.& 15. vbi Filius à Patre,& Spiritus Sanctus à Patre,& Filio procedere dicitur, definitur etiam in Symbol. Nyceno,& Athanaſij.

Alia via probat Hẽricus prædictam concluſionem, quod actus notionales fundantur ſuper actus eſſentialas, ſed iſti ſunt duo, ergo,& illi duo, & longa digreſſione impugnat Scotus modum ponendi hos actus Henrici dicentis, quod intellectus nudus intelligendo eſſentiam producit notitiam ſimplicem,qua intellectus ex nudo fit formatus, deinde ipſe vt nudus reflectit ſe ſupra ſeipſum vt formatum,ſcilicet cognoſcendo ſe, vt formatum illa notitia ſimplici,& in hac reflexione ipſe, vt nudus in ratione potentiæ intelligentis, & ipſemet vt formatus in ratione obiecti intellecti

gignit

gignit notitiam genitam,quæ recipitur in eodem intellectu, hoc eodem modo, probat de voluntate circa productionem Spiritus Sancti, vndè concludit Henricus duas tantum eſſe productiones in diuinis.

In his dictis multa abſurda inculcat Henricus, quæ videri oportet in Scoto,ne adeò digrediamur,vt noſtrum propoſitum dimittamus pro nunc ſufficit negare ſuum principium nimirũ actus notionales fundari ſuper eſſentiales, quoniam ſi per impoſſibile in diuinis eſſentiales actus non eſſent, adhuc eſſent notionales actus,ſcilicet productiones,vt infra q.6.oſtendemus.Sufficit ergo ad probationem duarum productionum, probaſſe in diuinis eſſe duo principia productiua ad intra,quę quidem productiones quomodo inter ſe diſtinguantur,& vnde ſuam formalem diſtinctionẽ ſumant,infra diſp.4.videbimus agentes de generatione,& ſpiratione in particulari,argumenta vero contra concluſionẽ ſecundã adducemus q.ſeq.magis ad propoſitum.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum in Diuinis poſſint eſſe plures productiones,eiuſdem rationis vt plures generationes,aut plures ſpirationes.

PRæſuppoſito, quod probauimus q.pręced.in Deo eſſe duo tantum principia productiua diuerſę rationis,& conſequẽter duas productiones diuerſæ rationis,nunc inquiritur,an ab eodem principio in diuinis poſſint plures productiones fluere,& ratio dubitandi eſt clara,nam in creaturis videmus idem principiũ ſemel bis, & centies producere centum effectus hoc tamen non obſtante pars negatiua de fide nobis tenenda eſt.

Hic eſt aduertendum propoſitum non poſſe vllo modo demõſtrari rationibus naturalibus, niſi præſuppoſito fundamento ex fide,nobis tamen videndum eſt,quot modis probari poſſit,quævè ſint veriores,& probabiliores,& magis neceſſariæ rationes,quarum neceſſitas, dependet ex illo principio de fide,quod in Deo ſint duo tantum principia productiua ad intra.

Primo D.Thom.probat intentum quattuor rationibus, prima ex parte relationum originis,quibus perſonę diſtinguntur,nã formæ vnius ſpeciei non multiplicantur niſi ſecũdum materiam,

ſed

ſed in diuinis nõ eſt materia,non ergo poſſunt ibi eſſe plures paternitates,& plures filiationes,ac per conſequens plures generationes.

Secunda ratio eſt ex parte proceſſionum, nam in Deo eſt vnicus actus intelligendi, & vnicus volendi, vel amandi, ſiquidem omnia intelligit,& vult vnico actu ſimplici, non ergo poteſt eſſe niſi vnicum Verbum,& vnicus Spiritus Sanctus, & conſequenter vna generatio, & vna ſpiratio, ſequela probatur,quia Verbum producitur per actum intelligendi,& Spiritus Sanctus per actum amandi. Tertia ratio eſt ex modo procedendi,nã perſonæ diuinæ procedunt naturaliter, at natura determinatur ad vnum, igitur vnica productio vnius rationis. Quarta ratio eſt ex perfectione diuinarum perſonarum,ex hoc.n.eſt perfectus Filius,quia tota filiatio diuina in eo continetur, & fæcunditas generationis ad vnius Filij productionem exhauritur, igitur vnus eſt Filius, & vna generatio idem dicendum eſt de Spiritu Sancto, & ſpiratione.

Has rationes impugnat Scotus,primam ait aſſumere dubium, quod eſt in lite,& falſum apud tenentes oppoſitum maioris,quod probatur,formas,ſcilicet multiplicari ſine materia ex tribus articulis condemnatis à Schola Pariſienſi, vt eſt videre apud Scotũ in quolibetis q.2.& Damaſcen.in elementario tex.12.tenet aliquos Angelos ſolo numero diſtingui, poſt hoc inquit ſecundum vnumquemque ordinem angelorum, & virtutum differentes hypoſtaſes condidit non ſolum hoc,ſed etiam ſecundum vnãquãq; ſpeciem, vt vti communicantes ad inuicem naturam gaudeant ad inuicem,poſuit igitur Damaſceni in Angelis non ſolum differentiam ſpecificam in aliquibus,ſed etiam numericam in eadem ſpecie in alijs. Reſpondet Caietanus pro D.Thomas quod non intellexit de materia,quæ eſt altera pars compoſiti,quod ſit cauſſa multiplicitatis formarum,ſed materiam accepit hic pro receptiuo,& inquit,quod illa forma,quæ habet ſubiectum receptiuũ eſt multiplicabilis,vt claritas licet ſit immaterialis habet voluntates hominum, & Angelorum pro receptiuo, propter hoc eſt multiplicabilis,formæ verò quæ non habent receptiuũ non ſunt multiplicabiles,ſicuti ſunt formæ immateriales,vt patet de Angelis, potentialitas autem, & receptibilitas, quæ eſt materiæ eſt cauſſa multiplicationis formæ, vt patet de animabus humanis,

quæ

quæ recipiuntur in materia,& propter hoc multiplicantur numero.

Sed contra hoc eſt, nam ſenſus illius propoſitionis eſt, quod forma eſt plurificabilis,quia ex intima ſui ratione eſt apta recipi in pluribus ſubiectis,& ſic eſt petere principium,nam idem eſt ac dicere forma eſt multiplicabilis,quia eſt multiplicabilis, vel forma eſt multiplicabilis numeraliter, quia habet ſubiectum in quo illa multiplicatio recipi poſſit, vt patet de charitate, ſed hoc eſt falſum,& oppoſitum ſupra probatum eſt de angelis,qui ſunt formæ puriſſimæ,& non habent ſubiectum in quo recipiantur,& tamen multiplicantur numero.

Secundam rationem oppugnat Scotus,primo negando ſequelam,quam inquit valere ſolum in humanis,vbi cuicumque dicere correſpondet ſuum intelligere,& è conuerſo,& ratio eſt,quia intelligere humanum producitur, & ſic dicere eſt productio ipſius intelligere humani,in diuinis autem intelligere non producitur, quia eſt notitia ingenita,& ideo non currit ibi eadem ratio,porrò in humanis dicere eſt prius intelligere,& in diuinis è contra prius eſt intelligere,quam dicere,de qua prioritate infra dicemus,igitur intelligere cum ſit forma abſoluta prior dicere,quod dicit reſpectum cum ſit productio poteſt illo vno remanente plurificari poſterius,ſcilicet dicere. Rurſus ſicut non eſt bona, & formalis conſequentia eſt vnica eſſentia,ergo vnica productione communicatur,ſic neque eſt formalis conſequentia vnicũ eſt intelligere ergo vnicum dicere,ideſt per vnicum dicere communicatur,quia poſſet pluribus dicere communicari natura.

Ad hoc reſpondet Caietanus,quod intelligi debet eſt vnicum intelligere,& vnum dicere dumtaxat adęquatum,ex quo ſequitur eſſe vnicum Verbum,ſed ſuũ eſt probare aſſumptũ quod,ſcilicet in diuinis ſit vnicum dicere adæquatum ipſi intelligere, quia hoc inquiritur in prçsẽti quęſtione,ex quo ſequitur,fore vnicũ Verbũ, ſed hoc iam præſupponunt D.Thom.& Caietanus,& conſequẽter non reſpondent quæſtioni.

Tertia ratio oppugnatur, nam homo plures producit filios per vnicam numero naturam, quam habet, & ſic vnica natura poteſt eſſe principium plurium productionum vnius rationis, & ità non concludit ratio D.Thom.& futilis eſt defenſio Caietani, quod Diuus Thomas intellexit naturam eſſe determinatam,non

ad vnum numero, neque ad vnum modum agendi, ſed ad vnum formaliter,& ſic omnibus modis,quo eſt communicabilis, ſequitur ad vnum numero determinari. Sed contra hoc eſt, quoniam natura determinata ad vnum formaliter, vel determinatur ad vnum modum agendi,vel ad vnam formam agendi,& ita conceditur,non tamen inde ſequitur ad vnum numero eſſe determinatam,vel intelligitur, quod eſt determinata ad vnum numero ſecundum illum modum formalem,quo producit illa natura,& hoc eſt iam impugnatum, deinde D.Thomas debet intelligere,illam determinationem eſſe ad vnum numero, ſecus non concluderet propoſitum ſua ratio,quia ſi ad vnum numero non determinatur, poterit productione eiuſdem rationis ad aliud diſtinctum numero determinari.

Quarta ratio oppugnatur fœcunditatem exhauriri, poteſt intelligi dupliciter,primo,quod nihil illius remaneat in eo, in quo præfuit,ſicut tota,aqua quando exhauritur a puteo, & ſic eſt falſum acciperet exhauriri in diuinis quia fęcunditas non ita exhauritur per productionem Filij, quin tota in Patre remaneat. Secundo exhauritur fœcunditas,quia in Patre non manet ad alium actum generationis alterius Filij, ſicut ſi in fonte non maneret aqua ad alium actum potationis, & ita exhauſta fœcunditate ad Filij generationem, non poteſt alius Filius generari, ſed hoc eſt probandum in propoſito,nam idem eſt dicere,ſi poteſt in diuinis eſſe alia generatio alterius Filij, ac ſi fuit, vel non fuit exhauſta fœcunditas Patris per vnicum actum generandi,hoc tamen non probat ratio D.Thomæ, aliundè ergo probanda eſt concluſio huius quæſtionis rationibus neceſſarijs, quæ neceſſitatem vnius productionis vnius rationis neceſſariò oſtendant,quamuis rationes non poſſint eſſe totaliter naturales.

Scotus igitur probat propoſitum in quolibetis q.2.§.de 2.primo ſi poſſunt eſſe plures productiones eiuſdem rationis, igitur poſſunt eſſe infinitæ,ergo neceſſariò ſunt infinitæ vltima ſequela patet, nam in diuinis idem eſt eſſe,& poſſe, prima conſequentia probatur ratione, & authoritate. Authoritas eſt D.Aug.contra Maſſiminum lib.1.vbi inquit abſit,vt ideo potentior ſit Pater Filio,quia creatorem genuit,& Filius non genuit creatorem,neque enim non potuit,ſed non oportuit, nam immoderata eſſet generatio diuina,ſi genitus Filius nepotem gigneret Patri, quia niſi,&

ipſe

ipſe nepos auo ſuo pronepotem gigneret ſecundum veſtram mirabilem ſapientiam impotens diceretur, ſimiliter, & ille, & ille,& poſtea ſubdit,nec impleretur generationis ſeries,ſi ſemper alter,ex altero gigneretur,nec etiam proficeret vllum eſſe,ſi vnus non ſufficeret omnipotens,ex quo ſequitur, ſi producta vna perſona productione tali non ſufficeret ad vnam complendam totam productionem in diuinis,pari ratione nec alia,& alia,neq; quotcumque, & hoc ſiuè eundo indirectum, vt filius generet aliũ filium, & nepos alium,ſiuè in reſpectu ad primam perſonam nimirum quod habeat iſtum,& alium filium, ſequitur etiam infinitas eiuſdem rationis in generationibus.

Ratio autem probans propoſitum eſt; plurificabile in plura eiuſdem rationis quantum eſt de ſe non determinatur ad certam multitudinem,ſed poteſt in infinitum determinari,ſi ergo productio vnius rationis,vt generatio de ſe non eſt determinata eſt plurificabilis in infinitum,igitur iam plurificata in infinitum,quia in diuinis idem eſt eſſe,& poſſe.

Ad hoc reſpondebit aliquis,quod illa productio eſt determinata non à ſe,ſed ab aliquo alio.

Sed contra hoc eſt,nam vel ab alio priori,vel à poſteriori vel ab æquali,quod ſit ſimul natura cum illo,non primum,quia ſi productio eſt plurificabilis in plura eiuſdem rationis,principium quo eius erit pariter productiuum eiuſdem rationis,& ſic ipſum principium quo eſſet etiam indeterminatum de ſe ad plura, & infinita producendum; ſimiliter eius principium,quod non poſſet eam determinare,quia hoc à principio quo ſumit determinationem in producendo,igitur nec à principio quod nec à principio quo,quæ ſunt priora generatione determinatur, ipſa generatio; nec ſecũdum, ſcilicet à poſteriori quia ſicut res non habet ſuam entitatem à poſteriori,ita nec vnitatem,aut pluralitatem habet ab illo;nec tertium quia ſicut generatio non determinatur à ſeipſa, pari ratione, nec ab alio,quod eſt ſimul natura cum ipſa, non enim eſt maior ratio de vno,ac de alio, ſi ergo poſſunt eſſe plures productiones eiuſdem rationis in diuinis abſque determinatione erunt infinitæ hoc eſt impoſſibile,ergo vna tantum eſt, & non poſſunt plures eſſe.

Ex dictis colligitur non poſſe eſſe plures generationes in diuinis,nec plures ſpirationes,quia eorum principia ſeipſis determi-

nata

nata ſunt, vt memoria fęcunda ad vnam generationem, & voluntas fæcunda ad vnam ſpirationem.

Contra tamen hanc doctrinam arguit Scotus diſt.2.q.7.primo memoriæ fæcundæ habenti vnam generationem, vel eſt adęquata productio, vel non, ſi non, ergo poteſt habere aliam, ſi ſic, vel extenſiuè eſt adæquata, & ſic petitur principium, nam eſſe ſic adęquatam productionem memoriæ, vt ſuo principio, & ipſam non poſſe habere aliam productionem eſt idem, vel eſt adæquata generatio intenſiuè, ſed hac ſtante poteſt adhuc aliam habere, igitur poſſunt eſſe in diuinis plures productiones, vt plures generationes, reſpectu intellectus, ſeu memoriæ, & plures ſpirationes reſpectu voluntatis, de qua eſt idem iudicium, ac de memoria, probatur vltima minor, nam intellectus diuinus nouit eſſentiam diuinam adæquata notitia ſibi intenſiuè, & illa cognita nouit alias res, ideſt creaturas, igitur idem iudicium fieri debet de momoria, quoad productionem ſibi adæquatam intenſiui.

Reſpondetur, quod Filius genitus, & ſimiliter Spiritus Sanctus adæquantur ſuis principijs productiuis, cum habeant eamdem omnino eſſentiam, & perfectam, & ſic intenſiuè, adęquantur etiã extenſiuè, vt non poſſint plures Filij, & plures Spiritus Sancti produci, alioquin, vt ſupra probatum eſt, eſſent de facto producti in diuinis infiniti Filij, & Spiritus Sancti, ex quò neceſſariò ſequitur vnam eſſe generationem, vnamque ſpirationem in diuinis.

Secundò arguitur, principium non eſt principium inquantum principiatum eſt poſitum in eſſe, ſed inquantum eſt prius, ſed omne prius eodem modo ſe habet, ſiuè ponatur, ſiuè nõ ponatur poſterius, ſi ergo hoc principiato non poſito poteſt eſſe principium alterius, pari ratione, poſito iſto ſimul poteſt eſſe principium alterius, & confirmatur, quoniam principium, vt principium non ſolum eſt prius principiato, antequam principiet, ſed etiam quando actu principiat, adhuc intelligitur prius ſecundum Scotum in 2.diſp.1.q. Reſpondetur quod principium productiuum vnius rationis in diuinis eſt ita præcisè principium illius productionis, vt memoria principium generationis, & voluntas ſpirationis, quod ſibi non eſſet generatio Filij, & Verbi æterni nullum aliud principiatum per memoriam eſſe poſſet, & quamuis memoria fæcunda non varietur per Filium productum ita tamen eſt ad illud determinata, quod ſi ille non eſſet non poſſet habere in illo priori ratio-

tionem productiui reſpectu alterius producti, taliter eſt determinatum principium ad hoc productum tātum, argumentum enim valet, quando principium poteſt plura producere per productionem eiuſdem rationis.

Ad rationem dubitandi reſpondetur habere veritatem in creaturis, vbi finiti, & inadæquati ſunt effectus cauſarum non autem in diuinis.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum hę productiones ſint immediatè à natura, tamquam à principio, an per intellectum, & voluntatem.

DVrandus ſingularis fuit in hoc, qui in 1. diſt. 6. q. 2. & diſ. 10. q. 2. tenuit has proceſſiones immediatè eſſe per naturam, non per intellectum, & voluntatem, & probat, primò in naturalibus etiam homines intellectu, & voluntate præditi per has potētias minimè generant filios, ſed per naturam immediatè propter eius fœcunditatem, igitur ita dicendum eſt in diuinis, probatur ſequela, quoniam ſecūdum idem competit fęcunditas, & productio Deo, & creaturis, ſed per eſsentiam, & naturam competit iſtis fęcunditas, atque productio, ergo per eamdem competit illis. Secundo productum eſt ſimile producenti in principio quo producitur, ſed Filius in natura eſt ſimilis Patri, & ſimiliter Spiritus Sanctus Patri, & Filio, ergo. Tertio ſi Verbum diuinum producitur per actum intelligendi, & Spiritus Sanctus per actum volendi, vel ex tamquam principio quo, vel tamquam productione, & actione, non primum, quia actus immanentes ex Ariſ. 9. met. non ſunt principia productiua, actus verò intelligendi, & volendi ſunt immanentes, ergo, nec ſecundum, quia intelligere eſt eſſentiale, & commune, ſed productiones ſunt actus notionales, & proprij, alias omnes tres producerent, non ergo per intellectum, & voluntatem hæ productiones fiunt, ſed per eſſentiam.

Deinde Durandus ponit ordinem in productionibus diuinis per ordinem productorum, nam ſicut in creaturis prius eſt intelligere, quam velle, ita in diuinis prius eſt emanatio Filij, quam Spiritus Sancti, & propter hoc dici poteſt, quod Filius producatur per modum intellectus, & Spiritus Sanctus per modum voluntatis,

tis, & ad hunc modũ intelligendę ſunt auctoritates Sacræ Scripturæ Conc.& PP.re vera tamen per naturam fiunt productiones.

Hac tamen declaratione non obſtante, non videt Durandus, quin temeraria,& fortè erronea cenſeatur ſua opinio,temeraria quidem,quia contra torrentem Scholaſticorum eſt erronea,quia contra Scripturam,Concilia,& SS.PP.quibus primo probanda eſt vera concluſio,nimirum Filium, & Spiritum Sanctum per intellectum,& voluntatem immediatè procedere.

Primo probatur ex Sac.Scrip.nam Ioannis 1.dicitur,In principio erat Verbum,Paulus primæ ad Corin.1.vocat Filium Dei ſapientiam, & Sap.7.& Eccleſiaſt.24.dicit Ego ex ore altiſſimi prodiui, Verbum autẽ hoc eſt proprium,mentale eſt,non vocale ſecundum Auguſtinum 15.de tri.ſapientia etiam in intellectu cõſiſtit,& os Dei intellectum eius ſignificat,Spiritus Sanctus etiam à Ioanne in 1.ſua canon.c.4.vocatur charitas & alibi ſępè amor, & hoc non niſi propter proceſſionem à voluntate, ergo.

Duplicem tamen reſponſionem accomodare poſſet Durandus,prima eius eſt lata expoſitio,ſcilicet illos ita vocari non propriè,ſed per appropriationem, & ſimilitudinem propter ordinẽ productionis illorum iam dictum ſupra, ſed hoc eſt nimis retorquere Sacram Scripturam ad ſenſum tam improprium, præterquam, quod eſt contra communem expoſitionem Patrum, qui verba illa propriè ſumũt,porrò hoc ſpectat ad hęreſim Eunomij, & Alogorum aſſerentium ſecundam perſonam Trinitatis,nõ eſſe propriè Verbum.

Secundum effugium eſt, prædicta loca eſſe intelligenda de ſapientia,& charitate eſſentiali,quæ communis eſt tribus ſed è cõtra Diuus Auguſtinus 15.de trin.c.17.& 18.probat, ibi eſſe locutionem non de charitate cõmuni tribus perſonis, ſed de charitate producta,quæ eſt Spiritus Sanctus, quia Ioannes ibi ait,quod charitas eſt Deus,& ex Deo, ergo ibi non loquitur de charitate creata,quia illa non eſt Deus,nec de charitate eſſentiali,& communi tribus,nam ſicut hęc eſt falſa,eſſentia diuina eſt ex Deo,ita hæc eſt falſa, charitas communis eſt ex Deo, loquitur ergo de charitate producta,quæ eſt Spiritus Sanctus, non Pater,nec Filius,idem proportionaliter dicitur de Verbo,& ſapientia producta,quæ eſt Filius.

Secundo probatur ex Conc. Later.in quo habemus canonizatã

ſentētiā Auguſtini aſſerentis,in anima noſtra eſſe imaginem Trinitatis,quia memoria eſt ſimilis Patri,intelligētia Filio,& amor Spiritui Sancto,& ex eodem Auguſtino conſtat ſimilitudinē conſiſtere in hoc, quod ſicut Verbum noſtrum procedit à memoria noſtra,ſic Verbum diuinū à memoria Patris,& ſicut amor noſter procedit à noſtra voluntate,ſic Spiritus Sanctus qui eſt amor,procedit à voluntate Patris,& Filij.

Tertio probatur ex PP.ex quibus ſæpè habemus Verbum, & Filium generari a Patre per actum intellectus,& Spiritum Sāctū à Patre,Filioque per actum voluntatis, & præter Auguſtinum in omnibus libris de trini.ſparſim,eſt Cyrill.lib.1.Ioannis c.5.Baſili.in c.primum Ioannis,Theodoret.lib.2.ad grȩcos,Hyren.lib.2. contra hȩreſes c.28.Damaſc.lib.1.de fid.c.9.Anſelm.in monologio c.43.Chriſoſtom.& omnes expoſitores in principium Euangelij Ioannis,& non eſt probabile illos omnes PP.in propriè intelligere tales actus producendi eſſe per intellectum,& voluntatē, & denique Dyon.de diuin.nominib.ait Filius eſt vera, conceptio paterni intellectus.

Quarto probatur rationibus, quia ſuppoſita opinione Durandi, ſecluditur omnis via oſtendendi dualitatem proceſſionum,ordinē illarum,cur vna dicatur generatio, altera ſpiratio, cur vna ſit ab vno tantum,altera à duobus,& cur Filius procedens à Patre dicatur imago Patris,& non Spiritus Sanctus, cum æqualiter omnimodè ſe habeat natura diuina ſe ſola ſumpta præciſis productionibus intellectus,& voluntatis.

Denique ratione,quaſi à priori probatur,nam in omni genere rerum productio,& communicatio naturæ fit per operationem propriam,vt in plantis per vegetationem, ſed in re purè intellectuali propria operatio eſt actus intellectus,& voluntatis,cum ergo Deus ſit in gradu purè intellectuali,eius productio,& communicatio debet eſſe per actum intellectus,& voluntatis,alioquin diuinæ productiones non eſſent per modum actuum vitaliū,ſed per modum actionum naturaliū, qualis eſt calefactio ab igne,& illuminatio à Sole; hinc etiam non eſſent per modum actum immanentium,ſed tranſenntium,at verò diuina productio,cum ſit omnium perfectiſſima,debet perfectiſſimo modo fieri,perfectior vero modus eſt productio vitalis non vitali,& immanens tranſeunte, ergo.

Ad primum argumentum Durandi reſpondent Thomiſtæ, & adhæret Fauentinus, quod etiam in naturalibus nullus immediatè per naturam generat, ſed mediantibus potentijs dumtaxat, vegetatiua, aut generatiua, ſic etiã Deus medijs potentijs intellectus, & voluntatis producit, ſed verè non eſt ſimile hoc in diuinis, tum quia ignis producens ignem mediante calore ſecundum Thomiſtas non producit illũ per ſubſtantiam, ſed per accidens, ideſt per calorem, quod tamen eſt falſum; nulla enim ſubſtantia eſt producibilis immediatè ab accidente, tum quia in talibus productionibus terminus productus eſt ad extra, & diſtinctus ſubſtantialiter à producente, in Deo autem eſt inuenienda potẽtia, quę ſit ſubſtantia, & ad intra producens, cuiuſmodi eſt intellectus, & voluntas, quorum actus productus eſt immanens, & ex fęcunditate ipſorum nempè in quantum habet in ſe eſſentiam diuinam ſibi prȩſentem in ratione obiecti, vnde prouenit talis fœcunditas producens principium quo, & ſic eſt verum ab eodem eſſe fœcunditatem, & productionem in diuinis.

Ad ſecundum reſpondetur, productum in diuinis Verbum eſt ſimile producenti in intellectu eſſentia diuina in ratione obiecti informato, & ſimiliter in voluntate tali obiecto informato. Ad tertium reſpondetur, quod duplex eſt actus intellectus nempè dicendi, & intelligendi, & ſimiliter voluntatis actus ſpirandi & amandi, dicere, & ſpirare ſunt actus productiui, & productiones, intelligere & velle minimè.

Sed contra hanc doctrinam arguit Scotus diſ. 2. q. 7. pro opinione Duran. natura vt natura eſt prior intellectu, cum quælibet eſſentia, & natura ſit radix, & fundamentum ſuæ potentiæ, igitur iſta eſt principium generandi, non intellectus, & voluntas, vel ſaltem ipſa natura eſt vnum principium, intellectus alterum, & voluntas alterum, & ſic tria principia, probatur ſequela, quia natura eſt ex ſe principium determinatum ad agendum.

Reſpondetur, quod eſſentia diuina, vt obiectum actu intelligibile, & intellectus, vt potentia faciunt vnum principium totale producendi Verbum, alicquin non diceretur magis Verbum eſſẽtiæ, quam lapidis, ſignum eſt ergo quod intellectus vt determinatus ab eſſentia, non ab alio obiecto producit, & hoc pacto natura diuina eſt determinatum principium ad producendum, & determinans intellectum, cum Deus ſit agens non alio modo, quam

per intellectum, & voluntatem quod etiam applicari poteſt ad productionem Spiritus Sancti.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum principium generandi, & ſpirandi ſit Eſſentia Diuina, an Relationes, ſeu proprietates relatiuæ.

NOtandum eſt ſermonem eſſe in pręſenti quęſtione de principio remoto, non de proximo, de quo in ſuperiori quæſtione tractatum eſt, & concluſum, quod intellectus & voluntas, vt potentiæ fœcundatæ ab eſſentia diuina ſint principia proxima, inquiritur etiam in præſentiarum de principio quo, clarum eſt enim quod perſona eſt principio quod, Filij, & vtraq; perſona eſt principium Spiritus Sancti.

Primo reijciendę ſunt duę opiniones, quę ſunt contra duo pręſuppoſita quæſtionis, prima eſt Aureoli in 1. diſ. 7. q. 1. a. 2. negantis in Deo eſſe potentiam ad actus notionales, quę hic pręſupponitur ex communi omnium Theologorum conſenſu, & inquiritur quę nã ſit illa, primo enim probat Aureolus, vbi non eſt realis, actio non eſt neceſſaria potentia realis, in Deo non eſt realis actio ad intra ergo. Secundo poſſe producere Filium eſt idẽ, quod poſſe eſſe Patrem, ſed ad poſſe eſſe Patrem in diuinis non eſt aliqua potentia productiua, ſed ſolũ potentia Logica, ergo, probatur minor, nam alias Pater in diuinis produceretur in eſſe Patris. Tertio ſi potentia generãdi eſſet potẽtia productiua, aliqua perfectio ſimpliciter eſſet in Patre, quæ non eſſet in Filio, & Spiritu Sancto, ſed hoc eſt impoſſibile, ergo, & antecedens, probatur ſequela, quoniam potentia productiua creaturarum eſt perfectio ſimpliciter, ergo multo magis in Deo ſi ibi inuenitur, ſed in Filio non eſt potentia productiua realis alterius, Filij; ergo.

Oppoſita tamen ſententia communis eſt & vera eſſe in Deo potentiam productiuam ad actus notionales, nam licet ibi actus notionalis non ſit propria actio, quę hæc imperfectionem includere videtur, eſt tamen productio, vera, & realis, quæ nullo modo intelligi poteſt ſine vero, & reali principio, porrò Pater generat verè, & realiter, ergo verè realiter poteſt generare, ergo habet veram realem potentiam generandi.

Ad

Ad primum argumentum Aureoli reſpondetur, quod licet non ſit in Deo actio eſt tamen productio.

Ad ſecundum reſpondetur poſſe eſſe Patrem dicit potentiam nedum logicam, ſed realem non quidem paſſiuam, ſed actiuam productiuam, ideſt non poſſe generari, ſed poſſe generare, idem igitur eſt poſſe eſſe Patrem, ac poſſe generare.

Ad tertium, hæc potentia generandi, quæ eſt ipſa eſſentia diuina, vt infra probabitur eſt in omnibus tribus perſonis, ſed non eſt cum conditione agendi, niſi in prima tantum perſona, requirit enim conditionem agentis, ad hoc vt actu producat, & cum ſolã vnam productionem habeat, vnius rationis, vt generationis in illo producit ſolum in quo inuenit talem conditionem, quæ eſt proprietas perſonalis, quam in perſona prima inuenit, & ideo in illa producit actualiter in alijs non producit, quia eſt completa tota eius productio, & altera non eſt poſſibilis.

Altera opinio excludenda eſt Gregorij Ariminen. in 1. diſ. 7. q. 2. a. 2. vbi defendit, in Deo non diſtingui principiũ quo à principio quod, ea propter vnum ſolum principium ibi datur, quod eſt, quod, ideſt perſona producens, cuius fundamentum eſt, quia ſecundum ipſum nulla eſt diſtinctio inter perſonam, & naturam, quæ poſſit eſſe illi ratio agendi, alias ſequerentur duo inconuenientia, primum quod eſſet ibi compoſitio, ſecundo, quod natura diuina eſſet forma perficiens ſuppoſitum.

Sed cum falſo fundamento innitatur Gregorius, falſa eſt eius ſententia, nam ad conſtituendum principium quo, ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei, vel etiam diſtinctio rationis ratiocinatę ſecundum Thomiſtas, quæ diſtinctiones ſunt inter naturam, & perſonam diuinam, non tamen faciunt compoſitionem aliquam, ad quam non ſufficit diſtinctio formalis, ſed requiritur diſtinctio realis, quæ non eſt in diuinis inter eſſentiam, & perſonas, & per hoc manet ſolutum primum inconueniens. Ad ſecundum reſpondetur, concedendo eſſentiam diuinam eſſe formam perficientem perſonas, & vniuerſaliter, quodlibet attributum quæ ab omnibus vocantur perfectiones diuinæ, ſed cum non ſint realiter diſtinctæ à perſonis, ſed perfecta identitate idem, ideo ibi non eſt aliqua potentia ad perfici, ſicut in ſubſtantijs creatis reſpectu ſuarum formarum perfectiuarum, & per hoc non inconuenit admittere perfectiones in diuinis.

Digitized by Google

Suppoſito igitur, quod detur in diuinis potentia, & principium quo ad actus notionales diſtinctum à principio quod, diuerſę ſunt opiniones declarantes, quid ſit illud principium quo.

Prima opinio eſt D. Bonauen. in 1. diſ. 7. q. 1. & Durandi q. 2. quod hæc potentia ſit relatio propria perſonæ producentis, & probant, primo quia principium propriæ actionis debet eſſe realiter diſtinctum à termino producto, & debet eſſe proprium producentis, at ſola relatio perſonę producentis in diuinis habet iſta, & non eſſentia, vt patet ergo probatur prima pars maioris, quia nemo ſeipſum producit ex D. Aug. ſecunda pars probatur; quando vna actio conuenit vni ſuppoſito, & repugnat alteri, principium, & potentia illius operis debet eſſe proprium illi ſuppoſito, & non commune alteri, ſed generatio actiua competit Patri, & repugnat Filio in diuinis, igitur principium debet eſſe proprium Patris, ſed hoc eſt ſola relatio originis, non eſſentia, vt patet, ergo paternitas eſt principium quo; Secundo illud eſt principium producendi, per quod poteſt reddi ratio, quare productiones ſunt duæ, vel plures, ſed hæ ſunt ſolæ relationes, non eſſentia, quia illę ſunt plures, iſta vna ergo.

Hæc opinio ab omnibus merito reijcitur, ſed non eodem modo, Diuus Tho. contra eam arguit, illud eſt principium, & potentia agendi, in quo agens aſſimilat ſibi paſſum, ſed Pater non aſſimilat ſibi Filium in relatione, ſed in eſſentia, igitur eſſentia, non relatio eſt tale principium.

Iſtum modum impugnandi improbat Fauentin. diſ. 15. 1. 8. non ſolum tamquam inſufficientem ad probandum eſsentiam eſse principium, ſed etiam relationem non eſse principium, at verò quamuis non ſit benè ſufficiens ad probandum primã partem, nempè eſsẽtiam eſse principium, quod reijciat Scotus quinque rationibus in diſ. 7. quod non faceret ſi omninò ſufficiens eſſet, licet poſtea illas ſoluat, eſt tamen ſufficientiſſimus ad oppugnandum allatam opinionem, quod relatio nullo modo poſſit eſſe potentia, quia in illa nullo modo aſſimilatur genitum generanti, quod aliquo modo requiritur in principio quo præſertim in generatione vniuoca.

Ad primum argumentum reſpondetur, genitum debere eſse diſtinctum realiter à principio generante quod, non quo, cum enim in generatione præcisè vniuoca agens aſſimilet ſibi paſsum

in

in ſua natura, quo maior eſt vnitas naturæ genericę, vel ſpecificæ, vel etiam numericæ, eo eſt perfectior aſſimilatio, & perfectior generatio, vti eſt in diuinis, in creaturis autem non communicatur natura eadem numero, quia natura humana eſt diuiſibilis, natura verò diuina cum ſit indiuiſibilis, eadem numero communicatur, eademque eſt in generante, & genito.

Ad ſecundum reſpondetur, rationem quare in diuinis ſunt duæ productiones, & emanationes eſſe, quia sũt duo principia nimirũ intellectus, & voluntas, non quia ſunt duæ relationes.

Secunda opinio refertur a Durando, quod eſſentia, & relatio, ęquè ſimul ſunt huiuſmodi potentia, nam in productione communicatur eſſentia, & producitur perſona, propter primum requiritur eſſentia, propter ſecundum requiritur relatio, igitur æquè ſimul concurrunt.

Sed contra benè arguit Durandus, nam communicare eſſentiã, & producere perſonam, non ſunt duo, ſed vnus actus, & conſequẽter vnum, non duo principia requiruntur.

Tertia opinio eſt Henrici in ſumm. q. 7. ar. 57. aſſerentis, vtrũq; concurrere vt principium, ſed principalius concurrit relatio, quã eſſentia; Primo probat, in generatione eſt aſſimilatio, & diſtinctio, & iſta eſt principalior illa, ſed relatio eſt cauſa diſtinctionis, eſſentia aſſimilationis, igitur relatio eſt principium principalius, probatur maior, quoniam diſtinctio præſupponitur aſſimilationi, non è contra, ideo enim homo generatur, quia hic homo generatur, & non è contra: Secundò eſſentia eſt indeterminata secũdum ſe ad plures actiones, & plures perſonas, ergo requirit determinari, ſed relatio determinat ipſam, & determinans eſt perfectius determinato, relatio igitur eſt principium perfectius eſſentia, principium, inquit, non elicitiuum, ſed determinatiuum dumtaxat.

Contra hanc ſententiam arguit Scotus eiuſque fundamentum, quod eſt indeterminatum ad plura indeterminatione potentiæ actiuæ ex ſe eſt ſufficiens ad quodlibet illorum producendum, nec indiget aliquo determinatiuo, & actuante, ſed eſſentia diuina eſt huiuſmodi principium actiuum, alias eſſet imperfecta, ergo, probatur minor, nam duplex eſt indeterminatio, vna materiæ, altera potentiæ actiuæ illimitatæ ad plures effectus, quod eſt indeterminatum indeterminatione materiæ indiget determinatiuo, ſci-

licet aliqua forma, ad hoc vt agat, quia non eſt in actu ſufficienti ad agendum; indeterminatum verò indeterminatione potentiæ actiuæ eſt ſufficienter determinatum ad producendum quemcunque, illorum effectuum, & hoc ſi paſſum diſpoſitum ſit, & approximatum, vbi requiritur paſſum, vel ex ſeipſo, vbi non requiritur paſſum, ſicut Sol eſt indeterminatus ad producendum ranam, & murem, & alia, quod probatur, quoniam illimitatio in Sole non tollit perfectionem cauſalitatis reſpectu alterius effectus, ſed tantum cauſalitas additur reſpectu illius, igitur ita poteſt producere hunc, & alium effectum, ſicuti ſi poſſet ſolum vnum; Eſſentia verò diuina eſt hoc ſecundo modo indeterminata, non ergo indiget determinatiuo, & confirmatur ex Damaſcen. lib. 3. cap. 6. vbi inquit, proprietates determinant hypoſtaſes, non naturam vt naturam, nihil ergo eſt determinatum naturæ diuinæ, vt principij quo, ſed ſolum principij quod, nempe perſonæ, & hypoſtaſis.

Per hæc dicta patet, ad ſecundum Henrici, ad primum reſpondetur, aſſimilationem eſſe principalius intentã, quam ipſa diſtinctio, quamuis hæc ſit prior illa.

Quarta opinio eſt Caietani, Marſilij, & Vaſques aſſerentium, vtrumque conſtieuere principium, ſed principalius eſſentiam, relationem verò requiri tamquam ad vltimam modificationem, determinationem, & conſtitutionem talis principij non ſolum ex parte principij quod, ſed etiam ex parte potentiæ, vt ipſa ſit aliquod notionale, non commune tribus, quam ſententiam deſumpſerunt ex Diu. Thom. in prima par. quæſt. 41. art. 5. in calce corporis articuli, vbi ait, & ideò potentia generandi ſignificat in recto naturam diuinam, ſed in obliquo relationem.

Veruntamen ſententia D. Thom. non eſt ſic intelligenda, vt eius ſectatores exponunt, nam ibi clarè probat relationem non conſtituere, nec pertinere ad principium quo, ſed quod, ibi enim concludit ſic, vnde neque paternitas poteſt intelligi vt quo Pater generat, ſed vt conſtituens perſonam generantis, alioquin Pater generaret Patrem, ſed id quo Pater generat eſt natura diuina, in qua ſibi Filius aſſimilatur, at poſtea vltimo concludit, & ideo potentia generandi ſignificat in recto naturam diuinam, ſed in obliquo relationem diuinam, quã quidem ſignificationem in recto, & in obliquo, non aliter intelligo, ac ſi diceretur potentia generandi Franciſci eſt eius natura humana in recto, & in obliquo eſt eius

per-

perſonalitas,ideſt potentia generandi eſt ipſa natura, quæ natura eſt potentia generandi in Franciſco, vel eſt potentia generãdi Franciſci, quando enim dicitur natura eſt potentia generandi in recto ſignificatur hæc potentia,quando additur in Franciſco, vel Franciſci in obliquo ſignificatur; ſi enim relatio in tantum ſignificaretur potentia in obliquo,in quantũ modificat, & determinat eſſentiam,vti aſſerunt prædicti Auctores, tunc relatio eſſet principalior potentia, vt ſupra probatum eſt in opinione Henrici, quod eſt contra hanc quartam ſententiam, & ſic eſt repugnantia in adiecto in hac ſententia, nimirum dicere relationem eſſe minus principalem potentiam, vel minus principaliter concurrere, & dicere relationem determinare potentiam ad eſſe potentiæ, præterea apparet altera repugnantia in hac potentia, quod potentia in obliquo ſignificet relationem,& ipſam relationem conſtituere potentiam, quod enim conſtituit aliquod in recto non in obliquo dicitur de illo, ſicut animal rationale conſtituens hominem in recto dicitur de illo, vt homo eſt animal rationale.

Quinta,& vltima opinio eſt Scoti diſ.7.quæ conſiſtit in duabus concluſionibus; Prima concluſio,loquendo de potentia remota, de qua nunc principaliter eſt ſermo, eſt ipſa ſola eſſentia diuina.

Secunda concluſio loquendo de potentia propinqua, ideſt cũ omnibus concurrentibus ad actionem de ratione talis potentiæ in diuinis eſt etiam relatio originis,& ipſum ſuppoſitum.

Prima concluſio probatur auctoritate Damaſceni libr. primo cap.8. vbi inquit,generatio eſt opus naturæ non ſicut generantis, ſed ſicut eius quo generans generat, eſſentia ergo diuina non relatio eſt principium quo generandi,& Ioannes Theologus in Cõcil.Florent.ſeſſ.18.& 19. inquit,dici Filium ex Patre,& ex Patris ſubſtantia generari,ita tamen,vt Pater ſit generans, principium autem quo, ipſa perſona generat eſt id, quod ſolum communicabile eſt,ſi ſola eſſentia eſt communicabilis in diuinis,non relatio, dicitur illa, non iſta eſſe principium quo generandi. Prima autem ratio de ſumitur ex Scoto loc.cit.ex formali ratione agentis, quod quidem ſi eſt vniuocum, forma qua agens agit eſt eiuſdem rationis cum forma producti, quam illi communicat, ſed eſſentia eſt forma communicata producta in diuinis,non relatio producentis,vt patet,igitur forma, qua producens producit eſt ſola eſſen-

eſſentia,ſi verò producens eſt ęquiuocum,forma,qua producit debet eſſe perfectior forma producti, at in diuinis forma producti eſt eſſentia,qua nihil eſt ibi melius, igitur etiam ſi daretur, quod Pater ſit agens æquiuocum ſequeretur, eſſentiam ipſam eſſe formam,& principium quo producendi, quia eſſentia nihil eſt in diuinis melius,ſed cum ſit eadem eſſentia numeralis, nō ſolum ſpecifica, aſſerendum eſt ibi agens eſſe vniuocum per eamdem formam producens,quam communicat producto,& maximè vniuoca generatio,cum ſit eadem numero natura, qua producens producit,& quæ communicatur producto.

Secunda ratio deſumitur ex D.Thom.illud eſt principium quo producendi,in quo productum aſſimilatur producenti, ſed productum in diuinis aſſimilatur producenti in natura, & eſſentia diuina, ergo.

Tertio per illud producens eſt potens ad producendum, per quod eſt fœcundum,ſed in diuinis producens eſt fœcundum non à relatione,quia incommunicabilis eſt, ſed ab eſſentia, quæ communicabilis,& infinita formaliter eſt, eſſentia igitur eſt formale principium quo producendi.

Secunda concluſio probatur ex Ariſt.9.met.c.4.vbi ait ſic,quoniam aliquid poſſibile,& quando,& quomodo, & quæcumque alia neceſſe eſt ad eſſe in definitione tales potentias, ſcilicet irrationales, neceſſe eſt,vt poſſint,quando actiuum, & paſſiuum approximantur,hoc quidem facere,illud vero pati, & ſi obijciatur, ſubdit Scotus,quod iſtæ irrationales potentiæ poſſunt impediri, hoc excludendo dicit, nullo namque externorum prohibente adiungere nihil aliud adhuc oportet, potentiam enim habet,vt eſt potentia faciendi,eſt autem non omnino, ſed habentium aliquo modo, in quibus excluduntur,quæ exterius prohibent,remouent enim hoc eorum quæ in determinatione opponuntur,quod explicat Scotus,quod quędam pertinent ad definitionem potentię actiuæ,vt potentiæ excludunt impedimentum,igitur potentia actiua ſecundum phyloſophum accipitur cum omnibus concurrentibus ad poſſibilitatem propinquam agendi, cum quibus numeratur approximatio paſſi,& impedimenti remotio, ſic etiam in diuinis ſuppoſitum,ſeù perſonalitas,quæ ſunt idem, quod relatio ſunt conditiones neceſſariæ agentis,licet non ſint rationes agendi,& iſtæ ingrediuntur per Ariſ. in definitione potentiæ propinquæ;

quæ; potentia igitur propinqua in diuinis eſt eſſentia cum relatione.

Ex his intelligitur quomodo potentia generandi ſit in Patre, & non in Filio, intelligitur enim de potentia propinqua; nam potentia remota, ideſt ſola eſſentia ſine relatione eſt in tribus, quæ licet habeat in alijs perſonis illam conditionem, ſcilicet relationem, vel ſuppoſitum tamquam conditionem agentis, attamen ad producendum eſſentia concurrit, vt coniuncta relationi perſonæ Patris, non inquantum ipſe eſt Pater, ſed vt eſt primum ſuppoſitum in Trinitate, & ratio eſt, quia eſſentia eſt principium communicandi ſe vno modo, ſcilicet vel per generationem, vel per ſpirationem pro vna tantum vice, & ſic requirit perſonam communicantem, quæ in generatione erit prima, quæ propter productionem generationis vocatur Pater, & in ſpiratione, quia inuenitur eſſentia in duobus, eſt principium communicandi ſe in duobus ſuppoſitis, & relationibus, vt requiſitis ad potentiam propinquam ſpirandi.

In calce huius quæſtionis notandum eſt, variè nos loqutos fuiſſe de potentia remota, & propinqua, nam præſuppoſuimus intellectum, & voluntatem eſse potentias propinquas, eſsentiã verò potentiam remotam, nunc autem concluſiones eſſentiam eſse etiam potentiam propinquam, ſed eſt dicendum eſſentiam ſe ſola conſideratam eſſe potentiam remotam producendi Filium, & Spiritum Sanctum, eſſentiam verò, vt eſt obiectum intellectus eſſe potentiam propinquã productionis Filij, & vt obiectum volũtatis potentiam propinquam producendi Spiritum Sanctum, & in iſto ſenſu præſuppoſuimus in quęſtione potentiam propinquã, & remotam, potentiam inquam, & principium quo, eſſentia verò ſiuè ſola, ſiuè vt obiectum eſt intellectus, & volũtatis, eſt etiam potentia remota ad producendum, quando poſtea habet conditionem agentis neceſſariam, ſcilicet perſonam fit potentia vltimo, propinqua, & actu producit, vt inquit Ariſ. loc. cit. de potentia propinqua. Quia ſine tali conditione, ideſt ſine perſonalitate producere non poteſt.

✠

Digitized by Google

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum generatio,& ſpiratio ſint actus intelligendi,& volendi,an ſint actus dicendi,& ſpirandi ab illis formaliter diſtincti.

PRęſens quæſtio vnum præſupponit,& duo quęrit,prçſuppoſitum eſt contra Durandum, qui aſſerebat productiones in diuinis fieri immediatè à natura,non ab intellectu,& voluntate, hic autem præſupponitur actibus intellectus, & voluntatis produci perſonas diuinas, & primo quæritur, quibus actibus harum potentiarum producantur. Secundo inquiritur,ſi iſti actus,ſcilicet intelligendi,& dicendi,volendi,ſeù amãdi, & ſpirandi diſtinguãtur à ſe inuicem formaliter à p.r. Prima opinio eſt, quod generatio eſt intellectio,ſiuè intelligere,& Verbum producitur per intelligere, & ſimiliter Spiritus Sanctus producitur per velle, & hoc dupliciter tenetur ab Authoribus,vel tamquam per principium, vel tamquam per actum producendi.

Primus modus explicandi, qui eſt prima opinio Patris Suar. lib. 1. c. 8. de trin. deſumpta ex Henrico quolib. 6. q. 1. qui aſſerunt actum intelligendi,& ipſum intelligere eſſe principium producẽdi Verbum,non autem eſſe ipſam productionem, ſeu actum producendi,aut generandi, & idem dicunt de actu volendi, quod ita declarat Suar. vt memoria prout concipitur in actu primo duobus modis concipi poſſit,primo modo eſſe fœcundam ad actum intelligendi eſſentialem, qui eſt notitia non propriè, ſed quaſi producta,vt etiam innuit Scotus. Secundò intellectum formatum illo eſſentiali actu intelligendi fieri fœcundum,vt ſit principium producendi Verbum; intelligere igitur ſecundum Suar. pertinet ad principium producendi,non ad productionem ipſam, & probat, nam intellectus diuinus ſemper concipi debet, vt perfectus, & vt in actu,non in potentia,ergo,vt actu intelligens,ergo intelligentia,& intellectus ſunt idem,& eadem res,& conſequenter ſi intellectus eſt principium,intelligere erit principium,& è contra ſi intellectio eſt actio, ſeu productio, ſimiliter intellectus debet eſſe actio,ſed hoc ſecundum,non eſt dicendũ de intellectu, igitur primum de vtrique dicendum eſt.

Hæc tamen ſententia non reſpondet ad propoſitum,& eſt ſingularis,

gularis,atque omninò improbabilis etiam Thomiſtis, non eſt ad propoſitum, quoniam quando inquiritur vtrum Verbum producatur ab actu intelligendi, vel dicendi, inquiritur de actu productionis,non de principio productiuo,de quo in ſuperioribus quæſtionibus actum eſt,ea propter propoſita eſt quæſtio, vti apparet in titulo,ſcilicet vtrum generatio,& ſpiratio,& non dicitur vtrũ principium generandi,& ſpirandi, eſt autem ſingularis, quippè quæ à nemine tenetur,& eſt improbabilis,tum quia intelligere eſt diſtinctum ab intellectu ex natura rei,vt in ſuperioribus probatũ eſt, tum quia ſaltem ratione diſtinctum eſt ab intellectu,quę quidẽ diſtinctio ſufficit ſecundum Thomiſtas,vt aliquid competat vni, quod non competat alteri (quamuis ſecundum Scotum non ſufficiat hæc diſtinctio rationis,quoniam actio realis, vel forma realis non poteſt competere vni, & alteri repugnare diſtinctio ſola ratione ab illo) ſaltem ex terminis Thomiſtis concluditur rationem principij competere intellectui,& non actui intelligendi, & multo magis concluditur idem ex diſtinctione ex natura rei, tum quia intelligere non prærequiritur neceſſariò ad productionem Verbi,licet præſupponatur ad illam non vt neceſſariam ad productionem,ſed ratione perfectionis Patris producentis, vt infra probabitur,non poteſt igitur intelligere eſſe principium producẽdi,quia principium formale neceſſariò prærequiritur ad productionem. Tertiò denique quia ſi intelligere eſt principium debet habere actionem,quia inter principium,& effectum mediat actio.

Ad hoc vltimum reſpondet Suar. non eſſe neceſſariam actionem, quia actio in ratione ſua formali includit imperfectionem ſcilicet dependentiam,quæ non poteſt eſſe in diuinis,tamen non poteſt negare Suar.interuenire neceſſariò productionem,quę nõ ſit actio ad producendum perſonas diuinas,quę quidem productio erit illius principij ſcilicet actus intelligendi, quod abſurdum, & inauditum eſt.

Ad illud quod inquit Suar.intellectum, & intelligere eſſe idem in diuinis ex eo quod ſemper ille intellectus in actu eſt,non in potentia. Reſpondetur non ex eo præcisè prouenire identitatem, realem,quæ ab omnibus conceditur eſſe in omnibus, quæ ſunt in Deo,quia hęc præcisè prouenit ex infinitate eſſentiæ diuinæ,nec identitatem ex natura rei,quia hæc non neceſſariò ſtat ſimul cum coeterna intellectione alicuius intellectus inter intellectum, & ipſam,

ipſam,quoniam non propter hoc quod intellectus eſt ſemper in actu intelligendi,intellectio ingreditur in eius ratione, & quidditate, nec è conuersò,vt patet, igitur inter illos eſt diſtinctio formalis; dicendum eſt ergo intellectum eſſe potentiam, & intelligere eſſe eius operationem,& hanc non poſſe pertinere ad rationem principij alicuius productionis ſed vel eſſe ipſam productionem,vel nec hoc, nec illud,quod eſt quod inquiritur in pręſentiarum,& denique ſequitur, ſi in tantum intelligere eſt principium, in quantum intellectus ſemper eſt in actu perfecto, ideſt in actu intelligendi,& non in potentia ad intelligendum, & conſequenter vnum eſt aliud, & vtrumque pertinet ad principium producēdi,non ad productionem,ſimiliter è contra dici poteſt ipſammet productionem ex hac ratione eſſe principium,quippè quę eodem modo eſt eadem intellectui diuino,& coeterna ipſi,ad quam ſemper intellectus eſt in actu ſecundo, non in actu primo, & quaſi in potentia,ſed hoc abſurdum eſt,ergo & illud.

Secundus modus dicendi nempè,quod intellectio, & intelligere non ſit principium,ſed actus producendi tripliciter explicatur, quorum primus modus poteſt eſſe.

Secunda opinio quod intelligere eſt duplex, eſſentiale, & notionale,vnum ſola ratione diſtinctum ab altero,quorum primum non eſt productio Verbi,ſecundum verò eſt, quia primum eſt cōmune,& eſſentiale; Secundum eſt proprium Patris,quam ſententiam probant, primo ex illo vniuerſali principio theologico in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non cadit relationis oppoſito, ſed intelligere,& dicere,ſiuè intelligere eſſentialiter, & notionaliter non habent oppoſitionem relatiuam,igitur intelligere notionaliter ſumptum eſt dicere, & producere. Secundò non eſt neceſſe duos actus ponere,vbi vnus ſuppetit,ſed in intellectu diuino ipsū intelligere à ſeipſo ſola ratione diſtinctum poteſt etiam producere,igitur ipſummet eſt dicere,quod intelligere exprimendo, & ſic producere, eodem modo arguunt de voluntatis velle reſpectu Spiritus Sancti,quod notionaliter ſumptū ſit ipſum ſpirare, quod autem iſta ſola relatione diſtinguantur in ſuperioribus à Thomiſtis probatum eſt,ſed à nobis ſimul improbatum.

Sed contra hanc ſententiam arguitur non poſſe concipi intelligere eſſentialiter,& notionaliter,prout intelligere notionaliter eſt dicere,& producere,&quamuis Scotus ſic etiam diſtinxerit intelligere

telligere eſſent ale, & notionale, per intelligere notionale non accepit ipſum producere, ſed Verbum productum, quatenus ab omnibus Verbum dicatur notitia,& ſic vocatur intelligere, quod eſt ipſa notitia genita,& intelligere genitum ſeù productũ, quod eſt Verbum,ſicut etiam notitia eſſentialis dicitur,quod eſt intelligere eſſentiale,& notitia notionalis. Quæ eſt Verbum,probatur igitur aſſumptum,nam intelligere eſſentialiter,& intelligere notionaliter,vel diſtinguuntur tamquam omnino mutuò condiſtincti ſecundum rationem,vel tamquam includens, & incluſum, nõ eſt dicendum primum,quia ſic etiam liceret diſtinguere duplicem iuſtitiam,& bonitatem,ſcilicet eſſentialem,& notionalem,& cętera attributa,pręſertim loquendo de intellectu,& memoria quę in Patre producit,& generat in Filio autem,& Spiritu Sancto nõ producit,fieri poſſet diſtinctio de intellectu eſſentiali,& notionali,quia idem fundamentum talis diſtinctionis habent cum ipſo duplici intelligere,nimirum,quia intellectus in Patre producit,& in alijs non producit, cum ſit idem, ſicut intelligere in Patre eſt productio,& in cęteris non eſt productio,cum etiam ſit idem, vnde ſignum eſt, quod ſecundum hanc doctrinam intellectus poſſit accipi notionaliter, ſicut & ipſum intelligere,nec eſt dicendum ſecúndum,quomodo aliqui diſtinguũt vt intelligere eſſentiale includatur in intelligere notionale,nã hoc vel erit qa notionale determinat eſſentiale,vt inferius ſuum ſuperius,at nullum eſſentiale in diuinis determinatur, ſicut nec determinatur eſſentia, vt patet quia hoc dicit imperfectionem,vel erit quia intelligere notionale addit ſupra eſſentiale aliquam conditionem perſonalem,quæ neceſſaria ſit,vt ipſum intelligere fiat notionale, & ſic fiat productio;ſed nullum,intelligere in diuinis ſignificat,vel connotat conditionem perſonalem,tumquia iſta conditio non pertinet ad actũ producendi, ſed ad ipſum producentem, tum quia productio eſt poſterior ipſa conditione. Prius enim intelligitur eſſe perſona producens,quam productio,ſed intelligere, vt eſt idem re cũ actu eſſentiali eſt prius actibus notionalibus,igitur dicta conditio pertinere non poteſt ad intelligere,vt per ipſam fiat notionale, tum quia illa conditio non ſufficit, vt dicatur eſſe duplex intelligere, igitur eſt vnum non duo,antecedens probatur, de eſſentia diuina enim dicitur eſſe ex ſe,& in ſe, & eſſe in Patre, non tamen propterea diſtinguitur duplex eſſentia,ſed vna eſt,ita etiam vnum erit intel-

intelligere,non duplex,non obſtante illa conditione.

Ad primum argumentum, quod eſt fundamentum huius opinionis reſpondetur illã oppoſitionem relatiuam in diuinis facere diſtinctionem realẽ,nos autẽ loquimur de diſtinctione formali, quę poteſt eſſe,& eſt in diuinis inter actum intelligendi,& actum dicendi etiam non exiſtẽte oppoſitione relatiua inter illos actus.

Ad ſecundum reſpondebitur infra,& probabitur quod in intellectu diuino ſunt duo actus diuerſi,& quod intelligere nullo modo ſit producere,vel dicere.

Tertia opinio eſt Ferrarien.Bagnes, Caiet.& aliorum,qui admittunt quidem diſtinctionem rationis,ſed non addunt aliud nomen,quod poſſit eſſe commune alijs, quæ ſunt in diuinis,vt v.g. eſſentiale,& notionale propter primam rationẽ contra ſecundã ſentẽtiam,& ne videatur notionale intelligere determinare,vel eſſe conditionem intrinſecã ipſius intelligere eſſentialis propter ſecundã rationem,ſed inquiunt ipſum intelligere dupliciter poſſe conſiderari,vel quatenus conſideratur cũ relatione productionis, & expreſſionis conceptus, qui eſt Verbum, & ſic intelligere eſt dicere,vel quatenus conſideratur ſine relatione productionis, & expreſſionis Verbi, & ſic eſt intelligere exemplum eſt ſi idem calor eſſet in mare,& in fœmina,in illo operatur opera vitæ non tamen producit lac, in fœmina verò operatur ſimul, & producit lac,ſic intelligere in tribus operatur ſine productione,& in primo ſuppoſito operatur,& ſimul eſt productio,& vt ſic vocatur dicere, in re tamen fatetur hæc ſententia ipſum intelligere eſſe productionem Verbi,quæ ſimul cum tertia ſequenti impugnanda eſt.

Quarta opinio eſt eiuſdem Patris Suar.lib.1.c.7.eſſe in diuinis vnum intelligere,nec etiam ratione à ſeipſo diſtinctum,quod eſt eſſentiale,& commune tribus,& per idem intelligere Patrẽ producere Filium,ſed cum hac differentia,quod idem intelligere eſſentiale in Patre producit,& generat, & in Filio minimè, cuius ratio eſt,quia in Patre intelligere eſt ante productionem,& ideò producit in Filio eſt poſt productionem,& ideò nõ producit,quia iam eſt terminus productus in diuinis & adæquatus.

Vtcumque tamen iſtud intelligere concipiatur, ſiuè, vt idem, ſiuè vt diſtinctum quomodocumque indiſtinctè probatur à Thomiſtis ipſum eſſe productionem,tum in diuinis,tum in humanis, & ex Ariſ.9.met.vbi inquit,intelligere eſſe actionem immanentem

tem igitur eſt productio, cum ſit actio, & 10. Ethic. cap. 3. ait Operationes virtutis non eſſe qualitates, igitur ſunt actiones, & productiones, quia ad nullum aliud prædicamentum reduci poſſunt, ergo intelligere eſt productio Verbi in diuinis, idem confirmatur ex Ariſtot. 9. metaph. & primo ethicor. vbi diuidit actionem in immanentem, & tranſeuntem, & viſionem, atque contemplationem actionem immanentem vocat, igitur intellectio eſt actio.

Rationibus etiam probat Diuus Thom. quæſt. 27. artic. primo in corpore, quicumque intelligit ex hoc ipſo quod intelligit producit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, at hoc eſt Verbum, ergo intellectio eſt productio Verbi. Secundo in nulla ſpecie qualitatis videtur admitti poſſe intellectio, vt patet diſcurrendo, igitur intellectio, non eſt qualitas, nec actio, quæ dicitur qualitas ſecundum Scotum, ſed vera actio de genere actionis. Tertio ex Auguſtin. primo de Trinit. cap. 13. vbi ait Verbum eſt viſio de viſione, & in pluribus locis ait Verbum procedit ex omnibus quæ ſunt in ſcientia Patris, igitur intellectio quæ eſt viſio eſt productio.

Quinta opinio eſt Doctoris noſtri, quæ conſiſtit in pluribus concluſionibus.

Prima concluſio intelligere quomodocumque ſumatur in diuinis, ſiuè vt diſtinctum ratione, & vnum re, ſiuè vt vnum vtroque modo non eſt productio Verbi diuini.

Primò probatur, ſi Verbum intellectione, vt actu produceretur tunc nec Pater, antequam generet Filium eſſet perfectè beatus, nec Filius haberet in ſua generatione à Patre perfectam beatitudinem, vel ſaltem omnem perfectionem eſſentialem, conſequens eſt falſum ergo, & antecedens, probatur conſequentia, inter productionem, & terminum productum nihil mediat, ſed intellectio etiam in diuinis eſt prior quocumque actu voluntatis, igitur, & Verbum quod eſt terminus eius eſt prius omni actu voluntatis, ac per conſequens Pater non amat eſſentiam iam viſam, & intellectam antequam producat Verbum, & conſequenter Verbum non habet à Patre amorem eſſentialem, ſed à ſeipſo habet, quia communicata ſibi voluntate à Patre in ſui productione à ſe poſtea amat, & vult eſſentiam, & omnia alia, quia ipſe amor ſecundum hanc ſententiam non præſupponitur productioni

Digitized by Google

Filij.

Ad hoc argumentum duplex reſponſio eſſe poteſt, prima quod Pater eſt perfectè beatus videt, & amat eſſentiam antequam generat Filium non prioritate aliqua temporis, vel naturæ, ſed originis dumtaxat, quod declaratur, vt Pater intelligat, & amet eſſentiam à ſe, & non à Filio, nec per generationem Filij, & ſic non poteſt dici quod Verbum præcedat amorem, nec amor, Verbum.

Sed contra hoc eſt, quoniam licet inter perſonas ſit ordo tantum originis, & inter actiones earum, vt v.g. Pater ſit à ſe, intelligat, & amet à ſe, Filius ſit à Patre, intelligat, & amet à Patre, & ſimiliter de Spiritu Sancto, ſed inter potentias nempè inter intellectum, & voluntatem eſt ordo naturæ in eſſe, & in operari; prius enim natura actualiter intellectus intelligit, quam voluntas velit, ſed per te intellectus intelligendo, ſiuè intellectione ipſa, vt actu productiuo producit Verbum, ergo Verbum eſt prius natura actu voluntatis in diuinis, hoc autem eſt falſum, vt patet ergo falſa reſponſio.

Secunda reſponſio intelligere dupliciter ſumitur notionaliter, & eſſentialiter iuxta ſecundam opinionem, vel conſideratur cum relatione expreſſionis, & productionis, vel ſine illa iuxta tertiam opinionem (quarta enim opinio nullum habet effugium ab hac ratione, quia non diſtinguit intelligere, nec etiam diſtinctione rationis) primò modo, ſcilicet notionaliter, & cum expreſſione intelligere eſt productio, & hæc præſupponit actum voluntatis. Secundò modo non eſt productio, & ſic non pręſupponit, ſed pręſupponitur ab actu voluntatis.

Sed contra impoſſibile eſt idem ſecundum rem omninò idem præſupponi ab alio, & ſimul præſupponere illudmet præſuppoſitione reali, ſed hoc duplex intelligere ſecundum Aduerſarios eſt omninò idem re, igitur non poteſt ſimul pręſupponi, & pręſupponere, maior eſt clara, nam idem eſſet prius, & poſterius ſecundum idem, & eodem modo ſecundum rem, quia ſecundum prioritatem, & poſterioritatem realem, quæ eſt inter actus intellectus, & voluntatis, igitur vel neceſſe eſt ad hoc vt intelligere præſupponat, & ſimul præſupponatur ab eodem actu voluntatis pręſuppoſitione reali, vt ſit duplex ſecundum rem, & ex natura rei, quod eſt contra opinionem, aut ſi præſupponatur realiter actui voluntatis

non

non præſupponat ipſum etiam realiter,quod ſi dicatur præſupponere actum voluntatis tantum ſecundum rationem, quia hoc in intelligere, quod præſupponit actum voluntatis ſola ratione eſt diſtinctum ab illo,qui præſupponitur. Contra ergo tantum,ſecundum rationem Pater eſſet beatus antequam generet Filium, & non verè,& realiter amaret eſſentiam,ſed tantum ratione, & ſic ſecundum rationem Filio communicaret amorem, non verè, & realiter.

Secundò probatur noſtra concluſio productio eſt relatio formaliter,at intellectio non eſt relatio, ſed abſolutum,igitur intellectio non eſt productio, probatur minor, nam ex Ariſtot. primo, & decimo Ethicor. habemus, fęlicitatem, quæ eſt vltimus finis naturæ intellectualis eſſe operationem optimam, nimirum ipſam intellectionem ſecundum eumdem Phyloſophum duodecimo metaph. cap. *6.* vbi de prima cauſſa inquit, ſi non intelligit, quid vtique inſigne? ſed vltimus finis, & vltima perfectio ſubſtantiæ viuentis, & præcipuè intellectualis non poteſt eſſe relatio, ſed quid abſolutum, aliter relatio eſſet melior abſoluto, igitur intellectio non poteſt eſſe relatio, & conſequenter nec productio.

Secunda concluſio. In creatis intellectio non eſt productio,ſed operatio quædam de primo genere qualitatis, quæ propriè vocatus Verbum productum per dictionem.

Iſta concluſio latè probanda eſt in materia de viſione Dei, quod, ſcilicet intellectio ſit Verbum ipſum productum, & quod non ſit productio in præcedenti concluſione probatum eſt, nunc autem quod ſit qualitas probatur à ſufficienti enumeratione prædicamentorum, eorumque excluſione; quis enim intellectionem diceret eſſe ſubſtantiam,aut quantitatem,aut ſitum, aut quando, aut vbi, aut habitum,ſiuè habituatum; cum hæc ſint materialia, nec etiam eſt relatio,aut actio,aut paſſio,vt ſupra probatum eſt, erit ergo qualitas,vel in prima ſpecie,vel etiam in tertia,ſi tamē Ariſtoteles voluerit tacitè includere in paſſionibus,&paſſibilibus qualitatibus non tantum corporales,ſed etiam ſpirituales, & adducit exemplum de paſſionibus ſenſibilibus tamquam apparentibus,& manifeſtioribus,alias non.

Tertia concluſio. Omnis intellectio noſtra producitur per actum dicēdi ab ea diſtinctum formaliter,& quidditatiuè. Prima

pars concluſionis probatur. Cum enim intellectio noſtra ſit effectus, & terminus productus ab intellectu petit actionem intellectus, vt producatur, qualis eſt dicere, ſeù dictio per actus dicendi, duo igitur ſunt actus intellectus noſtri, intelligere, & dicere, ſed ille producitur, ergo per iſtud produci debet, ille dicitur actus intelligendi, iſte dicitur actus intellectus, non actus intelligendi. Secunda pars probatur, nam dictio eſt actio de genere actionis, intellectio eſt qualitas, vt ſupra probatum eſt. Prædicamenta autem ſunt formaliter, eſſentialiter, & quidditatiuè diſtincta, ergo, & iſti actus hoc eodem modo diſtinguuntur.

Quarta concluſio. In diuinis duplex eſt intellectio, eſſentialis, & notionalis ſecunda producitur per dictionem, quia hęc eſt Verbum ipſum diuinum, prima eſt improducibilis, ſecunda ſequitur dictionem; prima præſupponitur illi. Prima pars concluſionis habet fundamentum in Sanctis Patribus, nam Auguſtinus 15. de Trin. c. 7. inquit, Verbum Dei eſt ſapientia genita ex ſapientia generante, & 9. de Trin. c. vltimo & 10. c. 15. Verbum vocat notitiam, & intelligentiam, ſi ergo Verbum diuinum eſt intelligentia genita, ſeù ſapientia, vel notitia genita, benè vocari poteſt intellectio; etiam in Deo eſt alia intellectio, & notitia ingenita, quæ eſſentialis eſt, igitur illa notionalis vocari debet. Secunda pars probatur. Omnis terminus productus debet præſupponere ſui productionem, ſed intelligere eſſentiale non præſupponit aliam actionem intellectus, quam producatur; quippè quæ in producibilis eſt, igitur intelligere notionale, quod eſt ipſum Verbum diuinum præſupponit illam actionem, ſed iſta actio, & productio non eſt prima intellectio, ſcilicet eſſentialis, vt patet ex dictis, ergo eſt dictio, vt eſt alius actus intellectus.

Quinta concluſio loquendo de ipſo intelligere, quo formaliter intellectus intelligit, intelligere, & dicere in diuinis non ſe habent tamquam duo effectus, ſine termini producti, nec vt vnus ſit terminus productus alterius, vt productionis, ſed ſunt duo, actus intellectus diſparati non ſe inuicem includentes, quorum duorum intelligere præſupponitur ad dicere, in creatis verò intelligere pręſupponit dicere, & eſt terminus eius productus. Et dicere in diuinis eſt actus productus, ſeù productio Verbi.

Prima

Prima pars concluſionis probatur,nam Pater æternus non intelligit formaliter notitia genita,ſcilicet Verbo,vt infra videbitur,ſed notitia ingenita, & eſſentiali, ac per conſequens improducta,& cum non ſit ipſa productio alterius vt ex dictis patet,eſt tantum actus operatiuus,qui dicitur actus intelligendi ſicut dicere eſt alius actus,qui dicitur productiuus.

Secunda pars, quod vnus non includat alterum probatum eſt ſupra. Tertia pars probatur quia Pater antequam generet Filiū eſt perfectè beatus, ergo ante dictionem eſt intellectio, quæ eſt pars beatitudinis. Quarta pars patet ex dictis quod intellectio noſtra ſit terminus productus per dictionem, & conſequenter ipſam præſupponit, ſicut quilibet effectus ſuam actionem. Quinta pars probatur ex Aug.9.de Trin.cap. 7. dicendo intus gignimus, nec à nobis naſcendo diſcedit.

Eædem concluſiones formari poſſunt de amore,& productione Spiritus Sācti quod ſit duplex amor, eſſentialis, qui eſt in productus,& notionalis,qui eſt Spiritus Sanctus productus,& regulariter loquendum eſt de Spiritu Sancto, ſicut de Verbo, eiuſque productione.

Ad argumenta pro tertia concluſione reſpondetur, quod operationes virtutis vocauit Ariſtoteles actiones,& actiones immanentes propter conuenientiam quam habent cum actione de genere actionis; primò quia actiones immanentes tamdiù durant, quamdiù dependent in fieri ab ipſa potentia,ſicut etiam actio de genere actionis hoc eodem modo durat,atque depēdet. Secundò quia operationes virtutum habent terminum, in quem tendunt, ſicut actiones de genere actionis habent terminum, & effectum productum. Tertiò verò differunt quia actiones immanentes nō habent terminum productum illis tamquam productionibus,hoc enim peculiare eſt actioni propriè ſumptæ, propter illas duas ſimilitudines vocauit Ariſtoteles operationes virtutum, & potentiarum actiones immanentes,non tamen propter hoc ſunt actiones propriè,ſed ſimilitudinariè,propriè enim ſunt qualitates,itē dici poteſt,quod operationes virtutis ſolum grammaticaliter,nō phyſicæ & realiter vocantur actiones,operari enim magis propriè dicitur agere,quam pati iuxta vocem grammaticalem.

Ad primam rationem D.Thom.reſpondet Fauentinus diſp. 21.c.2.ad 2.quod ly intelligere accepit Diuus Thomas pro dice-

re,quo procedit aliquid intra intelligentem,ſed hęc expoſitio nec eſt cõformis D.Tho.qui ait,quicũque intelligit ex hoc ipſo quod intelligit,producit aliquid intra ipſu, nimirum per intellectionẽ ipſam,quam non vocauit dictionem; etenim ly ex eo quod videtur dicere cauſſalitatem, nec etiam eſt conformis ad doctrinam noſtram, quæ diſtinguit formaliter dicere ab ipſo intelligere,& propterea vnum non poteſt accipi pro alio. Reſpondetur igitur quod ex eo quod intelligit procedit intra intelligentem aliquid, ly ex eo quod denotet ſignum facti,nimirum quia intelligens intelligit,ſignum eſt intra ipſum proceſſiſſe, ſeù procedere ſemper quamdiù intelligit, dumtaxat ipſam intellectionem, quamdiù enim durat,tamdiù procedit intellectio ab intellectu intra ipſum per actum dicendi,& ſic actus illius proceſſionis eſt dictio non intellectio. Ad ſecundum patet in qua ſpecie qualitatis ponenda ſit intellectio,ſcilicet in prima ſpecie, & aliquo modo etiam in tertia,vt dictum eſt ſupra.

Erat hic diſputandum,vtrum,& quomodo generatio,& ſpiratio diſtinguantur,ſed magis ad propoſitum tractabitur in diſput. de Spiritu Sancto, in q.quare ipſius productio non ſit generatio, & ipſe non dicatur genitus,erat etiam proponenda quæſtio,vtrũ generatio diuina ſit vniuoca,de qua in de Filio tractabitur.

Ad auctoritates Aug. Reſpõdetur quod Aug.ſe explicat de ſciẽtia memorabili, ideſt habituali non actuali, & etiam de viſione habituali ſic dicens 15.de Trinit.cap.10.Verbum eſt ex ſcientia, ſed ex ſcientia,quam memoria tenemus.

SECTIO

SECTIO III.

DE CONSTITVTIONE, ET DISTINCTIONE Perſonarum Diuinarum.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum perſonæ Diuinæ ſint conſtitutæ ex proprietatibus perſonalibus, & eſſentia, & per eaſdem proprietates diſtinguantur.

PRo prima parte huius quęſtionis refert Scot. in 1. diſ. 26. q. 1. præpoſitiuum negantem omnē conſtitutionem in perſonis diuinis, ac per conſequens neceſſe eſt ipſas ſeipſis conſtitui, & ab inuicem diſtingui, quam opinionem etiam ſequutus eſt Gregorius Ariminen. in 1. diſ. 26. cuius ſententiæ fundamentum eſt, quia nō inuenitur ibi proprietas in abſtracto diſtincta à concreto, igitur ipſa non conſtituit, ſiquidem conſtituentia debent aliquo modo eſſe diſtincta ad hoc vt conſtituant, probatur antecedens, nā abſtractum, & concretum idem ſignificant, conſequentia eſt clara, quoniam ſi paternitas idē ſignificat quod Pater, ergo dicere Pater paternitate conſtituitur, vel diſtinguitur eſt idē ac dicere Pater Patre, ſeù ſeipſo conſtituitur, vel diſtinguitur.

Secundò quia perſona diuina eſt ità ſimplex ſicut eſſentia, ſed eſſentia non conſtituitur, vel diſtinguitur alio ab alijs, ſed ſeipſa, nec ergo perſona conſtituitur.

Tertiò id quod conſtituit, & ſimul diſtinguit, ſe habet, vt forma alterius partis conſtituentis, & vt actus, ſi ergo perſona diuina conſtituitur, proprietas perſonalis erit forma, & actus reſpectu eſſentiæ, conſequens eſt falſum, vt patet, ergo, & antecedens.

Verum tamen communis Theologorum opinio fert perſonas diuinas conſtitui in ſuo eſſe perſonali, & proprietate ſua poſitiua, & eſſentia, propter quod temeritate non caret oppoſita ſententia, quamuis videatur in modo tantum loquendi erraſſe, habemus enim ad hanc veritatem confirmandam authoritatem Sofronij dicentis perſonas diuinas figurari ſuis proprietatibus, & Ioannis Theologi in ſeſſ. 16. Conc. Floren. dicentis, perſonam conſtare

ex eſſentia, & proprietate, & in Conc. Later. de ſuum. trin. & fid. cathol. habentur hęc verba, Hęc Sancta Trinitas ſecundum eſſētiam indiuidua, ſecundū proprietates perſonales diſcreta, diſtinguuntur igitur perſonæ per proprietates iuxta has auctoritates; & per eaſdem proprietates conſtituuntur, vt infra magis probabitur, ratio etiam hoc idem cōfirmat, nam ab omnibus concedūtur in diuinis proprietates in abſtacto, vt paternitas, filiatio, & ſpiratio, igitur ipſæ conſtituunt, quia ſic ſe habent tamquam formæ. Secundo perſonæ diuinæ non ſunt primo diuerſę, quia in eſſentia conueniunt, ergo non ſe totis diſtinguuntur, ergo aliquo ſui, ſed non eſſentia, igitur proprietatibus diſtinguuntur, quibus etiam conſtituuntur, ſuppoſita igitur conſtitutione perſonarū diuerſimodè à diuerſis explicatur.

Prima ſententia eſt Caietani q. 4. a. 2. Torres ibid. & Ferrar. 4. contra gen. c. 26. qui dicunt illam conſtitutionem perſonarum ex eſſentia, & proprietatibus non eſſe realem, ſed rationis dūtaxat, cuius fundamentum eſt, quia eſſentia, & proprietates ſola ratione diſtinguuntur, ac per conſequens nō vniuntur, neque conſtituunt, niſi ratione.

Hęc tamen ſententia forſitan ad eamdem temeritatem reddit, res enim rationis non eſt niſi res ficta, & purum figmentum, quis autem dicere audebit eſſe figmentum conſtitutionem in diuinis, de qua ita ſolliciti fuerunt PP. & Scholaſtici, & Concilia, & ita vanè multa folia implerentur; deindè iam ſupra probatum eſt in ſecunda diſput. in diuinis admitti diſtinctionem ex natura rei inter proprietates, & eſſentiam, igitur admittenda eſt conſtitutio realis, non rationis. Rurſus quis Thomiſtarum affirmātium intellectum, & voluntatem Dei eſſe ſola ratione diſtincta aſſerere audebit, Filium generari per intellectum, & non per voluntatem non in re ipſa, ſed ſecundum rationem tantum, & ſimiliter Spiritum Sanctum produci non per intellectum, ſed per voluntatem ſola ratione, diſtinctio igitur rationis non neceſſariò infert actionem aliquam vt productionem per voluntatem, & intellectum, neque conſtitutionem ex eſſentia, & proprietate eſſe rationis. Sed poteſt eſſe, & eſt actu realis, ſaltem poteſt eſſe, non ergo conuincitur ex hac parte illud principium, quæ diſtinguuntur ratione, conſtituunt ratione, quanto ergo magis iſta conſtitutio dicenda eſt realis cum eſſentia, & proprietates diſtinguantur ex natura

rei,

rei, formalitèr, vt in ſuperioribus probatum eſt, per quod etiam occurritur alteri dicto prædictorum Auctorum, ideſt quod non ſit aſſerendum perſonam diuinam conſtitui ex eſſentia, & proprietate, tum quia videretur eſſe compoſitio in diuinis, ſi eſſet talis diſtinctio formalis, & è contra ſi non eſt iſta diſtinctio formalis, ſed ſola rationis idem eſſet, ac ſi diceretur perſona conſtituitur ex eſſentia, & eſſentia, vel bis ex eſſentia, cum ipſa eſſentia includatur in proprietate. Occurritur enim quia ad compoſitionem benè requiritur diſtinctio realis partium componentium, ad conſtitutionem autem non requiritur diſtinctio realis, ſed ſufficit formalis, qualis eſt in conſtituentibus perſonas diuinas, & ad aliud dicitur negando eſſentiam diuinam eſſe de quidditate relationum, & proprietatum, vt in prædicto loco probatum eſt, ex quo non ſequitur perſonam diuinam conſtitui bis ex eſſentia, præterquam quod hęc ſententia contradicit Patrum prędictis, qui communiter aſſerunt perſonam diuinam conſtare eſſentia, & proprietate, hoc autem intelligendum eſt reipſa non ſecundum rationem tantum.

Secunda ſententia eſt aliorum, quam ſequitur Suar. lib.7.c.3. quod illa eſt conſtitutio realis cum ſola diſtinctione virtuali inter conſtituentia, quam diſtinctionem admittunt omnes Thomiſtę in diuinis, & quod non eſt neceſſaria ad conſtitutionem realem diſtinctio actualis inter ea quæ ad conſtitutionem concurrunt, ſed ſatis eſt quod in reipſa ſit aliqua entitas communis, & aliqua propria cum ſola diſtinctione virtuali inter proprium, & commune; nam ex proprio perſona habet ſuum eſſe perſonale, & incommunicabile non ex communi, ſcilicet ex eſſentia, ſicut etiam realis eſt communicatio naturæ diuinæ Filio à Patre abſque communicatione ſuæ paternitatis, non obſtante quod actualiter non diſtinguantur paternitas, & eſſentia, ſed tantum virtualiter, quod eſt fundamentum talis communicationis realis, qua Filio communicatur à Patre eſſentia.

Sed contra hanc ſententiam arguitur, nam ex ea ſequitur talē cōſtitutionē fore virtualē, ſicut virtualis eſt diſtinctio conſtituētiū, actualis verò nulla alia conſtitutio erit, niſi rationis ſicut rōnis eſt diſtinctio actualis illorum, quoniam diſtinctio conſtituentium eſt fundamentum conſtitutionis, qua propter iſta ſequitur naturam illorum. Cui rationi reſpondet Suar. negando conſequentiam,

quia ſufficit diſtinctio virtualis ad realem conſtitutionem, & quãuis conſtituentia habeant ſummam identitatem, & vnitatem dũmodo conſtitutum ex formalitate vnius habeat eſſe proprium, & ex formalitate alterius habeat eſſe commune, conſtitutio realis erit.

Sed contra, vel illud eſſe proprium, & eſſe commune habet ſummam identitatem, ſicut habet perſonalitas, & eſſentia, vel nõ, ſi primo, igitur nulla eſt conſtitutio realis actualis, quoniam vbi nulla eſt diſtinctio conſtituentiũ, ſcilicet perſonalitatis, & eſsẽtię, & nulla etiam eſt diſtinctio effectuum formalium ipſorum quod eſt eſſe proprium, & eſſe commune, nulla erit conſtitutio.

Propter hanc rationem declarat amplius Suar. ſuam ſententiã pro diſtinctione illa tantum virtuali à parte rei, & actuali à parte intellectus, quod ſecundum noſtrum modum concipiendi conſtitutio perſonarum diuinarum eſt ſecundum rationem, ſed quantũ ad id, quod per talem conſtitutionem declarare intendimus inquit eſſe realem.

Sed contra hoc eſt, nam exindè ſequitur, quod aliud concipimus, & aliud per illum conceptum declarare intendimus, quod eſt abſurdum, probatur ſequela, quia concipimus in perſonis diuinis eſſe conſtitutionem rationis, & declaramus, ſeù declarare intendimus conſtitutionem realem. Rurſus indè etiam ſequitur quod in diuinis concipimus conſtitutionem realem eſſe, alioquin non poſſemus intendere illam, & declarare, nemo enim intendit aliquid, niſi præconcipiat idipſum.

Tertia ergo ſententia eſt vera, & nobis amplectenda, quod cõſtitutio perſonarum diuinarum realis eſt, & vt realis à nobis concepta proueniens ex conſtituentibus formaliter, actu à parte rei, diſtinctis, ad cuius probationem recurrendum eſt ad illam quæſtionem de diſtinctione inter naturam, & relationes perſonales, vbi latè probatum eſt, illa diſtingui ex natura rei, formaliter, hac enim diſtinctione conceſſa, facilius, ac melius explicatur conſtitutio perſonarum diuinarum ſæpius replicata à Concilijs, & Patribus.

Pro ſecunda parte quæſtionis Caietan. in 1.p.q.36.a.2. Ferrar. 4. contra gen.c.24.& 26.& alijs ſentiunt, quod non ſemper illud quod conſtituit perſonam diſtinguit eam ab illis duabus, nec ſemper quod diſtinguit conſtituit. Exemplum primi eſt, nam Filius

con-

conſtituitur filiatione, non tamen filiatione diſtinguitur à Spiritu Sancto, ſed ſpiratione actiua, ſi enim Spiritus Sanctus, inquiunt, non procederet a Filio, minimè diſtingueretur ab illo. Exemplum ſecundi. Spiratio actiua diſtinguit Patrem, & Filium à Spiritu Sancto, non tamen illas perſonas conſtituit in eſſe perſonali, quia iam conſtitutæ ſunt hę perſonę, Pater paternitate, & Filius filiatione, quod totum confirmant ratione à priori, nam in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non eſt oppoſitio relatiua, igitur relatio conſtituens diſtinguit perſonam a ſuo tantum oppoſito relatiuo, igitur non à quacumque nam paternitas diſtinguit Patrem à Filio, & non à Spiritu Sancto.

His non obſtantibus oppoſita ſententia eſt vera, quam tenet Scotus in 1.diſ.7.q.2.quod idem conſtituens perſonam diuinam, diſtinguit illam ab omni alia.

Probatur noſtra concluſio. In omnibus rebus, id quod conſtituit rem diſtinguit eam ab omni alio, idem ergo dicendum eſt in perſonis diuinis, nulla enim diuerſitatis ratio apparet, ſecus ibi non eſſet vera conſtitutio antecedens probatur, indiuiduum eſt id quod indiuiſum eſt in ſe, & diuiſum à quolibet alio, igitur ratio formalis illius indiuiſionis in ſe, eſt ratio diuiſionis ab alijs, ſimiliter ergo erit in perſonis diuinis.

Primò reſpondent aliqui Thomiſtæ, verum eſſe conſequens, vbi eſt conſtitutio realis non vbi eſt conſtitutio rationis, qualis eſt in perſonis diuinis, ſed præterquam quod ſuperius reprobata eſt iſta conſtitutio rationis in diuinis perſonis, adhuc ſequitur argumentum in omni conſtitutione etiam rationis, quod illud, idem quod conſtituit diſtinguit, ſiquidem quod eſt vnum in ſe, & indiuiſum ſecundum rationem eſt diſtinctum à quolibet alio eodē modo ſecundum rationem.

Secundò alij Thomiſtæ reſpondent veram eſſe illam propoſitionem in conſtituentibus, & conſtitutis abſolutis, non autem in relati[illegible]is, cuiuſmodi ſunt perſonæ diuinæ.

Sed contra hoc eſt, nam conſtituens relatiuum in eſſe vnius facit illum conſtitutum eſſe diſtinctum à quolibet alio à ſe, ſecus nō conſtitueret in eſſe vnius, præſertim hoc habet veritatem in conſtituto relatiuo incommunicabili, vti ſunt perſonæ diuinæ, nam ex eo quod eſt incommunicabile, & in eſſe tali conſtitutum per relationem facit relatio ipſum alteri non communicari, ac per

con-

conſequens diſtinguit illud ab omni alio.

Ad fundamentum,& exempla contrariæ ſententiæ reſpondetur,in diuinis , & in quolibet alio conſtituto per relationem non ſolum fieri diſtinctionem per oppoſitam relationem , ſed etiã per diſparatam,dummodò ipſa ſit conſtituens v.g.Franciſcus eſt Pater Petri,paternitas non tantum diſtinguit Franciſcum à ſuo oppoſito relatiuo,ideſt à Petro ſuo Filio,ſed etiam à quolibet alio tã abſoluto,quàm relatiuo,etiam ſi illud aliud ſit Pater,quoniam illa paternitas,quæ conſtituit Franciſcum in eſſe Patris diſtinguit illum à quolibet alio Patre per aliam paternitatem conſtituto, ſic in diuinis Filius conſtituitur filiatione , qua diſtinguitur non ſolum à Patre,vt ab oppoſito relatiuo , ſed etiã à Spiritu Sancto, vt à relatiuo diſparato , & licet Filius non produceret Spiritum Sanctum, adhuc ab illo diſtingueretur realiter, vt infra ſuo loco probabitur,ſimiliter ſpiratio actiua diſtinguit Patrem,& Filium à Spiritu Sancto,ſed non perſonaliter,quia non in eſſe perſonę illas conſtituit , ſed in eſſe ſpiratoris , & ſicut in tali eſſe conſtituit in eodem tali eſſe diſtinguit,eſt tamen ſpiratio actiua ſignum diſtinctionis realis,& perſonalis præſuppoſitæ formaliter,præhabitæ in Patre,& Filio per paternitatem,& filiationem ; ſpiratio paſſiua , quia conſtituit Spiritum Sanctum in eſſe perſonali, ideò diſtinguit illum à Patre,& Filio perſonaliter.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum proprietates perſonales conſtituentes perſonas ſint abſolutæ an relatiuæ.

Singularis fuit in præſenti quæſtione opinio Ioannis de Ripa in 1.diſ.26.& 27.aſſerentis perſonas diuinas per proprietates dumtaxat abſolutas conſtitui, poſt conſtitutionem autem ipſorum habere inter ſe inuicem referentiam relatione aduenıente, ad modum quo in creatis Pater iam in eſſe conſtitutus refertur paternitate ſibi adueniente ad Filium,& quidem eſt mirum,quod plurimi ex Scholaſticis vt eſt videre apud Suar.lib.7.c.5.& alias, tribuant eamdem opinionem Scoto in 1.diſ.26.q.1.vel potius inquiunt eam , vt probabilem defendere Scotum cum tam longè ſit ab hoc intentio Scoti,eſt eam potius improbabilem demoſtret,& falſam,

falſam, verum eſt tamen quod eam defendit ab hæreſis nota, quã Ripę tribuunt multi, vel ex parte, vt Vaſques in 1.p.diſp.158.c.3. vbi ait, eſſe planè errorem in fidem dicere perſonas diſtingui proprietatibus abſolutis, non autem, ita eſſe certum de conſtitutione ipſarum; nam expreſſè Concilia, & PP. loquuntur de diſtinctiuis illarum perſonarum, eaſque diſtingui à ſe inuicem per relationes, quarum nominibus ſignificãtur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Vel ex toto inquiunt eſſe hęreticam, vt Molin. in 1.p.q.40.a.2.diſ. 2.num.1.& Bagnes ibid. & probant, nam licet Scriptura Concilia, & SS. PP. exprimant perſonas diuinas nominibus relatiuis expreſſius ea parte, qua diſtinguuntur, quam ea, qua cõſtituuntur, vt Concilium Toletan.11.in principio, vbi ait, hoc ſolum numerum indicat, quod ad inuicem ſunt, & hoc numero carent, quod in ſe ſunt, ideſt abſoluta ſunt, vbi Concilium expreſsè tribuit numerum, & diſtinctionem perſonarum relationibus, & Florentinum ſeſſ.18.ait, ita vt non vlla alia ratione, quam ui relationis Pater, à Filio, & vna perſona ab alia differat, denique illud commune axioma Theologicum hoc idẽ explicare videtur, in diuinis omnia ſunt vnum, vbi relationis oppoſitio non obſtat, cum tamen idem ſit diſtinctiuum, & conſtitutiuum rei, ex probabiliori, & cõmuniori opinione, & vt probatum eſt in ſuperiori quæſtione, ſi ergo hæreticum eſt, vel error in fide aſſerere diſtinctiuum perſonarum diuinarum eſſe abſolutũ, ſimiliter dicendum eſt hęreticum eſſe conſtitutiuum earum eſſe abſolutum.

Duabus autem reſponſionibus prędictam opinionẽ Ripę ſoluat ab hæreſi Scotus, prima eſt, quoniam licet Sac. Scriptura, & Concilia, & PP. aſſeruerint perſonas diuinas eſſe relatiuas, non tamen vllibi dixerunt eas non eſſe abſolutas, ſi ergo nuſquam negauerunt eas abſoluto conſtitui, hoc aſſerere hæreticum nõ eſt cum hæreſis debeat eſſe contra aliquam propoſitionem expreſſam in Scriptura, vel Concilijs contradictoriè, aut contrariè, non eſt autem contradictorium, vel contrarium dicere perſonas diuinas conſtitui abſoluto, & relatiuo ergo. Secunda reſponſio eſt quod poſſet dicere Ioannes de Ripa, & ſufficienter ſatisfaceret, quod Sacra Scriptura expreſſerit perſonas diuinas nominibus relatiuis, tamquam notioribus nobis, ſi enim fortè Chriſtus ſuum nomen proprium expreſſiſſet, vel ſui Patris, non ita facilè innotuiſſet ſe, & Patrem ſuum nobis.

Cum

Cum hoc tamen ſtat hanc ſententiam tàm ſecundum Scotum, quàm ſecundum omnes Scholaſticos falſam eſſe temerariam, & errori proximam, falſa quidem, tum quia eius rationes de facili ſoluuntur, & habent fundamentum falſum, nam relationes perſonarum diuinarum non ſunt ipſis aduenientes, vt in creatis, ſed eas conſtituentes in eſſe perſonali, ſunt enim per ſe ſubſiſtentes, & nō adhærentes, & aduenientes perſonis conſtitutis, quod eſt fundamentum Ripæ; tum etiam quia ſolutiones factæ argumentis cōtra dictam ſententiam non quadrant, Chriſtus .n. manifeſtans ſuum nomen, & Patris ſui hominibus proprijſſimum, & ſecūdum propriam rationem manifeſtare debuit, & ſi abſoluto conſtituerentur perſonę diuinę non defuiſſet illi vti ſummę, & diuinę ſapiētiæ modus, ſe ſuumque Patrum manifeſtandi nobis etiam rudiſſimis ingenio. Eſt temeraria, quia contra torrentem omnium PP. & Scholaſticorum, & vniuerſas diuinarum perſonarum nominū ſententias ſparſim in Sacr. Scriptura, & Concilijs prolatas tacita prorſus omni nomine, illas, vt abſolutas ſignificante, eſt denique propè errorem, quia legitimus ſenſus authoritatum Eccleſiæ, & Conciliorum nomina relatiua tantum requirit, & non abſoluta, relinquitur ergo proprietates conſtituentes diuinas perſonas relatiuas eſſe, & non abſolutas.

Argumenta autem cōtra hanc doctrinam adducentur in quæſtione ſequenti contra tertiam concluſionem, vbi eſt proprior locus, & ibi ſoluentur.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum proprietates iſtæ relatiuæ, quæ relationes originis nuncupantur conſtituant perſonas ſub ratione originis, ſeu vt origines an ſub ratione proprietatis perſonalis, ſeù formæ hypoſtaticæ, an ſub ratione formali relationis.

PRo intelligentia huius quæſtionis, quæ multas partes continet, ex Scoti q. 4. quolibetali, notandum, relationes originis tripliciter conſiderari poſſe ſub ratione formæ hypoſtaticæ, ſub ratione actualis originationis actiuæ, vel paſſiuæ in Patre generatio actiua, in Filio generatio paſſiua, in Spiritu Sancto, proceſſio, & ſub ratione relationis, vt paternitas in Patre, filiatio in Filio,

lio,& proceſſio in Spiritu Sancto; forma enim hypoſtatica v.g. Petri reipſa diſtinguitur à generatione, qua generat Filium, & qua generatur à ſuo Patre,& generatio paſſiua,vel actiua reipſa, etiam eſt diſtincta à ſua filiatione,& paternitate,quibus refertur ad ſuum Patrem,& Filium,& vna poteſt conſiderari,vt prior altera,& illa prior conſiderari poteſt, altera non concepta per intellectum,qui abſtrahere poteſt omne prius à ſuo poſteriori.

Prima ſententia à D.Tho.relata in 1.p.q.40.a.3.eſt, quod hypoſtaſes diuinæ conſtituuntur originibus, perſonæ verò relationibus, facit enim diſtinctionem inter hypoſtaſim, & perſonam ex eo quod perſona diuina ad hypoſtaſim nil aliud addit, niſi dignitatem talis naturæ, ſcilicet diuinæ, ſicut perſona humana ad ſuam hypoſtaſim,& ſuppoſitum addit dignitatem naturæ humanæ, & perſona Angelica naturæ Angelicæ; propter quod talia ſuppoſita ad hypoſtaſes diuinæ, humanæ, & Angelicæ perſonæ vocatur, ex quò ſequitur quod hypoſtaſes diuinæ neceſſariò includunt dignitatem naturæ diuinæ, & conſequenter implicat, quod aliquid conſtituat hypoſtaſim in natura diuina,& non conſtituat perſonam, vel ergo origines conſtituūt hypoſtaſes ſimul, & perſonas, aut relationes vtrumque conſtituunt; non eſt igitur fienda diſtinctio inter hypoſtaſim,& perſonam,quę à diuerſis rationibus conſtituantur.

Secunda ſententia eſt Diui Bonau.in 1.diſ.26.& Marſilij q.30. a.1. quod perſonę diuinæ conſtituuntur per origines,vt Pater per generationem actiuam non per paternitatem,Filius per generationem paſſiuam non per filiationem, & Spiritus Sanctus, per ſpirationem paſſiuam, & ſic proprietates ſupradictæ relatiuæ, ſeù relationes originis non ſub formali ratione relationis, ſed originis dumtaxat conſtituunt perſonas. Vnde relatio originis dupliciter conſiderari poteſt vno modo,vt origo,ſeu emanatio. Secundò modo,vt relatio,& habitudo,primo modo eſt prior ſeipſa ſecundo modo ſumpta,primo modo conſtituit perſonam, ſecundo modo diſtinguit eam ab alijs, propter quod dicitur omnem diſtinctionem in diuinis prouenire inter perſonas per relationis oppoſitionem.

Probant ſuam ſententiam; quando in aliqua re ſunt aliqua duo, quorum vnum eſt prius altero, illas res potius conſtituitur per illud prius,quam per poſterius,ſed in qualibet perſona diuina

eſt

eſt origo,& relatio, vt in Patre eſt generatio actiua, & paternitas, & origo eſt prior relatione, ideſt paternitate, igitur origo cōſtituit perſonas, vt generatio actiua conſtituit Patrem, non relatio, & paternitas, maior patet, minor probatur, nam relatio fundatur in origine, vt paternitas in generatione actiua, ideò enim dicitur Pater, quia genuit, vel quia generat, ſed fundamentum eſt prius fundato, ergo.

Hæc ſententia cum duplicem habeat ſenſum, quorum alter eſt verus, alter falſus, ſecundum falſum ſenſum impugnanda eſt, origines enim ſecundum Scotum in 1. diſ. 28. q. 3. vel ſunt conſtitutiuæ perſonarum principiatiuè, & ſic verus eſt ſenſus, reuera enim à generatione actiua, & paſſiua habent originaliter Pater, & Filius ſuum eſſe, & ſuam diſtinctionem, vel ſunt conſtitutiuę formaliter, de quo ſenſu in præſentiarum eſt ſermo, & hic ſenſus eſt falſus, & improbatur; primo origo eſt quaſi via ad perſonam, & eſt quædam actio inter perſonam producentem, & productam, ergo iam præſupponit perſonam, à qua alia eſt, & præcedit perſonam ad quam eſt, tamquam via ad terminum, non ergo origo eſt conſtitutiua perſonarum. Secundò id quod ſupponitur ante rei conſtitutionem non conſtituit formaliter ipſam rem, ſed origo, & generatio paſſiua Filij ſupponitur ante ipſum, ergo, minor probatur, quia generatio eſt via ad Filium genitum, & intelligitur de generatione paſſiua, non de actiua, quia hæc remanet in generante. Tertiò arguitur de origine, & generatione actiua in Patre, quę cum ſit quidam influxus generantis ad genitum præſupponere debet id à quo fluit, non autem fluit ab eſſentia diuina, vel ab hoc Deo, vt abſtrahit à perſonis, ſed à perſona prima, ſcilicet à Patre, igitur ſupponit illum iam conſtitutum, & non conſtituit; & ſi dicas, quod origo, & generatio conſiderata ſub ratione influxus non eſt generatio actiua, ſed paſſiua, quę reſpicit Filium, non Patrem, & ſic per hoc non probatur Patrem, eſſe conſtitutum ante generationem actiuam, ſiquidem ea per modum fluentis à Patre, conſiderari non poteſt. Contra hoc eſt, nam licet nullo pacto conſiderari poſſit generatio actiua, vt fluens à Patre aliquo modo poſt Patrem, hoc tamen negandum non eſt Patrem eſſe in diuinis in facto eſſe, & generare ipſum eſſe in fieri, quia ſemper Pater generat Filium, ſed nullum fieri eſt formaliter conſtitutiuum facti eſſe, ergo nec generatio eſt conſtitutiua Patris formaliter, ac per

conſequens relationes originis non conſtituunt perſonas, vt origines ſunt,

Fundamentum autem propoſitę ſententię, nempè quod origo, ſeù ratio originis ſit prior in qualibet perſona, quam relatio, ex quo ſequitur per originem conſtitui perſonam, non per relationem falſum eſt, vt infra patebit in vltima opinione, & vltimo modo dicendi, vbi probabitur vnam non eſſe priorem altera, nec in re diſtinctum ab illa.

Tertia ſententia eſt D. Thom. 1. p. q. 40. a. 4. quod relatio originis, vt paternitas Patris non conſtituit perſonam prout relatio, ſed prout proprietas, & forma hypoſtatica, cuius fundamentum eſt, quod vt relatio ſequitur actum notionalem, vt forma verò hypoſtatica præſupponitur ad illum, & ſic tunc cõſtituit perſonam, quæ prius intelligitur eſſe, poſtea generare, deinde verò referri ad Filium genitum, & ſecundo modo eſt ſimul cum Filio, primo modo eſt prior illo.

Contra hanc ſecundam ſententiam, & eius fundamentum arguitur, nam relatio originis Patris .i. paternitas accepta, vt forma hypoſtatica, & conſiderata ante actum generationis, vel eſt quid abſolutum, vel relatiuum, aut nec hoc, nec illud, hoc tertium dari non poteſt, quoniam licet ſecundum aliquos abſtrahibilis ſit aliquis conceptus communis ad abſolutum, & relatiuum, communis, inquam, tranſcẽdens, & vniuerſalis, ſed nullus vnquam dixit, nec affirmari poteſt, quod vnus, & idem conceptus indiuidualis, cuiuſmodi eſt paternitas Patris diuini ſit indifferens, & communis ad abſolutum, & relatiuum, ſed erit vel hoc, vel illud, primum dici non poteſt, nam ſic perſona Patris, & conſequenter perſonæ Filij, & Spiritus Sancti, de quibus eadem eſt ratio, eſſent abſolutæ, & abſolutis conſtituerentur, cuius oppoſitum præcedenti quæſtione oſtenſum eſt. Dicendum eſt ergo ſecundum, nempè quod paternitas in illo primo tunc etiam, vt conſiderata ante actum generandi conſtituat perſonam Patris ſub forma relatiua, non ſub forma hypoſtatica aliqua diſtincta à ratione relatiui.

Nec poteſt hæc tertia ſententia ſaluari, vt Diuus Thomas intenderit ſumere relationes originis ſub formali ratione relationis aliquo modo acceptæ, vt eam explicant Thomiſtæ in quarta ſequenti ſententia, nam apertè Diuus Thomas diſtinguit ori-

ginis relationem, vt proprietas eſt, & vt relatio eſt., igitur relatio originis iuxta mentem D. Thomæ non ſub formali, & præciſa ratione relationis conſtituit, ſed ſub formali ratione proprietatis, & formæ hypoſtaticæ, vt diſtincta à ratione relationis,quam inquit Diuus Thomas conſtituere perſonam.

Quarta ſententia communior, verior, & nobis amplectenda eſt, quod proprietates relatiuæ ſiuè relationes originis ſub ratione formali relationis conſtituunt perſonas, ſed quia diuerſi Auctores diuerſimodè iſtam concluſionem explicant eorum expoſitiones expendere oportet.

Primo Caietan. in expoſitione litteræ Diu. Thom. diſtinguit de relatione,vt accipiatur dupliciter,primo modo, vt concepta, ſecundo modo,vt exercita,& vtroque modo ſignificatur relatio, vt relatio cum hoc tamen diſcrimine, quod priori modo concipitur, vt exiſtens, vel adhęrens, & afficiens eum, cui conuenit. Secundo modo, vt tendit ad terminum, primo modo, inquit, conſtituere perſonam,& eſſe priorem origine, ſiuè originatione, ſub poſteriori autem ratione referre illam, & ſubſequi origine, & præſupponere perſonam conſtitutam.

Contra hanc primam expoſitionem arguitur, nam ſecundum ipſum Caietanum relatio vtroque modo accepta eſt ſecundum propriam rationem relationis, igitur relatio primo modo, ſcilicet vt concepta non tantum afficit perſonam, cui inhæret,ſed etiam eam refert, probatur ſequela, omnis forma inhærens, & afficiens habet neceſſariò ſuum effectum formalem in eo quod afficit,ſed effectus formalis relationis, vt relatio eſt, eſt referre illud, quod afficit, igitur relatio, vt concepta afficiens perſonam diuinam ſimul refert, ac per conſequens vtroque modo,& vt exercita,& vt concepta, relatio ſemper actu refert perſonam diuinam quod eſt contra Caietanum.

Secundò Henricus quolibet 9. quæſt. prima, & tertia diſtinguit de relatione quatenus fundatur ſuper generationem actiuam Patris,quæ generatio quattuor modis conſiderari poteſt, vel vt aptitudinalis, vel vt quaſi potentialis, vel vt actualis, & præſens, vel vt præter iſta,& cum prima ratio iſtarum ſit illa,ſcilicet aptitudinalis,relatio paternitatis conſtituit perſonam quatenus fundatur ſuper generationem aptitudinalem, quia ad illum modum omnes alij reducuntur; hic autem ad nullum alium, & hoc modo

rela-

relatio ſignificatur per nomen generationis dumtaxat aptitudinalis hanc eamdem expoſitionem ſequitur Bacconius in 1. diſ. 26. q. 1. art. 1.

Fundamentum huius expoſitionis eſt, quoniam illud eſt conſtitutiuum perſonę Patris, quod eſt primum incommunicabile principium in Patre, & ad quod omnia alia reducuntur, ſed illud eſt generatiuitas, igitur ipſa eſt relatio conſtituens Patrem, minor probatur, quia generatiuitas dicit aptitudinē generādi, quod ſic declaratur, nam Pater conceptus ſub hac ratione exprimitur ſub hoc nomine generatiui, ſed poſſe generare, quod exprimitur per illud nomen potens generare, addit aliquid ſupra eſſe aptum generare, nam puer eſt aptus ad generandum, non poteſt tamen generare; & generare addit ſupra poſſe generare, nam virgo poteſt generare, non tamen generat, & hoc tertium exprimitur ſub hoc nomine generans, & habere filium genitum ſibi coexiſtentem addit aliquid ſupra generare, quia aliquando aliquis generat, & tamen non eſt pater, vt potè ſi moritur ante conceptum fętum, & formatum, & ſub dicto nomine patris exprimitur talis, nempè habens filium ſibi coexiſtentem, ex his patet, quod prima relatio, quam habet pater ad filium eſt generatiuitas, ipſa igitur eſt conſtituens propriè in eſſe patris, ſcilicet habitudo aptitudinalis ad generandum.

Secundò probant hoc idem ex Auguſt. quinto de Trinit. cap. ſexto, vbi reſpondens alli argumento, quod ſi Pater non generaret adhuc eſſet ingenitus, & per conſeqiens abſolutus, ſicuti vrgebat Arrius. Reſpondet ipſe, quod eſſet ingenitus, & adhuc Pater eſſet ſuppoſitum relatiuum, ſub infertur minor, quia non poteſt intelligi hæc doctrina Auguſtin. & reſponſio, niſi Pater conſtitueretur generatiuitate, & non generarione actuali, quia inquit Pater eſſet relatiuus, adhuc non generans, igitur eſt relatiuus, vt potens generare, vel potius vt eſt aptus ad generandum, quod eſt prima radix generationis, & relationis originis.

Contra hanc ſecundam expoſiuionem, & modum dicendi arguitur ex Scot. in primo diſ. 28. quæſt. 3. & in quolibetis quæſt. 4. ar. 2. ens actuale non conſtituitur niſi actuali, ſed Pater diuinus eſt ens actuale in rerum natura, & generatiuitas, ſeù potentia ad generandum non eſt actualis vt patet ergo.

Huic argumento poſſet aliquis reſpondere, quod aptitudo, vel potentia generandi eſt actualiter, & formaliter in Patre quando conſtituit ipſum, ſed non eſt actualiter, ideſt non habet actum ſecundum.

Sed contra hoc eſt, non ſic aptitudo Patris ad generandum eſſet ipſa paternitas, ſed quælibet aptitudo præſupponit formam conſtitutiuam, & partes eſſentialiter conſtitutiuas ſubiecti, Pater ergo conſtitui debet aliquo alio priori, quàm ſit generatiuitas: Rurſus incommunicabile conſtituitur per formam per ſe primo incommunicabilē, ſed Pater eſt perſona incommunicabilis, & aptitudo non eſt ſic per ſe, & primo incommunicabilis, ergo, maior patet nam ratio incommunicabilitatis debet eſſe primum, & per ſe incommunicabile, minor probatur, quoniam aptitudo præſupponit in ſubiecto aliam formam priorem; nunc inquiritur, vel illa forma in Patre eſt communicabilis, vel incommunicabilis, ſi primum ergo Pater eſt ens communicabile, quia vt tale conſtituitur, ſi ſecundum ergo iam habet eſſe ſuum incommunibile ab illa forma priori, & nō ab aptitudine, vel potentia ad generandum, ab illa igitur forma conſtituitur in eſſe perſonæ.

Ad huc reſpondet Bacconius, quod ſicut relatio habet à fundamento, vt conſtituat ſic aptitudo generandi habet à fundamento, ideſt ab illa forma vt ſit incommunicabilis; & conſtituat primam perſonam in eſse perſonæ, ſcilicet incommunicabilem.

Sed contra hoc eſt, quod prima ratio incommunicabilitatis, & conſtitutiui perſonæ Patris eſt illa forma, & fundamentum, non aptitudo ad generandum, illa igitur non iſta conſtituit in primo eſſe incommunicabile.

Secundo arguitur ex eod. Scot. quod ex hac opinione ſequeretur Filium eſſe perfectiorem Patre, quia entitatem magis actualem, & perfectam haberet, quam Pater, probatur ſequela, nam ſecundum hanc ſententiam Filius conſtituitur ſecundū eſſe actuale, ideſt generatione actuali, Pater verò generatione aptitudinali, vel potentiali.

Ad primam rationem huius ſententiæ reſpondetur, negando quod aptitudo ad generandum ſit prima ratio incommunicabilitatis, ſeu primum incommunicabile in Patre, vt patuit modo ſuperius de fundamento illius aptitudinis, quod eſt forma ſubiecti; ſecundo reſpōdetur negando aptitudinem ad generandū in Patre

diuino

diuino,eſſe priorem generatione actuali,vt infra patebit; quamuis enim per noſtrum modum concipiendi, etiam quando actus eſt ſimul cum potentia poſſit potentia prius concipi, quam actus, non tamen in re prior eſt potentia,quam actus,& præcisè in Patre diuino,qui in re,& realiter conſtituitur per relationem originis,& generationis,quæ ſimul eſt in ipſo cum generatiuitate,igitur in re generatiuitas non eſt prior generatione,& conſequenter in re ipſa non conſtituit Patrem ſine generatione,vel prius quam illa licet per intellectum concipi poſſit, ſed nos loquimur de conſtitutione reali,& ſecundum quod eſt in re ipſa.

Ad ſecundum reſpondetur falſum eſſe D.Aug.conceſſiſſe,ſi Pater non generaret,& per illam notionem ingenitum,eſſet ſuppoſitum in rerum natura, quod adhuc eſſet relatiuus, non apertè dicit ea parte, qua ingenitus eſt eſſe abſolutum, & fieri tertiũ relatiuum,in quantum eſt genitor,& generat,in quantum inquit ipſe, ingenitum non ad aliquid, ſed ad ſe dici putatur ingenitus; deindè ſubdit genitum verò mira cæcitate non aduertunt dici non poſſe niſi ad aliquid, & per conſequens genitorem ſubiungo aduertere debemus etiam ad aliquid dici, Pater igitur in tantum eſt ad aliquid,in quantum generat, & ſi per impoſſibile non generaret eſſet ſuppoſitum abſolutum non relatiuum.

Tertius modus explicandi eſt Torres aſſerentis in 1.p.q.40. Patrem conſtitui paternitate ſub ratione formali relationis, non quidem actualis,ſed potentialis generationis, ideſt non in quantum relatio generationis actu refert,ſed vt apta nata referre Patrem ad Filium,non tamen,vt actualiter, & ex natura rei,diſtincta ab eſſentia diuina,ſed ſola ratione,& fundamentaliter diſtincta ab illa,loquitur enim conſequenter ad ſuam doctrinam ſuperiori quæſtione allatam de diſtinctione, & continentia relationũ originis in eſſentia diuina.

Hæc ſententia iiſdem argumentis, quibus ſuperior fulciri poteſt,eadẽ enim eſt eſſentia reſpectu conſtitutionis perſonę,licet alium modum conſtitutionis admittat,nimirum rationis non realem, & eiſdem reſponſionibus ſatisfit. Supereſt tantum eius fundamentum conterere.

Primò enim iam in præcedenti quæſtione probauimus conſtitutionem perſonæ diuinæ non poſſe eſſe, nec nominari conſtitutionem rationis. Secundò perſona diuina actu eſt, igitur ex rela-

tionibus actualiter exiſtentibus in rerum natura conſtitui debet, ac per conſequens non ex relatione fundamentaliter, ſeù virtualiter, vel potentialiter contenta in eſſentia diuina. Tertiò: quod actu conſtituit actu debet eſſe, at relatio originis actualiter conſtituit perſonam, ergo actualiter eſſe debet in rerum natura, & nō fundamentaliter in aliquo.

Quartus modus eſt P. Suar. lib. 7. c. 7. quod relatio diuina ſub propria ratione relationis etiam actualis conſtituit perſonam diuinam; hæc tamen conſtitutio in re ipſa non eſt actualiter, ſed tantum virtualiter, & fundamentaliter, cuius fundamentum eſt eius præſuppoſita doctrina, quod relationes originis, non ſunt actualiter in Deo, ſed tantum fundamentaliter, & hoc eodem modo reipſa ab eo diſtinctæ, & conſequenter fundamentaliter conſtituunt perſonas ad modum, quo ab eſſentia diſtinguuntur, cum qua ſimul conſtituunt illas, hunc eumdem modum ſequitur Vaſques in 1.p.diſp.159.c.5. quinimò videtur nullam prorſus admittere conſtitutionem perſonarum diuinarum à parte rei, nec formalem, nec fundamentalem, à parte tamen intellectus, & ſecundum noſtrum modum concipiendi inquit illas perſonas conſtitui.

Sed facilè diſſoluitur huius modi fundamentum ex dictis in q. de diſtinctione relationum originis ab eſſentia vbi probatum eſt relationes originis non ſolum actualiter, & fundamentaliter eſſe in eſſentia diuina, ſed etiam eodem iſto modo ab ea diſtingui in reipſa, & à parte rei, non a parte intellectus, vt dicebant iſti authores, ac per conſequens actualiter in reipſa perſonas diuinas conſtituere debent.

Quintus modus explicandi eamdem ſententiam eſt Capreoli, Ferrarien. & aliorum Thomiſtarum, qui dupliciter conſiderant relationem originis, vt dicit in, & vt dicit, ad, relatio enim in diuinis, ſcilicet paternitas, vel filiatio prout dicit, in, eſt forma ſubſiſtens, ideſt in ſe exiſtens, & ſubdunt, relatio ea ratione, qua dicit, in, conſtituit perſonam, vt ſubſiſtentem, & ea ratione, qua dicit, ad, conſtituit, vt incommunicabilem, perſona namque duo dicit ſubſiſtentiam, & incommunicabilitatem; primam partem probant, nam relatio, vt dicit, in, eſt forma, & proprietas in ſe, & per ſe ſubſiſtens, igitur, vt ſic conſtituit perſonam ſubſiſtentem: ſecundam partem probant, nam perſona in tantum eſt incomunicabilis in quantum habet oppoſitionem cum alijs perſonis, ſed prout dicit

dicit ad habet talem oppoſitionem,ergo vt ſic conſtituit perſonã incommunicabilem. Rurſus perſona,vt eſt ſubſiſtens, non eſt incommunicabilis, quia ille conceptus eſt diſtinctus ab hoc, ergo non habet incommunicabilitatem prout dicit,in,ſed,ad,.

Secundò dicunt hi authores, quod relatio diuina quatenus dicit,ad,diſtinguit vnam perſonam ab alia, non quatenus dicit,in, nam perſonæ non diſtinguuntur, niſi in quantum opponuntur in diuinis,vbi omnia ſunt vnum,niſi ob eſt relationis oppoſitio, ſed prout dicit ad relatio dicit oppoſitionem, ergo vt ſic diſtinguit vnam perſonam ab alia.

Contra iſtum modum dicendi arguitur,& primo contra diſtinctionem de relatione vt in,& vt ad,nam relatio originis,vt paternitas,vel filiatio,vel eſt forma abſoluta,aut relatiua,non abſoluta,quia perſonæ conſtitutę per ipſam abſolutæ eſſent,eſt ergo relatiua, ac per conſequens præſcindi non poteſt ratio eſſendi, in, à ratione eſſendi ,ad; quod ſi dicas per intellectum præſcindi poteſt; hæc reſponſio non eſt ad propoſitum,quoniam ſermo eſt de præciſione reali,ſecundum quam vnum ex natura rei,non eſt alterum,ad hoc vt vnum in reipſa conſtituat perſonam ſub vna ratione nempè ſubſiſtentis, & alterum ſub alia ratione, ſcilicet incommunicabilis,ſicut illæ rationes ex natura rei,ſunt in perſonis diuinis,ſicut ergo vna ratio in reipſa non eſt diſtincta ab altera in eadem forma relatiua,& relatione, ità reipſa non poteſt duplicē rationem conſtituentem admittere, licet per intellectum diuerſimodè concipi poſſit.

Secundò arguitur contra primam partem primi dicti, quamuis illę duę rationes nimirum,in,&,ad,diſtinctę ſint ex natura rei, licet dato hoc, & non conceſſo non tamen eſt dicendum habere illa duo officia ſeorſum diuerſa, nam illa ſubſiſtentia, quam tribuit relatio,prout dicit,in,vel eſt ſubſiſtentia communis,& eſſentialis,vel perſonalis, non poteſt dici primum, quia ſubſiſtentia communis ab eſſentia prouenit. Secundum ergo dicendum eſt, ſed quęlibet ſubſiſtentia perſonalis eſt incommunicabilis, igitur relatio prout dicit, in,etiam tribuit incommunicabilitatem, vel ſubſiſtentiam incommunicabilem.

Tertiò contra ſecundam partem eiuſdem primi dicti arguitur, quoniam ly, ad, pertinens ad conſtitutionem Patris æterni per oppoſitionem, ſcilicet quam dicit ad Filium tantum, & non ad

Spiritum Sanctum, quia talis eſt paternitas, quæ in eſſe perſonæ conſtituit Patrem, & facit ipſum eſſe incommunicabilem propter oppoſitionem, quam dicit, igitur facit ipſum eſſe incommunicabilem ſoli Filio, & non Spiritu Sancto, & conſequenter Pater eſſet communicabilis Spiritu Sancto, probatur prima ſequela, nam forma conſtituens rem in aliquo eſſe per aliquam rationem, per illam rationem præcisè illa res habet tale eſſe, ſed paternitas, vt dicit ad, conſtituit Patrem in eſſe incommunicabili per rationem oppoſitionis ſuæ oppoſitæ relationi Pater dicitur incommunicabilis, at verò Pater per paternitatem non habet oppoſitionem reſpectu Spiritus Sancti, ſed reſpectu Filij, ergo reſpectu Filij, & non Spiritus Sancti dicitur eſſe incommunicabilis.

Contra ſecundum dictum horum authorum arguitur: ratio conſtituendi eſt ratio diſtinguendi, vt probatum manet in ſuperioribus, illa igitur ratio, quæ eſt intimior, & eſſentialior in conſtitutione præcisè, & magis diſtinguit, quam illa, quæ non ita eſſentialiter conſtituit, ſicut enim tale ad tale, ita magis ad magis. Sed per hanc ſententiam vtraque ratio relationis non eodem modo conſtituit perſonam diuinam; quia ratio eſſendi in conſtituit in eſſe ſubſiſtentis, & ratio eſſendi ad, conſtituit in eſſe incommunicabilis, vel ergo vtraque ratio æquè pertinet ad rationem perſonæ, vel non, ſi primum ergo ex æquo vtraque diſtinguit, & non ſola ratio eſſendi ad; ſi ſecundum dicas, nimirum quod præcipua ratio conſtituendi perſonam eſt ratio eſſendi in, ſiquidem ſubſiſtentia eſt præcipuum in perſona, & magis eſſentialis, quam incommunicabilitas, quæ eſt eius modus intrinſecus, igitur præciſa, ſeu præcipua ratio diſtinguendi vnam perſonam ab alia eſt eſſe in, & non eſſe ad; Secundò falſum ſupponit, vel ſaltem dubium hæc ſententia, quod præcipua ratio diſtinctionis perſonarum ſit relatio oppoſita nam infra probabitur inde Spiritu Sancto, quod etiam relatio diſparata diſtinguit vnam perſonam ab alia, vt puta ſi Filius non haberet relationem oppoſitam ad Spiritum Sanctum, ſi non haberet ſpirationem actiuam, ſi ipſum non ſpiraret, ſed ſpiraretur, & procederet à ſolo Patre, adhuc Filius eſſet diſtinctus à Spiritu Sancto per relationes eorum diſparatas ipſos in eſſe perſonæ conſtituentes, nempè per filiationem, & ſpirationem paſſiuam, falſum eſt ergo fundamentum illud, quod ratio diſtinguendi ſit oppoſitio relatiua, ac per conſequens falſa

eſt

eſt concluſio,quod ratio eſſendi ad ſit præciſa ratio diſtinguendi, quia ſecundum hos authores ratio eſſendi ad, eſt relatio oppoſitiuo,& per hoc manet oppugnata ſimul,& ſoluta, fundamenta huius modi dicendi.

His ergo omnibus reiectis, proponere opportet ſextum modum explicandi prædictam quartam ſententiam, qui eſt verior probabilior,& nobis amplectẽdus ex ſubtiliſſima doctrina Scoti, & in ſequentibus concluſionibus conſiſtit.

Prima concluſio. Proprietas relatiua,ſeù relatio originis ſub propria,& formali ratione relationis vtroque modo ſumptæ,& vt conceptæ,& vt exercitæ contra Caietanum, & omnibus illis quattuor modis acceptæ contra Henricum,& vtroque modo cõtentæ in eſſentia virtualiter, ſeù fundamentaliter, & actualiter, ſeù formaliter contra Torres, & vtroque modo diſtinctæ ab eſſentia ex natura rei,fundamentaliter,ſeù virtualiter,& formaliter,ſeù actualiter contra Suares; & denique vtroque modo conſiderate, vt dicit in, & vt dicit ad,contra Capreol. & alios ſimul conſtituit, & diſtinguit perſonam diuinam.

Primò probata manet iſta concluſio ſecundum omnes eius partes ſeorſum in confutatione omnium quinque prædictarum expoſitionum huius quartæ ſententiæ. Secundò breuiter communi, & eodem medio probatur, nam omnes illi modi relationis originis reipſa non diſtinguuntur, vt ergo reipſa conſtituit, ita omni illo modo reipſa accipitur ipſa relatio,antecedens patet ex dictis rationibus.

Secunda concluſio. Proprietas relatiua perſonalis,ſeù relatio originis,& ſub ratione formę hypoſtaticę,vt ait Diuus Thomas, & ſub ratione originationis vt D. Bonau.& ſub ratione formali relationis,ad quam aliæ duæ reducuntur, & fit vnica tantum ratio formalis dumtaxat relationis, & ſic præciſè ſub tali ratione relationis conſtituit perſonam diuinam,ſimulque eam diſtinguit ab omni alia.

Primò probatur concluſio, proprietas relatiua reipſa conſtituit,& diſtinguit perſonam,igitur eo modo,quo in reipſa eſt conſtituere,& diſtinguere debet, ſed in reipſa nullus eſt ordo,nec diſtinctio in proprietate perſonali inter formam hypoſtaticam,& originationem,& relationem,ſed reipſa omnes iſtę rationes formales vnica ſimplex,& eadem ratio,& entitas formalis eſt,vt ſic ergo

ergo omnibus modis accepta proprietas perſonalis conſtituit,& diſtinguit perſonam,probatur minor huius argumenti, ſeù antecedens ſecundę ſequelę,nempè quod nulla ſit diſtinctio inter prędicta in reipſa, pro cuius intelligentia primo notandum eſt ex Scoto in quolibetis q.4.quod in his tribus in aptitudine ad generandum in generatione actuali, & in paternitate prout ſunt in creaturis aliquid perfectionis,& aliquid imperfectionis inuoluitur in aptitudine perfectionis eſt, quod maneat, & non raptim tranſeat,ſed imperfectionis eſt,quod poſſit eſſe, & ſit ſine actuali generatione,& communicatione naturæ, in generatione perfectionis eſt,vel ſaltem nullā imperfectionem includit,quod actualiter per eam natura generātis communicetur genito,ſed imperfectionis eſt,quod ſit via,& mutatio ad rem genitam, & conſequenter,quod tranſeat,& non maneat,& in paternite,perfectionis eſt,quod permanet, & non tranſit, ſed imperfectionis, quod ſeparetur ab actuali generatione,manet enim paternitas in Frāciſco adhuc tranſacta genetatione ſui Filij, omnibus igitur prædictis imperfectionibus ſublatis,quando iſta transferuntur ad diuina,primo ſequitur aptitudinem ad generandum eſſe coniunctā cum actuali generatione, & communicatione naturæ, imò eſſe ipſammet generationem, quia in diuinis idem eſt eſſe, & poſſe. Secundò ſequitur quod generatio diuina permanet, & non tranſit, & ſic non eſt mutatio. Tertiò ſequitur quod paternitas in diuinis,non eſt ſeparata ab actuali generatione actiua, nec filiatio ab actuali generatione paſſiua, imò ſequitur quod ſit ipſamet generatio,& actualis naturę communicatio; ſequitur ergo à primo ad vltimum,quod ſi aptitudo ad generandum, ſeù generatiuitas ſit idem,quod generatio,& generatio idem quod paternitas,conſequenter generatiuitas ſit idem quod paternitas, & omnes iſtæ tres rationes ſit vnica ratio,& entitas formalis.

Secundò notandum eſt, quod cum proprietas perſonalis,ſeù ipſa forma hypoſtatica,qua perſona diuina conſtituitur ſit forma eſſentialiter relatiua, & ipſamet relatio, vt probatum eſt in precedenti quæſtione,& nulla alio relatio inueniatur in perſonis diuinis,niſi aptitudo ad generandum,& ipſa productio actualis,& relationes, ſeù ipſamet forma hypoſtatica ſit idem quod omnia illa tria, ſicut illa tria, & illæ tres rationes formales ſunt vnica ratio formalis,& ex his probatum manet propoſitum.

Secun-

Secundò probatur concluſio,notiones,& relationes,quę à parte rei,in eadem perſona diuina ſunt aliquo diſtinctæ, & non ſunt vnica formalis entitas,non prædicantur de ſe inuicem in abſtracto,falſa eſt enim hæc propoſitio,paternitas,ſeù generatio actiua eſt ſpiratio, vel innaſcibilitas primum patet. Secundum probatur ex Aug. 5. de Trin. cap. 6. & non eſt hoc idem ingenitum, quod eſt dicere Patrem, quia & ſi Filium non genuiſſet,nihil prohiberet ipſum eſſe ingenitum, ſed verè prædicantur iſta de ſe inuicem in abſtracto nimirum paternitas eſt generatio eſt generatiuitas eſt forma hypoſtatica Patris,& è conuersò, igitur eadem formalis entitas ſunt à parte rei,& eo modo,quo ſunt à parte rei, conſtituunt perſonas à parte rei,igitur,vt vna entitas, & vna ratio formalis conſtituunt.

Tertia Concluſio. Prima perſona Trinitatis conſtituitur in eſſe perſonæ per relationem poſitiuam eius ad ſecundam perſonam, ſcilicet per paternitatem, & generationem actiuam. Secunda perſona per filiationem,& generationem paſſiuam,& tertia perſona per proceſſionem,& ſpirationem paſſiuam,non conſiderando has relationes ſub diuerſis rationibus,quomodocumque enim ſumantur ſunt vnica entitas ex natura rei,in qualibet perſona,& ſecundum quod ſunt in re conſtituunt perſonas, primo probatur ex Scot.in 1. diſ. 28. q. 9. per excluſionem de Patre, quod etiam currit de Filio,& Spiritu Sancto,ſiquidem in Patre ſunt iſta,nēpè deitas ſpiratio actiua,& innaſcibilitas, & generatio actiua,quæ eſt ipſa paternitas,ſed perſona Patris in eſſe perſonæ non conſtituitur deitate,quia hæc eſt communicabilis, nec ſpiratione,quia non eſt ſibi propria,ſed communis cum Filio, nec in innaſcibilitate,quia dicit negationem formaliter, reſtat igitur conſtitui ipſum generatione actiua, & paternitate, idem patet de alijs perſonis,

Secundò probatur per excluſionem impoſſibilitatis,quę maximè videtur eſſe in conſtitutione Patris per relationem originis, & generationem,nam ſi non poſſet Pater illa conſtitui,ex eo maximè eſſet,quia relatio requirit ſimultatem relatiuorum, ſed Pater eſt prior Filio,non ergo conſtituitur relatione ad Filium; ſub infertur minor,ſed ſimultas,quam requirit relatio Patris ad Filiū non derogat prioritati Patris, quoniam ſtante illa ſimultate adhuc Pater eſt prior Filio; hæc ergo impoſſibilitas eſt nulla,& excluſa

cluſa in conſtitutione Patris per relationem originis, probatur prædicta minor, non relatio requirit ſimultatem tantum temporis, vel naturæ, non autem originis, cuius prioritas ſtare poteſt cũ ſimultate naturæ, ſed Pater eſt prior tantum origine Filio, & ſimul natura, illa ergo relatio tantum admittit ſimultatem naturæ inter illos, in quibus eſt prioritas originis, non ergo eſt impoſſibile, vt Pater conſtituatur relatione originis ad Filium, ergo poteſt conſtitui, ergo conſtituitur, quia in diuinis non differt eſſe, a poſſe eſſe; eadem argumenta confici poſſunt de conſtitutione Filij, & Spiritus Sancti, in quibus licet ſit ſimultas naturæ ipſorum cum producente, ad eſt tamen poſterioritas originis, quę requiritur ad veram productionem.

Quarta Concluſio. Prima perſona Trinitatis poteſt à nobis concipi conceptu tamen incompleto, & non integro prius, vt hypoſtaſis, & ſuppoſitum quam vt generans, & prius, vt generans, quam vt Pater. Probatur iſta concluſio, nam in creaturis prius concipimus Petrum, quam ipſum vt generantem, & prius, concipimus ipſum, vt generantem, quam vt Patrem, & in creaturis verè inuenitur fundamentum, in quo fundatur prioritas, & diſtinctio conceptuum, in diuinis autem, ne omninò ſit ille conceptus fictitius poteſt fieri iſta pręciſio, quod ſufficit, licet in ipſis diuinis tale fundamentum non inueniatur, nam vnica ratio formalis eſt propter perfectionem ab omni imperfectione libera, vt ſupradictum eſt, & ſic à creaturis abſtrahitur, talis conceptus diſtinctus, & attribuitur diuinis hoc modo, non completus, & integer.

Quinta Concluſio. Prima perſona Trinitatis à nobis integro conceptu, & completo cognita neceſſariò concipitur relatiua, vt puta Pater ſub ratione Patris. Probatur concluſio. In prima perſona ſunt iſta, ſcilicet forma hypoſtatica, generatio actiua, & paternitas, quæ vnicam rationem, & entitatem ſingularem relatiuam dicunt, vt patet ex dictis, ergo concipitur vt relatiua, & conſtituta ſub expreſſa forma relationis in ordine ad noſtrum modũ concipiendi dumtaxat perfectum, & completum, idem argumentum fieri poteſt de alijs perſonis diuinis.

Sexta Concluſio. Perſonæ diuinæ præſupponuntur actibus notionalibus, ſcilicet productionibus, & hi actus præſupponuntur relationibus ad ſolum noſtrum modum concipiendi imperfectè, & incompletè abſtractione nimirum præciſiua, reipſa tamen, &

ſecun-

ſecundum modum perfectum,& completũ concipiẽdi, vti Deus, & Beati concipiunt,& clara viſione vident Deum,ſic vnum non prȩſupponitur,nec prȩſupponit alterum,itaque non prius eſt,nec prius concipitur à prædictis prima perſona Trinitatis,vt ſuppoſitum,& hypoſtaſis,& poſtea vt generans,& deindè,vt Pater,ſed primario conceptu concipitur, vt Pater ſimul, & vt generans,& vt ſuppoſitum,iſta concluſio patet ex dictis,quæ eſt quaſi corollarium ipſorum.

Argumenta contra tertiam concluſionem, quæ præcipuè intenditur in iſta quæſtione ad quattuor vias reducuntur à Scoto in illa diſ.26. Prima via comparando relationem ad relatum. Secunda comparando relationem ad originem,tertia ex propria ratione conſtitutiui,& quarta ex authoritatibus.

Ex prima via primo arguitur, relatione aliquid refertur formaliter,ſed in Patre diuino eſt relatio,ſcilicet paternitas,& diuina eſſentia,& ſuppoſitum,at relatio non refertur,nec eſſentia, vt patet, ergo ſuppoſitum Patris refertur, ſed omne relatiuũ eſt aliquid excepta relatione ſecundum Aug. de Trin. c.2. & in c.3. ait,ſi Pater non eſt aliquid ad ſe non eſt quod refertur, at verò illud eſt prius relatione, quia non poſterius nec ſimul natura cum ipſa, ſuppoſitum ergo Patris non conſtituitur per relationem.

Reſpondetur, duplicem eſſe relationem ſubſiſtentem,ſeù ſubſtantialem, & inhærentem, ſeù accidentalem, prima conſtituit ſuppoſitum in eſſe, & ſimul refert ipſum. Secunda præſupponit eum conſtitutum, & ſolummodò refert ipſum; ſed contra; ergo ſuppoſitum Patris non eſt quid aliud præter,relationem,quod eſt contra Auguſtinum loc. cit. Reſpondetur, eſt benè quid aliud in Patre præter relationem paternitatis, nimirum eſſentia diuina, ſed non eſt aliud, ſcilicet ſuppoſitum præter relationem,quia ipſum ex eſſentia,& relatione conſtituitur.

Sed contra,nam licet fundamentum ſub ratione relatiui referatur ad terminum,& ſic ly Pater,vt relatiuus ſit,ad Filium,refertur tamen ad terminum, ideſt ad Filium non vt relatiuum,ſed vt abſolutum,ergo ſaltem Filius,& ſecunda perſona Trinitatis non conſtituitur per relationem, nam prius natura Pater refertur ad Filium, vt terminum abſolutum, poſtea reſultat in Filio relatio filiationis,vt patet in creaturis, & ex Scoto de fundamento, & termino in 1. diſ.30. quæſt. vnic. Reſpondetur Patrem referri ad

Fi-

Filium dupliciter,vel vt ad terminum formalem, vel vt ad totalem,primo modo refertur ad ipſum, vt abſolutum, ideſt aliquod abſolutum eſt terminus formalis generationis diuinæ, nempè eſſentia diuina. Secundo modo refertur ad ipſum., vt relatiuum, ideſt vt conſtitutum in eſſe ex eſſentia,& relatione, ideſt generatione paſſiua.

Secundo ex eadem via arguitur, relatio realis præexigit extrema realiter diſtincta, & conſequenter iam conſtituta in eſſe; ſed relationes originis ſunt reales,igitur paternitas præſupponit primam perſonam iam diſtinctam realiter à Filio,& realiter cõſtitutam,maior eſt Philoſophi 5. met. in c. de eodem. Reſpondetur, quod triplex eſt relatio prima prærequirens extrema realiter diſtincta: ſecunda faciens illa ſic realiter diſtincta, & tertia nec requirens,nec faciens realiter, ſed tantum formaliter diſtincta,prima eſt quælibet relatio creata,ſecunda eſt relatio originis diuina, tertia eſt relatio motiui ſui ipſius, vel actiui actione immanente, vt intellectus producens intellectionem, & recipiens eam in ſeipſo,cum ſit actio immanens, & lapis mouens ſeipſum de ſurſum ad deorſum,idem enim lapis,vt mouens, & mobile eſt diſtinctum ex natura rei,& formaliter à ſeipſo,quia ex natura rei ſeipſum mouet,ſed ſic formaliter diſtinguitur à ſeipſo non realiter,relationes igitur originis diuinæ faciunt, & conſtituunt extrema realiter diſtincta,non autem præſupponunt.

Ex ſecunda via arguitur originans eſt prius originato,at Pater originat Filium,igitur eſt prior illo, ſed nullũ relatiuum eſt prius ſuo correlatiuo,ergo Pater non eſt relatiuus,ſecus nõ originaret Filium, ac per conſequens non conſtituitur relatione originis. Reſpondetur eo modo, quo correlatio duorum requirit ſimultatem,& prioritatem relatiuorum eſt talis ſimultas,& prioritas,& inde eſt quod relatio diuina cum ſit relatio originis requirit prioritatem originis, qua originans eſt prius originato, & ſimultatem naturæ,qua correlatiua ſunt ſimul; idem etiam dicendum eſt de relatione originis, & cauſalitatis in creaturis, nam cauſa eſt ſemper prior cauſato dumtaxat cauſalitate, & originans prius originato origine quamuis ſit ſimul natura.

Ex tertia via arguitur primo,quod non eſt per ſe,& primo incommunicabile non poteſt eſſe ratio conſtituens incommunicabile,at paternitas Patris non eſt per ſe, & primo incommunicabilis,

bilis,ergo,maior patet, minor probatur,ꝙ non eſt de ſe hoc non eſt incommunicabile,paternitas non eſt de ſe hæc, ergo, minor probatur, nam circumſcripta deitate a ratione formali paternitatis,cuius non eſt de ratione formali ſecundum Aug. 5. de Trin. c.2.& 4. vbi ait,non eo Pater,quo Deus, paternitas non eſt infinita,ergo non eſt de ſe hęc, antecedens patet, nam eſſentia diuina ex Damaſc. eſt pelagus infinitus, & tribuit infinitatem omnibus, quæ ſunt in diuinis, ſequela probatur, nam continens per identitatem aliquid quod eſt extra eius propriam,& primam rationem, ideſt continens hæcceitatem per identitatem eſt quodãmodo infinitum, ergo continens eam formaliter eſt ſimpliciter illimitatum,& infinitum, ſed paternitas non eſt ſimpliciter infinita,ergo non continet formaliter ſingularitatem, ac per conſequens non eſt de ſe hæc,& ſingularis.

Reſpondetur negando vtramque minorem primi, & ſecundi ſyllogiſmi, paternitas enim ſiuè circumſcripta, ſiuè non circumſcripta eſſentia diuina, ſed vt ſic formaliter conſiderata eſt de ſe hæc,& incommunicabilis, quia vt ſic pullulat à diuina eſſentia, non obſtante quod eſsentia non ſit de eius ratione formali, eſt tamen fundamentum à quo ipſa paternitas pullulat, & ſicut eſſentia diuina eſt purus actus nõ determinabilis per aliquid, quia eſt in vltima actualitate,eodem modo quicquid in ipſa eſt, & ab illa pullulat in vltima actualitate ſit id, quod poteſt habere ſecũdum ſuam rationem formalem, cum ergo paternitas ſit proprietas perſonalis poteſt habere ex ſua ratione formali hæcceitatem,& incommunicabilitatem,ſicut ſapiẽtia,iuſtitia, & quodlibet attributum, cum ſit proprietas eſsentialis poſtulat ex ſui ratione formali habere communicabilitatem, & ſic vtraque proprietas in vltima ſua actualitate pullulat ab eſſentia diuina, proprietas eſsentialis,vt communicabilis formaliter, & proprietas perſonalis,vt incommunicabilis formaliter.

Sed cõtra,paternitas hoc modo habet ſingularitatem incommunicabilem ab eſsentia diuina,igitur non à ſe, nec de ſe eſt hæc ſingularis,& incommunicabilis, & conſequenter non conſtituit incommunicabile formaliter. Reſpondetur paternitatem habere tale eſſe ab eſſentia diuina originaliter,& pullulatiuè,ex ſeipſa tamen,& in ſe eſt talis formaliter, vt ignis cauſatus ab alio igne habens caliditatem ab illo originaliter ex ſeipſo eſt formaliter cali-

calidus,& ratio talis eſſe diuerſi,nempè communicabilis,& incõmunicabilis originatiuè eſt ab eſſentia diuina, à qua pullulare poteſt vtrumque eſſe; formaliter tamen eſt à propria ratione proprietatum eſſentialium,& perſonalium,quoniam propria ratio proprietatis eſſentialis eſt eſſe communicabile,perſonalis autem proprietatis eſt eſſe incommunicabile.

Ex eadem via arguitur ſecundo; a paternitate,& filiatione,& proceſſione abſtrahitur hoc commune quod eſt relatio,igitur illa non ſunt vltima conſtitutiua, & diſtinctiua trium perſonarum diuinarum, antecedens patet, ſequela probatur,nam huius modi diſtinctiui non diſtinguuntur illo communi, quia in illo conueniunt,nec diſtinguuntur ſeipſis,quia iam non ſunt primo diuerſa, vt patet in antecedente, ergo diſtinguuntur per aliquod in quo differunt contra ens illud commune ad illa,& per illud diſtinguũt perſonas,ergo ſeipſis non diſtinguunt illas, & conſequenter nec ſeipſis conſtituunt. Reſpondetur primo diuerſa dupliciter ſumũtur in cõceptu,ſeù in formalitate,& in realitate,primo modo nõ ſunt primo diuerſæ relationes originis, ſcilicet paternitas,filiatio,& proceſſio,ſed conueniunt in iſto conceptu quod eſt relatio, cum hoc tamen non eſt neceſſe, vt ille conceptus determinetur ad illas per aliquam differentiam, quæ ſit ratio diſtinguendi perſonas conſtitutas per illas, ſicuti decem genera conueniunt in conceptu entis non contrahibilis ad illa per differentias, quæ faciunt illa decem diſtingui. Secundo modo relationes originis, ſunt primo diuerſæ, alioquin neceſſe eſſet diſtingui per alias differentias,& non ſeipſis,& eodem modo per illas differentias eſſet neceſſe diſtingui perſonas,& ſic relationes originis dicuntur per ſe conſtitutiuę,& diſtinctiuę perſonarum,quia ſunt primo diuerſę nempè in realitate, ſicut decem genera per ſe diſtincta ſunt,& primo diuerſa in realitate non contrahibili ad illa per differentias,at è contra animal per rationale,& irrationale contrahitur ad hominem,& equum,qui in illa realitate animalis conueniunt, & differunt per rationale,& irrationale,& non ſeipſis.

Tertiò ex eadem via arguitur;perſona in diuinis eſt prima ſubſtantia,& maximè per ſe ſubſiſtit, ſed relatio nõ poteſt cõſtituere aliquod per ſe ſubſiſtens, ſecus conſtitutum non eſſet ſubſtantia, ſed relatiuum,ergo perſonę diuinę non conſtituuntur per relationes. Reſpondetur,quod prima ſubſtantia in creaturis habet duo,

vlti-

vltimam vnitatem per quam eſt indiuiſibilis,& vltimam actualitatem per quam ſubſiſtit per ſe,iſta duo habet eſſentia diuina, & ex hoc prima ſubſtantia in diuinis, ſcilicet perſona eſt maximè ſubſtantia, & non conſtituitur in tali eſſe per relationem, ſed per deitatem, & vltra hoc prima ſubſtantia in creaturis habet eſſe incommunicabile, quod etiam habet perſona diuina, ſed à relatione hoc eſſe incommunicabile habet, & ideò perſonæ diuinæ conſtituuntur in tali eſſe perſonæ deitate, & relationibus originis.

Ex quarta via arguitur per auctoritates, nam Auguſtin. 7. de Trinit. inquit, omne relatiuum eſt aliquid excepta relatione, & in eod. lib. 7. cap. 8. ait, omnis res ad ſe ſubſiſtit, quanto magis Deus, ſed in hoc propoſito accipitur ſubſiſtere, quod competit perſonæ, ergo. Ad vtramque iſtam auctoritatem Auguſtini reſpondetur, ibi ſubſiſtere acceptum eſſe pro incommunicabiliter exiſtere, quod non eſt expreſſum propter inopiam vocabuli, non autem volebat oſtendere Auguſtinus, quod exiſtere incommunicabiliter ſit quid abſolutum,& ad primam auctoritatem expreſſius reſpondet, quod Pater eſt aliquid excepta relatione, ideſt habet aliquod abſolutum nempè eſſentiam diuinam præter relationem,non autem illud abſolutum eſt ſuppoſitum, quoniam ſuppoſitum conſtituitur ex eſſentia,& relatione.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum perſona ſecundum Quod dicit aliquod commune Patri, Filio, & Spiritui Sancto dicat præcisè aliquid ſecundæ intentionis.

RAtio dubitandi eſt, quia indiuiduum, & ſuppoſitum dicunt rem ſecundæ intentionis, igitur,& perſona diuina, probatur conſequentia, quia natura in definitione iſtorum ponitur, vt additum,ergo non variat rationem formalem illorum; ſecundo commune pluribus vniuocum diſtinctum, & plurificatum in eis dicitur de illis ſecundum aliquam rationem vniuerſalis, ſed

nam in diuinis,quamuis concipiat in confuſo, quia non Patris, nec Filij, nec Spiritus Sancti in particulari, non tamen concipit vt rem à ſe ſolo fictã; loquitur enim ibi Scotus, & ipſemet Suar. de perſona illa communi,non autem de particulari, à qua non licet inferre communem.

Secunda ſententia eſt, perſonam ſignificare quidem rationem realem poſitiuam exiſtentem in ſingulis perſonis,quas immediatè ſignificat,abſque eo quod ſignificat rationem communem tribus etiam communitate rationis.

Primò probatur hæc ſententia, nam ſi tres perſonalitates diuinæ conuenirent in vna communi perſonalitate ſequerentur duo inconuenientia, primum eſt ipſas perſonalitates proprias non fore vltimum conſtitutiuum perſonarum, quia ipſæ perſonalitates reſoluerentur in duos conceptus in vnum in quo conuenirent perſonalitates particulares, & in alterum in quo different, qui quidem conceptus eſſet vltimum conſtitutiuum perſonarum, & non ipſa perſonalitas,ex quò ſequitur ſecundum inconueniens, nimirum fore, vt ſit proceſſus in infinitum in illis conceptibus, nam illi conceptus, in quibus differunt perſonalitates poſſunt etiam cõcipi,vt particulares,& vt communes, & ſic particulares etiam reſolubiles in duos alios conceptus, qui etiam ſignificare poſſent particulare, & commune vſque in infinitum, vel ſiſtendum eſt in primo, ſcilicet quod perſona, & perſonalitas non ſignificat terminum communem,in quo particulares conueniant, & differant inter ſe, vnde neceſſariò ſequitur perſonam immediatè ſignificare ipſas particulares perſonas.

Secundò probatur,perſona,vt eſt communis tribus erit vniuocum quid,igitur vniuerſale,& ſic vel genus, vel ſpecies, vel aliud vniuerſalium, quæ omnia repugnant Deo, vt pátet ex ſupradictis,ergo.

Tertia ſententia eſt Doctoris noſtri in 1.diſ.23. perſonam,ſcilicet diuinam vniuocè dici de tribus perſonis diuinis, ac proindè non ſignificare immediatè ipſas perſonas, ſed communem conceptum obiectiuum, dumtaxat primæ intentionis, non ſecundæ intentionis, quam ſententiam ſequuti ſunt D. Thom.in prima p. quæſt.27. art.4.& quæſt. 29. art.4. Alenſis quæſt. 56. lib.4.art. 2. Bonau. in 1.diſ. 25. ar.2. quæſt.prima. Capreol. qu. prima art. 1. Marſilius q.28. art.2. q. 2. quamuis hi differant à Scoto in ratio-

ne illa perſonæ, quam poſitiuam admittunt de qua inferius.

Probatur hæc ſententia primo ex ratione, & definitione perſonæ tradita à Ricc. 4. de Trinit. cap. 22. quod ſit intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia, in qua quidem definitione nihil eſt, quod ſignificat intentionem ſecundam, quia ex natura rei ſine omni opere intellectus natura intellectualis, & entitas incommunicabilis eſt in tribus, & additur quod non ſolum iſtæ rationes, ſcilicet poſitiua, vt eſſentia, & exiſtentia, & negatiua, vt incommunicabilitas ſunt realiter in perſonis, ſed ipſæ in ſeipſis non ſunt quidem ab intellectu fictæ, etiam ipſamet negatio, igitur perſona, vt perſona non dicit ens ſecundæ intentionis. De entitate poſitiua nullus dubitat eſſe realem, de negatiua probatur, nam intentio ſecunda cauſatur per ſolum actum intellectus negotiantis circa obiectum, ergo quicquid præcedit talem actum, & negotiationem non eſt ſecundæ intentio, ſed negatio illa in qua formaliter conſiſtit ratio perſonæ, eſt huiuſmodi, ergo, probatur min. nam talis incommunicabilitas duplex, vt quo, & vt quod competit perſonæ, nullo intellectu conſiderante, igitur perſona quoad totale, ſuum eſſe, & poſitiuum, & negatiuum non dicit intentionem ſecundum. Rurſus idem probatur de omni negatione, nam res mouens intellectum mouet ſimul ad negationem ſui oppoſiti ante negotiationem intellectus, quia talis negatio conſequitur ex natura rei, vt homo eſt animal, & non eſt lapis, igitur negatio non eſt res ſecundæ intentionis, antecedens probatur ex Ariſt. 1. topic. c. 21. oppoſitorum eadem eſt ſcientia, idem ergo dicendum eſt de hac negatione communicabilitatis.

Secundò probatur prima pars concluſionis, perſona abſolutè enunciata non ſupponit pro perſona Patris, vel Filij, & dicitur de tribus perſonis, vt Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, igitur perſona in propoſito non dicit particulare, ſed quid commune, & ex probatis non dicit commune ſecundæ intentionis, ergo dicit cõmune primæ intentionis, quia aliud cõmune non inuenitur, & cõfirmatur, nam quando ex conſtitutiuis aliquorum poteſt abſtrahi aliquod cõmune primæ intentionis, magis poteſt à cõſtitutis per illã aliquod cõmune abſtrahi, ſed à conſtitutiuis perſonarũ poteſt abſtrahi commune primę intentionis, vt paternitas, quæ eſt conſtitutiuum Patris, eſt relatio, filiatio eſt relatio, & proceſſio eſt relatio, ergo magis à conſtitutis, ideſt à perſonis abſtrahi poteſt, vt Pa-

vt Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, ſed primum commune eſt vniuocum, ergo ſecundum erit etiam vniuocum, probatur antecedens, nam conceptus certus de vno, & dubius de pluribus eſt cõmunis, & vniuocus incluſus in illis quando. ſ. habetur certitudo nõ ſolum de voce, ſed de conceptu, ſed poteſt eſſe certitudo de communi relatione ad intra dubitando de qualibet relatione in ſpeciali, quæ certitudo non tantum eſt vocis, ſed etiam conceptus. Vt loquentes de relatione diuina originis non intelligentes de qua relatione in particulari loquantur, & loquentes etiam de perſona diuina non ſignantes aliquam in particulari, illa perſona de qua eſt ſermo eſt conceptus vniuocus, ergo communis, & incluſus in tribus perſonis diuinis.

Tertiò probatur ex auctoritate Auguſtin. de doctr. chriſtiana à Mag. in primo diſ. 25. allegat, & dicentis, res quibus fruendum eſt ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ergo tres perſonæ ſunt tres res, ſed res qua fruendum eſt non dicit ſecundam intentionem, & eſt quid commune tribus, ergo perſona non ſignificat ſecundam intentionem ex eo, quod ſit communis enumerata in multis, & magiſter exponit tres perſonas per tres ſubſiſtentes, ſubſiſtens autem non ſignificat ſecundam intentionem, ergo.

Ex prima ratione ſequitur, negationem incommunicabilitatis, in qua conſiſtit ratio formalis perſonæ, eſſe conceptum communem vniuocum tribus perſonis, ex tertia verò ratione, ſiuè perſona dicat poſitiuum, ſiuè negatiuum, ſequitur non poſſe negari etiam abſtrahi à tribus perſonis conceptum poſitiuum communem primæ intentionis, quem conceptum communem concedit Scotus, negat tamen illum eſſe quidditatiuum, quia illa ratio poſitiua eſt perſonalitas, ſeù proprietas perſonarum, quæ eſt vltimum conſtitutiuum à quibus proprietatibus perſonalibus diuinarum perſonarum non poteſt abſtrahi conceptus communis dictus in quid, quia ſic non eſſent vltimo conſtitutiuæ, ſed etiam eſſent conſtitutæ, vt patet, & vltra hoc etiam probatur quod non ſit conceptus communis quidditatiuus, quia quidditatiuum non numeratur, ſicut natura humana non dicitur tres humanitates in tribus hominibus communis illis, ſed in diuinis dicuntur tres perſonæ ſecundum Auguſ. 7. de Trin. c. 4. vbi ait, ſi tres perſonæ ſunt, commune eſt hoc quod eſt perſona, perſona igitur non eſt conceptus quidditatiuus, & ſubdit Scotus conceptum illum poſitiuum

ſic abſtractum eſſe quaſi proprium.

Sed contra hoc vltimum dictum Scoti arguitur, nam propriũ ſemper præſupponit quidditatem, igitur ſi iſte abſtrahitur a ratione formali perſonarum, etiam & ille quidditatiuus abſtrahi debet. Reſpondetur ideo Scotum dixiſſe quaſi proprium, & non propriè proprium, nam ab indiuiduis poteſt abſtrahi ratio indiuidualis, quæ prædicatur de hoc, & illo indiuiduo, vel de hac, & illa indiuiduitate, quæ cum non dicat quidditatem propter rationem iam dictam non habet rationem ſpeciei, ſed quaſi proprij communis, quod tantum denominatiuè dicitur de inferioribus, ſicut conceptus abſtractus ab vltimis differentijs eſt etiam denominatiuus, ideſt denominatiuè non quidditatiuè dictus de illis.

Hic notandum eſt Suares immeritò impugnare Scotum, cui tribuit diſ. 26. quæſt. prima §. 3. opinionẽ quod dixerit à proprietatibus perſonalibus non poſſe abſtrahi aliquod commune, à relationibus autem ſic, & multò magis errat putando Scotum ſenſiſſe, proprietates perſonales eſſe abſolutas, cum ſemper ibi, & alijs pluribus locis oppoſitum Scotus dixerit, nempè tales proprietates eſſe relatiuas, quinimò inquit perſonam in ſe abſolutè ſumptam non denotando perſonam Patris, aut Filij de ſe eſſe indifferentem ad abſolutum, & relatiuum, vt in ſeq. quæſt. magis explicabitur, & diſ. 23. §. contra iſtud ait Scotus, ab vltimis conſtitutiuis perſonarum diuinarum abſtrahi conceptum communem, quæ conſtitutiua dicit eſſe relationes, quas vocat paternitatem, filiationem, & proceſſionem. En quomodo Scotus non tantum ait proprietates perſonales, ideſt paternitatem, & filiationem eſſe formaliter relationes, quod eſt contra ſecundum, & malè opinatum Patris Suar. ſed etiam ait, quod ab illis abſtrahitur conceptus nempè relatio quod eſt contra primum opinatum eiuſdem, & iam viſum eſt quæſtione præcedenti de mente Scoti proprietates perſonales, & relationes originis non diſtingui, ſed eſſe idem ex natura rei, ſi ergo ab his abſtrahitur aliquod commune etiam ab illis.

Contra hanc ſententiam arguitur primo, oppoſitorum eadem eſt diſciplina ex Phyloſ. 1. topicor. ſed communicabile in diuinis dicit ſecundam intentionem, & relationem rationis, ergo & incommunicabile hoc idem dicit, minor probatur, nam eſſentia diuina eſt communicabilis Filio, & tamen illa communicabilitate

eſſen-

eſſentia non refertur realiter ad Filium. Reſpondetur,quod vnum oppoſitum poteſt eſſe relatio rationis , & alterum relatio realis , ſiuè priuatio , vel negatio realis illius relationis rationis , ſicut idem perfecta identitate dicit relationem rationis ad ſeipſum ex 5.met.& tamen diuerſum , quod negat hanc identitatem rationis conuenit rei ſine actu intellectus , quia quod non conuenit rei niſi ex opere intellectus poteſt in oppoſitum alteri repugnare ex natura rei , ſicut vniuerſalitas non competit homini niſi per actum intellectus, & tamen repugnat ſorti ex natura rei , ita ſimiliter, licet communicabilitas , in eſſentia diuina dicat relationem rationis,poteſt tamen repugnare perſonæ ex aliquo,quod eſt in re , & per illud idem poteſt incommunicabilitas ſibi competere , ita Scotus in 1.diſ.3.q.1.

Secundò arguitur nulla negatio ineſt alicui rei , niſi mediante affirmatione,ſed hæc negatio communicabilitatis ineſt communis tribus perſonis , igitur media aliqua affirmatione communi, ſed iſta affirmatio non eſt deitas, quia hæc non numeratur in tribus , ergo eſt aliquid aliud poſitiuum commune prius negatione , & conſequenter illud erit de ratione perſonæ in communi,& non negatio . Reſpondetur præterquam quod iam concedimus poſſe etiam abſtrahi commune poſitiuum quaſi proprium modo ſupra expoſito,non tamen neceſſariò ſequitur illud fore rationem , & fundamentum huius communis negationis,nec ſequitur illud poſitiuum dicere rationem formalem perſonæ , ſed aſſerimus illam negationem, ſcilicet incommunicabilitatem ſolam eſſe de per ſe rationem conſtitutiui perſonæ , ita quod perſonalitas ſit incommunicabilitas ſubſiſtẽtis in natura intellectuali, & addimus eamdem negationem communem in eſſe perſonæ dictæ de Patre, Filio , & Spiritui Sancto nullo medio communi poſitiuo , vnde ad maiorem huius rationis. Reſpondetur duplicem eſſe negationem altera conſequens affirmationem , altera oppoſita illi ; negatio vniuerſalis non eſt neceſſe vt conſequatur affirmationem eiuſdem rationis, ſcilicet vniuerſalem , ſed ſufficit aliqua affirmatio etiam particularis,& iſto modo intelligitur dictum Scoti in diſ.3. negatio tamen vniuerſalis requirit neceſſariò oppoſitam affirmationem vniuerſalem,quia negat in re eſſe omnem affirmationem ſibi imcõpoſſibilẽ, & ſic negatio lapidis in animali eſt eiuſdẽ rationis,quia opponitur affirmationi , ſcilicet lapidi vnius ratio-

nis,prima negatio præſupponit affirmationem in re eſſe,cui ipſa ineſt,vt negatio lapidis ineſt homini,in quo præſupponitur affirmatio,ſcilicet eſſe animal; ſecunda negatio non requirit affirmationem ſibi oppoſitam, quinimò deſtruit illam , vt non lapis deſtruit eſſe lapidem in homine, & iſtæ ſunt eiuſdem rationis , & de iſta loquitur hic Scotus,quod negatio ineſt ſine omni poſitiuo , & ſic poteſt eſſe negatio communis aliquibus , quamuis nihil commune poſitiuum habeat; non ſortes enim eſt commune vniuocum ad omnia alia à ſorte entia,& non entia.

Ad primum argumentum ſecundæ ſententiæ reſpondet Suar. quod vltima conſtituentia non conſtituuntur eodem genere conſtitutionis,quo conſtitutum , ſed alio genere , & ex alijs à conſtituto .

Sed inepta quidem eſt hæc reſponſio , quis enim negaret quod conſtituens non conſtituatur eodem genere conſtitutionis , quo conſtitutum,vt homo conſtituitur ex animali , & rationali , animal verò conſtituens hominem conſtituitur non ex ijſdem,ſed ex alijs,ideſt ex corpore,& anima, Suar. igitur non facit diſtinctionem inter vltimum conſtituens,& non vltimum,cum dicat etiam vltimum conſtituens conſtitui,dicendum eſt igitur vltimum conſtituens nullo modo conſtitui , & in hoc differre a non vltimo cõſtituente,alioquin eſſet proceſſus infinitus in conſtituentibus , & per hoc patet ad argumentum,quod perſonalitatis illæ , à quibus abſtrahitur conceptus communis perſonalitatis non ſint conſtitutæ,cum ſint vltimo conſtitutiuæ,& ille conceptus abſtractus ab illis eſt quidem communis , non tamen quidditatiuus , ſed proprius ſicut riſibilitas eſt communis , & propria omnibus hominibus.

Et ſi quis inquirat,quid ſit illud commune proprium ; Reſpondetur eſſe ſubſiſtentiam,vel ſubſiſtens,quod commune ſubſiſtens , non dicit quidditatem , & propter hoc primo ſignificat ſua inferiora,ideſt perſonalitates,& perſonas diuinas . Secundò connotat relationes originis. Tertiò ipſam eſſentiam diuinam , & hoc in opinione illa quæ tenet perſonam de formali dicere poſitiuũ , in alia verò ſententia,quæ tenet perſonam formaliter dicere negationem facilè reſpondetur,quod à tribus perſonalitatibus diuinis abſtrahitur conceptus communis negatiuus vniuocus, & proprius,non quidditatiuus , quia talis non conſtituitur ; nulla enim

nega-

negatio admittit ſui conſtitutionem.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, ſiuè perſona de formali dicat negatiuum, ſiuè poſitiuum, ſiuè vtrumque abſtrahi benè poſſe aliquid commune à tribus particularibus, non tamen inde ſequitur illas particulares perſonalitates, vt ſic, ideſt inquantum conueniunt in illo communi eſſe reſolubiles in duos conceptus, ex quibus conſtituantur particulares, nam primo modo cum negatio nullum conceptum proprium ſibi dicat diſtinctum a perſonalitatibus poſitiuis, quas primo ſignificat, & ab omni eo, quod connotat, nullum tamen conceptum quidditatiuum dicere poteſt, & ſecundo modo quamuis ſit communis conceptus poſitiuus non poteſt eſſe quidditatiuus, quia non habet rationem vniuerſalis, vt generis, vel ſpeciei, aut alterius cuiuslibet, quod requiritur ad hoc, vt conceptus particularis reſoluatur in duos, ex quibus conſtituatur, vt ex genere, & differentia, poteſt enim aliquod habere rationem communis, & non vniuerſalis, vt in ſequenti reſponſione patebit.

Ad tertium reſpondetur, quamuis conceptus ille ſiuè negatiuus, ſiuè poſitiuus ſit communis, non tamen eſt vniuerſalis, nam eſſentia diuina eſt communis tribus perſonis, & cum ſit ſingulariſſima non eſt vniuerſalis, eodem pacto ratio illa abſtracta a tribus perſonis, vel perſonalitatibus eſt communis, non vniuerſalis, ſiuè ſit poſitiua, ſiuè negatiua, cum vtraque fundetur in eſſentia diuina ſingulariſſima, & nullum vniuerſale fundari poteſt in ſingulari.

Ad rationes dubitandi in principio quæſtionis reſpondetur, ad primam, cum indiuiduum dicat maximam vnitatem inter omnes vnitates, & vnitas ſit paſſio entis ex 4. met. 3. ſequitur indiuiduum ipſum dicere vnitatem realem ex natura rei, & ſimiliter perſona dicit vnitatem realem in natura intellectuali, ſicuti indiuiduum, vt ſic in natura accidentali, & ſuppoſitum in natura ſubſtantiali, falſum eſt igitur indiuiduum, & ſuppoſitum dicere ens rationis. Ad ſecundam patet ex reſponſione ad tertiam rationem tertiæ opinionis.

In calce huius quæſtionis ſupereſt dubium, ſi perſona ipſa in dininis ſit vniuoca, an æquiuoca, & reſpondetur, ipſam eſſe vniuocam, nam æquiuocum non numeratur in æquiuocatis, nõ enim dicimus piſcis, & ſydus cæleſte ſunt duo canes, quia numeratio ali-

alicuius in aliquo facit vniuocationem vnius in illis, ſed nomen perſonæ in diuinis numeratur in tribus, quia dicimus tres ſunt perſonæ diuinæ, igitur perſona in diuinis eſt vniuoca.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum perſona in Diuinis dicat, & ſignificet pro formali ſubſtantiam, ideſt abſolutum, an relatiuum.

SIne controuerſia dicendum eſt, quod perſona in diuinis ſiuè dicat poſitiuum, ſiuè negatiuum de ſui prima ratione non ſignificat ſubſtantiam, nec relationem, itaque perſona eſt commune indifferens ad abſolutum, & relatiuum, & primò connotat ſicut ſuum inferius illud, de quo formaliter dicitur, ideſt Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, quia Pater eſt perſona, Filius eſt perſona, & ſecundò connotat formalia diſtinctiua in eis, ideſt relationes, per has enim Patri conuenit ipſa negatio communis, vel poſitiuum commune, & Filio, & Spiritui Sancto, & tertiò cõnotat eſſentiam diuinam, quamuis ipſa ſit in primo connotato, ſed non eſt in ea ratio perſonæ.

Primò probatur aſſumptum ex Scot. diſ. 25. nam perſona primò non ſignificat relationem propriam, quia nomen perſonæ eſt commune ſecundum Aug. 7. de Trin. cap. 7. Si tres perſonæ ſunt, commune eſt hoc, quod eſt perſona, ſecundò non ſignificat relationem communem, quia ſic Pater diceretur perſona Filij, quod eſt falſum, & contra Aug. 7. de Trin. cap. 5. vbi ait Pater non eſt perſona Filij, nec è conuersò, igitur, & antecedens eſt falſum, conſequentia probatur, quando inferius refertur ad aliud, & ſuum ſuperius refertur ad illudmet, licet non primo, ſed per ſe, ſicut duplum per ſe primò refertur ad dimidium, & multiplex quod eſt ſuperius ad duplum refertur ad dimidium per ſe, ſed non primò, ideſt non adęquatè, & conuertibiliter, ſed Pater refertur ad Filium, igitur perſona Patris, quæ eſt ſuperius ad Patrem (nam dicimus Pater eſt perſona, & non dicimus perſona eſt Pater, ſicut homo eſt animal, & non dicitur animal eſt homo) refertur ad Filium, ergo ſicut dicimus Pater eſt Filij Pater, ita diceremus Pater eſt Filij perſona, quod eſt falſum, & contra Auguſ. vbi ſupra; perſona ergo non ſignificat relationem communem, nec tertiò ſigni-

ſignificat ſubſtantiam ſecundam, quia hæc non numeratur in ſuis inferioribus, cum ſit ſpecies ad illa, non enim dicimus Franciſcus, & Petrus ſunt duo homines in ſpecie, ſed vnus homo in ſpecie, ſed benè dicimus in diuinis Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres perſonę, ergo, nec denique quartò ſignificat ſubſtantiam primam, quia hæc non numeratur in pluribus, vt patet, ſed perſona in diuinis numeratur in tribus, ergo.

Secundò probatur de perſona quoad ſuum ſignificatum negatiuum, ſi enim perſona dicit negationem in genere, & eſt duplicis Incommunicabilitatis diſtinctam à negatione extra genus, quæ non præſupponit ſubiectum, & diſtinctam etiam à priuatione, quæ licet præſupponat ſubiectum, dicit tamen aptitudinem in ſubiecto; at incommunicabilitas præſupponit ſubiectum ad differentiam negationis extra genus, & non dicit aptitudinem in ſubiecto ad differentiam priuationis, perſona enim ita eſt incommunicabilis, vt nec dicat aptitudinem ad communicari; hæc igitur negatio incommunicabilitatis non dicit poſitiuum cuiuſmodi eſt omnis ſubſtantia, & omnis relatio, igitur non ſignificat ſubſtantiam, nec relationem, quamuis connotet, vtrumque vt ſupra vidimus.

Tertiò probatur de perſona quoad ſignificatum poſitiuum in illa ſententia, quæ aſſerit perſonam dicere poſitiuum, nam illud commune quod abſtrahitur poſitiuum à Patre, Filio, & Spir. Sancto eſt indifferens ad abſolutum, & relatiuum, quia illud erit ſubſiſtens, vel ſubſiſtentia, ſed ſubſiſtentia poteſt eſſe tùm abſoluta, tùm relatiua, quia non magis ſibi determinat vnum, quam alterum, ergo.

Sed contra ſupradicta arguitur in quæſtione facta per quid inquiritur quidditas rei, ideſt ſubſtantia, & natura communis, ſed Auguſtinus 7. de Trin. c. 4. ad quæſtionem factam quid tres? reſpondet quod tres perſonæ, igitur perſona pro formali ſignificat quidditatem, & ſubſtantiam ſecundam. Reſpondetur, quid quandoque quidditatem rei ſignificare ex 1. topic. vbi dicitur definitio eſt oratio ſignificans quid eſſe rei, aliquando verò ſignificat quid cui competit, vel de quo prædicatur ipſum quid ex 10. meth. vbi dicitur, totaliter inquirendum quid vnum; quem ad modum quid tres tamquam ratio ſufficiens, & hoc ipſum ipſius natura, vt v. g. quando inquiremus quid vnum, vel quid duo tenes in

in manu, vel abſolutè quid tenes in manu? Reſpondetur quod vnam nucem, vel duas nuces, vel abſolutè nuces in manu teneo; ſic enim ipſi inquirebant quid tres in diuinis? & reſpondet Auguſtinus, quod tres perſonæ, quia non inquirebant quidditatem, ſed id cui competit ly tres.

Secundò arguitur: non eſt aliud Deum eſſe, & perſonam eſſe ſecundum Aug. 7. de Trinit. cap. 5. ſed Deus dicit abſolutum, & ſubſtantiale, ſiuè ſubſtantiam, ſimiliter ergo, & perſona. Reſpondetur, quod Auguſtinus intellexit non eſſe aliud Deum eſſe, & perſonam eſſe nimirum realiter, quia ſic realiter ſunt idem, non autē intellexit formaliter, quia formaliter diſtinguuntur, & propterea in diuinis Deus poteſt dicere abſolutum, & eſſentiale, non autem perſona, alioquin perſona eſſet abſoluta, & eſſentialis contra multa quæ in ſuperioribus dicta ſunt.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum in Diuinis ſit propriè numerus, cum ibi dicatur eſſe tres perſonas, & quibus modis explicanda ſit diſtinctio perſonarum.

PRo prima parte quæſtionis aduertendum eſt, quod numerus triplex eſt in re, & in intellectu. Primus dupliciter ſumitur, vel enim numerus eſt forma quædam ſiuè vnitas formalis diſtincta à numeris materialibus, vt forma eſt diſtincta à materia reſultans ex illis, vt v.g. ternarius eſt quædam vnitas formalis, & ſpecifica reſultans ex tribus vnitatibus materialibus, & dicitur vnitas ſpecifica, quia per illas diſtinguitur ſpecificè ternarius à quaternario, quinario, & alijs numeris, vel numerus eſt aggregatio quædam pluriū vnitatū, quæ vnitates ſunt modi rerum eſſentialiter, & realiter diſtinctarum, & ita ternarius ſolum, & immediatè dicit tria aggregata, tertius numerus eſt in intellectu, vt quando intellectus concipit plura vna, aut plures vnitates.

Secundò notandum eſt de ratione numeri tria eſſe, primum eſt quod vnitates, quæ ſunt partes numeri ſint vnius rationis, & non tantum vnius conceptus, & ſingularia etiam eiuſdem numeri ſint vnius rationis; propter hoc Deus non numeratur cum creaturis, quia vnitas exiſtens in Deo non eſt eiuſdem rationis cum vnitate creaturarum; quia illa eſt infinita, hæc finita; alioquin Deus eſſet

compoſitus. Secundum eſt, quod illa vna ſint diſtincta; ita, quod ſic vnum non includat ſic vnum, propter hoc vnitas naturæ non numeratur cum vnitate ſuppoſiti, non enim natura, & ſuppoſitum eius dicuntur duo, ſed vnum, quia natura includitur in ſuppoſito. Tertium eſt quod vnitates, & partes numeri habeant potentialitatem partis ad totum; his ita poſitis aliquibus propoſitionibus reſoluitur præſens quæſtio.

Prima propoſitio. In diuinis non eſt numerus in re primò modo; probatur, nam in tali numero concurrunt numeri materiales, vt partes, & potentiales, ſed in diuinis nulla eſt pars, nec potentia, vbi omnia ſunt infinita, vel formaliter, vel realiter, ſiuè identicè, & in infinito non poteſt cadere pars, vel potentia, alias compoſitum ex illis eſſet maius infinito, quod eſt impoſſibile, ergo.

Secunda propoſitio. In diuinis non eſt numerus in re ſecundò modo, probatur; cum enim aggregata ſint ſimpliciter, & omnimodè diuerſa, imò ſint minus vnum quam vnum per accidens, & quæ ſunt in diuinis ſint verè, & realiter idem, ſequitur ibi nullam eſſe aggregationem, rei ad rem. Rurſus cum aggregata requirant diſtinctionem naturæ ſaltem ſingularis, & in diuinis nulla ſit diſtinctio naturæ, igitur nulla eſt ibi aggregatio.

Tertia propoſitio. In diuinis eſt numerus in re non propriè, & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ideſt cum hac determinatione, ſcilicet trium perſonarum abſtrahendo ab illis id quod dicit imperfectionem in numero primò modo, qui eſt ſecundum formam, ideſt potentialitatem, & in numero ſecundò modo, qui eſt per aggregationem, ideſt diuerſitatem, remanet id, quod poteſt aliquo modo facere numerum, ideſt diſtinctio realis perſonarum diuinarum, quæ quidem diſtinctio benè poteſt, eſſe ſine potentialitate, ſine diuerſitate, & ſine aggregatione quæ quamdam imperfectionem admittunt in vnitate.

Quarta propoſitio. In diuinis eſt propriè numerus in intellectu ſimul concipiente plura vna, vel plures vnitates, ideſt plures perſonas, poteſt enim concipere vnam perſonam ſine alijs, vel duas ſine alia, vel omnes tres ſimul, quod eſt contra Thomiſtas, & ſic Trinitas erit vnus conceptus totalis trium perſonarum, & ſic quælibet perſona, vt concepta ab intellectu erit quaſi pars non integralis, non eſſentialis, non conſtitutiua, ſed ſubiectiua illius totius, non quidem in re, ſed ſolum in intellectu.

Quan-

Quantum ad ſecundam partem quæſtionis propoſuimus iam quaſdam regulas ad denotandum vnitatem,& identitatem trium diuinarum perſonarum ſupra q. 3. ſect. prima huius diſput.nunc ad propoſitum eſt ordinare alias regulas ad earum diſtinctionem ſignificandam.

Notandum eſt prius voces ſignificantes diſtinctionem in triplici ordine conſtitui poſſe,in primo ordine ſunt verba,& nomina ſignificantia differentiam rerum. In ſecundo ordine ſunt relatiua diuerſitatis,vt alius,& alter, & in tertiò ſunt termini numerales,& de ſingulis nobis loquendum eſt.

Primò de verbis, & nominibus ſignificantibus differentiam, primò de hoc verbo realiter diſtingui abſolutè, & ſine addito, & ſine ſuſpicione erroris proferre licet perſonas diuinas diſtingui, & eſſe diſtinctas realiter.

Secundò de hoc verbo differre non ita concedit Diuus Thom. nam ſecundum Hylar. 4. de Trin. ea propriè differre dicuntur, quæ habent formam diſtinctam, at perſonæ diuinæ non habent formam diſtinctam, quæ eſt eſſentia diuina, ergo, poteſt tamen reduci ad bonum ſenſum, non enim differentia ſemper ſignificat diſtinctionem formæ eſſentialis, ſed aliquando ſignificat diſtinctionem formæ perſonalis, cuius modi ſunt proprietates perſonales,quibus differunt perſonæ diuinæ,vnde quamuis poſſit enunciari, perſonas diuinas differre, ſecurius tamen fit cum illo addito,duntaxat proprietatibus perſonalibus, vel relationibus originis.

Tertiò de hoc nomine diuiſum, & diuerſum multo magis vitandum eſſe cenſet Diuus Thomas in perſonis diuinis; quid amplius enim diuerſum, & diuiſum ſignificare videtur, quàm differentia, & diſtinctio; nam videtur ſignificare varietatem diuiſionem,& diuerſitatem naturæ,cum qua ſententia conuenire videntur Hylar.4.de Tri.& Aug.7.de Trin.cap.vlt. & Fulgen.lib.3. ad Traſimundum, & alij PP. poſſunt tamen iſta nomina ſignificare diſcretionem ſolum perſonarum; ita enim perſonas diuinas vocat diſcretas Conc. Later.in c.fir.& de ſum.Trin.& fid.Catho. & Conc. Tolet.primum, & ſecundum, & Ricc. de Sancto Victore 4. de Trin. cap.15.

Quartò de hoc nomine ſeparatum,multi dicunt cum D.Thom. vitandum eſſe,nam licet perſonæ diuinæ diſtinguantur, non tamen

men ſeparantur; poteſt tamen ſolam diſtinctionem ſignificare, & ideò Lactantius lib.4. diuinar inſtitut. c.4. vnam perſonam ſecerni ab alia inquit.

Secundò de relatiuis identitatis tres regulæ ſunt. Prima; vna perſona diuina poteſt dici alia ab alia maſculinè, vt Pater alius à Filio, ſicut Ioannes 14. inquit, & alium paraclitum dabit vobis.

Secunda regula; vna perſona non poteſt dici aliud ab alia in neutro, vt Pater aliud a Filio, ita Conc. Tolet. allegat; & Epheſin. tom. 2. c.4. & Aug. lib. 11. de Trin. c. 11. & Damaſce. lib. 3. c. 35. & ratio eſt, quia alius maſculinè refert perſona, & aliud neutrè refert naturam. Cum igitur in diuinis ſit vna natura, & plures perſonæ benè dici poteſt vna perſona alia ab alia non aliud ab illa.

Tertia regula eſt, quod prædictæ regulæ intelligendæ ſunt, quando abſolutè ſit enunciatio, ſi autem aliquid addatur iuxta exigentiam additè iudicandum eſt, quoniam ſi diceremus Pater eſt alius Deus à Filio eſt falſa, & hæretica propoſitio iuxta Sixtũ Papam, & Sofron. in 6. Synod. act. 11. ſi autem diceremus Pater eſt aliud ſuppoſitum à Filio, vera eſt propoſitio, & idem prorſus loquendum eſt de hoc relatiuo alter, & alterum.

Tertiò de terminis numeralibus diſtinguendum eſt; quidem enim diuiſim ſignificant, vt duo, vel tres, alij ſunt collectiui, vt trinitas, & trinus; priores abſolutè, & in numero competenti verè dicuntur de perſonis diuinis, vt Hylar. 3. de Trin. Patrem, & Filium duos ſimpliciter appellat, idem facit Anſelm. in Monolog. c.40. & 41. dummodò tamen hi termini numerales maſculinè, & non neutrè ſumantur; falſum eſt enim dicere, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tria propter rationem dictam de neutro, quod ſignificat naturam; ſi verò aliquid addatur termino numerali erat vera, vel falſa propoſitio iuxta exigentiam additi, vt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt plures, vel tres abſolutè, & ſi addatur, ſunt plures Dij, vel tres Dij, eſt falſa, & hæretica propoſitio, ſi verò addatur, ſunt plures, vel tres perſonæ, ſiuè relationes, vera, & Catholica eſt, poſteriores verò termini collectiui, vel trinitas, vel trinus abſolutè verè de Deo dicuntur.

Sed contra arguit Diuus Thom. ſi Deus dicitur trinus, ergo poteſt dici triplex, quia etiam numerus ternarius per illud ſignificatum, & ſimiliter dicetur multiplex. Reſpondetur negando ſequelam,

lam,nam trinus numerat tantum perſonas,& de formali ſignificat diſtinctionem illarum. Triplex autem,& multiplex numerat illud, cui additur iuxta formale ſignificatum eius, ſi ergo diceremus Deus eſt multiplex, ſignificaremus deitatem multiplicari in diuinis,poteſt tamen ſecundum rationem communem perſonæ, aut relationis illa vox vſurpari,& ita D.Thom.q.10.de potentia c.4.duplicem eſſe inquit proceſſionem in diuinis, & ſimiliter dici poteſt duplicem eſſe perſonam procedentem,& etiam triplicem relationem, quia per ipſum non ſignificatur niſi multiplicatio in illo termino communi quæ verè in diuinis inuenitur.

SECTIO IV.

DE RELATIONIBVS ORIGINIS Et modis earum.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Relationes perſonales diſtinguantur à perſonis conſtitutis per ipſas.

Breuiter D. ſubtilis in præſenti quæſtione, quam proponit diſ.33.ſe remittit illis,quæ dixerat diſ.26.contra Præpoſitiuum nempè per aliquid aliud, & non ſeipſis diſtingui perſonas diuinas,alioquin eſſent primo diuerſæ,quod eſt falſum,cum conueniant in vnica immò ſingulari eſſentia,ſicut ergo perſonę diuinæ diſtinguuntur, ita diſtinguuntur per relationes ab ipſis diſtinctas,per quas inter ſe diſtinguuntur; ſecus vel perſonæ diuinæ non diſtinguerentur inter ſe, ſi relationes ab illis non diſtinguerentur,quod eſt falſum,vel eſſent primò diuerſæ, & ſeipſis diſtinguerentur, ſi relationes eſſent omninò eædem illis, & ita inciditur in prædictam falſitatem, quod eſſent primò diuerſæ, & non conuenirent in eſſentia, dicendum eſt ergo relationes perſonales verè,& à parte rei diſtingui à perſonis conſtitutis per ipſas.

Dicerent aduerſarij Thomiſtæ, quod diſtinctio rationis relationum

tionum à perſonis, vel ſaltem diſtinctio à parte rei non actualis, ſed fundamentalis ſufficit ad hoc, vt perſonæ diuinæ dicantur inter ſe diſtingui, non ſeipſis, ſed aliquo ſui, ita tenet Ferr. 4. cont. gent. cap. 26. & Torres in 1. quæſt. 40. artic. 1. & Suar. libr. 5. de trin. cap. 3.

Sed contra hoc arguitur, nam perſonæ diuinæ actualiter reipſa inter ſe diſtinguuntur, igitur per aliquod actualiter re ipſa ab illis diſtinctum, inter ſe diſtinguuntur, alioquin non poſſet dici, neque concipi, niſi quod perſonæ diuinæ ſeipſis diſtinguantur, ſi non diſtinguerentur per aliquid aliud reipſa actualiter ab illis diſtinctum, quamuis minori diſtinctione, quam illa, quæ prouenit per illud diſtinctiuum in ipſis perſonis.

Pro nũc ſufficit probare, quod ſit diſtinctio à parte rei, & actualis inter illud diſtinctiuum, & perſonas diſtinctas per illud, quamuis non ſit diſtinctio realis, qualis eſt in perſonis diuinis.

Secundò dicendum eſt, quod relationes originis ſunt idem formaliter cum perſonis diuinis, vt paternitas cum Patre, & filiatio cum Filio, quamuis oppoſitum videatur innuere Scotus in illa diſ. 33. ſed ibi non loquitur de diſtinctione poſitiua formali, ſed de non identitate formali inter paternitatem, & Patrem; maiori enim diſtinctione diſtinguitur perſona ab eſſentia, & relatio ab eſſentia, quam relatio à perſona cuius eſt, nam illa vocatur diſtinctio formalis, iſta non identitas formalis, ſeu potius diſtinctio ex natura rei cum identitate formali, vt dictum eſt. Ratio huius diuerſitatis eſt auctoritas D. Auguſtini excludentis prædicationem formalem eſſentiæ diuinæ de perſonis, ac per conſequens includentis, & admittentis identitatem formalem proprietatis perſonalis, cum perſona conſtituta per ipſam; antecedens probatur ex ipſo Auguſtino 7. de Trinit. vbi ait, quod ad aliud dicitur non eſt eſſentia, ſed Pater ad aliud dicitur, ergo Pater non eſt eſſentia, ergo eſſentia non prædicatur de Patre, ſupplè formaliter, nam identicè, & realiter vera eſt prædicatio eſſentiæ de Patre, vt Pater eſt eſſentia, eſt identica prædicatio non formalis, propter infinitatem formalem eſſentiæ, ex qua prouenit identitas realis Patris cum eſſentia, & conſequenter Pater diſtinguitur formaliter ab eſſentia, nam quæ non prædicantur formaliter in primo modo ſunt formaliter diſtincta, ſed nulla auctoritas eſt admittens diſtinctionem formalem inter perſonam, & pro-

Digitized by Google

prietatem perſonam conſtituentem , quimmo ratio oppoſitam ſuadet, nam hæc eſt vera prædicatio Pater eſt paternitas , Filius eſt filiatio, & non eſt identica , quia prouenit hæc ex infinitate formali in vtroque , vel ſaltem in vno extremorum prædicationis, qualis in neutro horum extremorum, ideſt Patris , & paternitatis inuenitur ; veritas igitur huius propoſitionis Pater eſt paternitas , non poteſt prouenire ex aliquo interueniente , ſicut eſt infinitas formalis in prædicatione identica , ſed eſt vera per ipſoſmet terminos ſeipſis identificatos, ac per conſequens eſt prædicatio formalis . Rurſus non eſt formalis denominatiua, aut in ſecundo modo, ſed in primo modo, tum quia paternitas non eſt tamquam proprietas Patris, ſed eſt forma eſſentialiter conſtituens Patrem in eſſe Patris , tum quia licet perſona , vt eſt communis ad tres perſonas diuinas ſit indifferens ad abſolutum , & relatiuum , vt Diſput. præcedent. quæſt. quinta diximus, perſona tamen talis ſignata, nempè Patris pro formali ſignificat ipſam paternitatem, & filius ipſam filiationem , & conſequenter formalis eſt prædicatio vnius de altero, quando dicimus Pater eſt paternitas, vel è conuersò, ac per conſequens ſunt idem formaliter.

Et ſi difficilè vobis videtur hoc dicere in ſententia Scoti , qui expreſsè inquit in prædicta diſ. 33. quod proprietas non eſt eadem formaliter cum perſona ſaltem non inferatis , ergo ſunt diſtincta formaliter, propter rationes dictas , tum quia vna prædicatur de altera formaliter in primo modo , & non identicè, tum quia magis videtur differre paternitas , & Pater ab eſſentia diuina, quam Pater à paternitate, & è conuerſo, ſi ergo ibi eſt diſtinctio formalis, hic ad plus eſt non identitas formalis , ſed magis mihi quadrat , quod ſint idem formaliter , & diſtinctæ ſolum ex natura rei .

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Relatio ſpirationis actiua ſit realis, & Vtrum realiter diſtinguatur à Relationibus perſonalibus.

TAmetſi parum controuerſiæ ſit circa primam partem quæſtionis inter DD. Scholaſticos, & Concil. Lugdunenſ. ſub Gregor. X. & cap. de ſumm. trin. & Florentinum ſeſſ. 14. dicant, Patrem, & Filium vna, & vera ſpiratione producere Spiritum Sanctum, eſt tamen ratio dubitandi, quia Concilia loquuntur de ſpiratione quatenus origo eſt, & actus notionalis, qui quamuis ſit realis, poteſt tamen eius reſultans relatio eſſe rationis relatio, ſicuti eſt de creatione, quæ quamuis ſit realis etiam in Deo, relatio tamen ipſius creationis Dei ad creaturam eſt rationis, idem dici poteſt de ſpiratione actiua in diuinis, quę cum ſit realis eſt eius relatio Patris, & Filij ad Spiritum Sanctum rationis, pręcipuè cum D. Auguſt. 5. de Trinit. ca. 14. exemplo creationis declaret hanc originem ſpirationis in Patre, & Filio.

Et augetur difficultas ex Conc. Tolet. 11. quod ait, in relatiuis nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, & Spir. Sanct. ad Patrem, & Filium refertur, & inferius ſubdit Pater non eſt ad ſe, ſed ad Filium, Filius non eſt ad ſe, ſed ad Patrem, & Spiritus Sanctus non eſt ad ſe, ſed ad Patrem, & Filium refertur, in quibus duobus locis Concilij nulla relatio inuenitur expreſſa Patris, & Filij ad Spiritum Sanctum, licet ipſa ſpiratio ſit realis, ſicut quãuis creatio actiua realis ſit, eius tamen relatio Dei ad creaturam non realis, ſed rationis eſt.

Oppoſita tamen ſententia eſt communis, & vera, quod relatio ſpirationis actiuæ ſit realis, primo quia ſupra qu. 3. præced. diſp. iam probatum eſt, ipſas origines reipſa non diſtingui à ratione relationum, ſed eſſe vnam entitatem, & rationem formalem, quamuis per noſtrum intellectum multi conceptus circa ipſas cõcipi poſſint; ſpiratio igitur actiua, etiam & quatenus origo eſt, formaliter eſt relatio, & conſequenter cum ipſa origo ſpirationis

ſit realis,etiam relatio ſpirationis actiuæ realis erit.

Secundò in relatione ſpirationis actiuæ concurrunt omnia neceſſaria ad reſpectum realem, igitur eſt relatio realis, antecedens probatur, nam eſt relatio ad terminum realem, & realiter diſtinctum, & eius fundamentum, ſiuè ratio fundandi eſt realis, ideſt ipſa origo realis in eadem natura, & pertinet ad perfectionem Spiritu S. quod Pater, & Filius referantur realiter ad ipſum, ſicut ipſe realiter refertur ad illos, etenim diuerſa ratio eſt de creatore, & creatura, qua perfectior eſt Deus, & à qua in nullo dependet Deus etiam in eſſe relatiuo, & nihil recipiens propter eius creationem rationem; ex quibus omnibus prouenit omnem relationem Dei ad creaturam eſſe rationis, & nullo modo realē, ſed tres perſonæ diuinæ ſunt æqualis,& eiuſdem perfectionis, & Auguſtinus comparans ſpiratorem ad creatorem ſolum ponit ſimilitudinem in vnitate principij,non in modo relationis,& per hoc dictum Auguſtini ſic expoſitum ſatisfit rationi dubitandi.

Ad authoritates Conc. Tôletan. reſpondetur ibi eſſe ſermonem de relationibus conſtituentibus, & diſtinguentibus perſonas diuinas in eſſe perſonali, de quarum numero non eſt ſpiratio actiua, nam ipſa non conſtituit, nec diſtinguit in eſſe perſonali Patrem, & Filium à Spiritu Sancto, ſed tantum in eſſe ſpiratoris præſupponens perſonas conſtitutas; qua propter Concilium non numerat inter relationes ſpirationem actiuam, ſpiratio autem paſſiua conſtituit, & ſimul diſtinguit in eſſe perſonali Spiritum Sanctum a Patre,& Filio,& propterea numeratur cum alijs duabus; vndè non ſequitur relationem ſpirationis actiuæ non fore realem,quãuis non conſtituat perſonas.

Maior difficultas eſt circa ſecundam partem quæſtionis,ſi illa relatio ſpirationis actiuæ realiter diſtinguatur ab alijs, an ſola diſtinctione rationis.

Prius notandum eſt,non eſſe ſermonem de ſpiratione actiua in reſpectu ad ſpirationem paſſiuam, à qua ſine controuerſia diſtingui realiter manifeſtum eſt, cum ſint relationes oppoſitæ,ac per conſequens realiter diſtinguantur, cum oppoſitio relatiua ſit fundamētũ omnis diſtinctionis realis in diuinis,quamuis Caiet. nouũ figmentũ inuenerit,nimirũ,quod Pater, & Filius referãtur ad Sp. Sanctũ relatione ſpirationis nõ in exiſtēte in illis,ſed in ſolo Spir. Sancto,itaq; inquit, quod vna ſit relatio realis ſpirationis actiuæ

Patris,

Patris, & Filij ad Spiritum Sanctum, & hæc in Spiritu Sancto quem conſtituit; ex quo ſequitur nullam diſtinctionem interuenire in Patre, & Filio inter ſpirationem actiuam ipſorum, & relationes originis eorumdem, & dat exemplum de creatione, qua Deus non refertur ad creaturam realiter, quatenus in ipſo eſt, nec refertur ratione, quia realiter producit, & creat creaturam, ſed refertur realiter propter relationem realem in ipſa creatura exiſtentem, ita Pater, & Filius referuntur ad Spiritum Sanctum relatione reali ſpirationis non exiſtentis in ipſis, ſed in Spiritu Sancto.

Sed præterquam quod hæc eſt noua inuentio, & ſingularis; hæc etiam doctrina ad ſummum habere locum in relatiuis non mutuis, vel quando vnum extremum eſt incapax realis relationis extrinſecę, quę duo non inueniuntur in hoc myſterio, nam relatio ſpirationis in diuinis eſt mutua ſpirantis ad ſpiratum, & huius ad illum, & capax eſt Pater, & Filius huius modi relationis, quia vel ipſa dicit perfectionem formaliter ſecundum Thomiſtas, vel nullam imperfectionem dicit ſecundum Scotiſtas, inquiritur ergo, vtrum relatio ſpirationis actiuæ diſtinguatur à generatione actiua, & paſſiua realiter, an tantum ratione, an verò ex natura rei, & formaliter.

Prima ſententia eſt Duran. in 1. diſ. 13. q. 2. aſſerentis, ſpirationem actiuam eſſe realiter diſtinctam à paternitate, & filiatione, cuius fundamentum eſt, nam vna relatio non poteſt eſſe ad duos terminos productos, & realiter diſtinctos, & ſic ſpiratio in Patre, & paternitas, quia illa ad Spiritum Sanctum, iſta ad Filium terminatur ſunt duæ relationes diſtinctæ realiter, & eadem imò maior ratio eſt de ſpiratione actiua, & filiatione in Filio, quia vna relatio non poteſt eſſe ad duos terminos, quorum vnus ſit producens, alter productus, ſed filiatio eſt ad terminum producentem, ideſt ad Patrem, & ſpiratio actiua eſt ad terminum productum, ſcilicet Spiritum Sanctum, igitur hæ duæ relationes ſunt realiter diſtinctæ, ac per conſequens ſpiratio actiua realiter diſtincta eſt ab vtraque.

Hæc ſententia falſa eſt, & error in fide, quia eſt contra definitionem Concilij Lateranen. in cap. damnamus; nam ex illa ſequeretur quaternitas in diuinis, & illud, quod reſpondet Durandus, ideſt Concilium damnare aſſerentes quaternitatem perſonarum

in diuinis, non quaternitatem quarumcumque aliarum rerum, verè falſum eſt, nam ibi Concilium abſolutè loquitur, & ſine reſtrictione excludendo quaternitatem in diuinis, inſuper probatur eſſentia, quę cum non ſit perſona, vt præciſa à relationibus originis, non facit quaternitatem cum tribus relationibus, & perſonis, igitur nec ſpiratio actiua facere poteſt quaternitatem cum alijs tribus relationibus, ac per conſequens nõ dicuntur quatuor, alioquin dicerentur quatuor res ſi realiter diſtinguerentur, probatur etiam ratione, nam in diuinis nulla eſt diſtinctio realis, vbi non cadit oppoſitio, ſed inter ſpirationem actiuam ex vna parte, & paternitatem, & filiationem ex altera parte, non eſt oppoſitio, ſed ſola diſparatio, igitur inter illas non eſt diſtinctio realis; fundamentum autem Durandi ſoluetur in calce huius quæſtionis.

Secunda ſententia eſt Thomiſtarum aſſerentium, paternitatẽ, & ſpirationem actiuam in Patre, filiationem, & ſpirationem in Filio eſſe tantum diſtinctas ratione actualiter, re autem ipſa ſolũ fundamentaliter diſtingui, eo modo, quò alia attributa à ſe inuicem, & ab eſſentia diſtinguuntur.

Sed hæc ſententia eiſdem vijs quibus identitas attributorum impugnata eſt impugnari poteſt, primò per verificationem contradictoriorum de illis ex natura rei, vnde ſequitur hæc diſtinctio ex natura rei. Secundò per excluſionem prædicationis primi modi in illis, vnde prouenit diſtinctio formalis.

Primum probatur, nam Pater diuinus paternitate non ſpirat ex natura rei, ſed ſpiratione, & ſpiratione non generat ex natura rei, ſed paternitate, igitur ſunt duo actus notionales, & duæ origines ex natura rei diſtinctæ, & multo magis ſunt duæ relationes ex natura rei diſtinctę, nam potius poteſt eſſe vna origo cum duabus relationibus (vt potè in illa ſententia aſſerente ſpirationem actiuam in Patre, & Filio eſſe vnam originẽ, iuxta Concilia Lugdunenſe, & Florentinum allegata & tamen ſunt duæ relationes ſpirationis actiuæ, vna in Patre, altera in Filio, & Spiritum Sanctum) quam vna relatio cum duabus originibus, non enim poteſt vna ſola relatio numero habere duo fundamenta, igitur relatio paternitatis, & ſpirationis actiuæ non poteſt eſſe vna numero fundata ſupra duas origines, ideſt ſupra generare, & ſpirare.

Secundum etiam probatur; nam hæc omnimodè falſa eſt ſpiratio eſt paternitas, non enim eſt identica, quia nullum horum ex-

tre-

tremorum eſt formaliter infinitum, nec eſt formalis in primo modo, quia ſic ſpiratio ingrederetur in definitione paternitatis, & conſequenter filiatio etiam ingrederetur in definitione paternitatis, & ſic eſſet vera iſta paternitas eſt filiatio, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens, probatur ſequela, quando enim aliquod ingreditur in definitione illius, quod ingreditur in definitione alterius, illud primum etiam ingreditur in definitione illius alterius, quæ regula eſt eadem cum illa anteprædicamentali, animal enim ingreditur in definitione hominis, qui homo ingreditur in definitione Franciſci, & ſic animal ingreditur in definitione Franciſci, & de illo prædicatur; ſed paternitas ſi eſt eadem formaliter cum ſpiratione actiua Patris ingreditur in definitione ſpirationis actiuæ, quæ ſpiratio eſt eadem omninò cum ſpiratione, quæ eſt in Filio, quæ ingreditur in definitione filiationis, cum ſit illi eadem formaliter, ergo paternitas ingreditur in definitione filiationis, & de illa in primo modo prædicatur, hoc autem eſt inconueniens dicere, igitur diſtinctæ ſunt formaliter paternitas, & filiatio à ſpiratione actiua, & hæc ab illis.

Caietanus conſequenter ad ſuam doctrinam reſpondere poſſet, quod benè diſtinguuntur formaliter à parte intellectus, non à parte rei, quia ſunt duæ formalitates à parte intellectus conceptę, & hoc modo diſtinctæ, re autem ipſa ſpiratio actiua vna formalitas eſt cum paternitate, & filiatione.

Contra hoc arguitur, nam eſſe de definitione alicuius, illuduè eſſentialiter conſtituere non dependet ab intellectu, ſed ab eſſe reali rei, ſi ergo paternitas eſt de definitione ſpirationis ipſam conſtituit à parte rei, & per conſequens eſſet etiam de definitione filiationis, & conſtitueret ipſam à parte rei, & eſſet vera illa prædicatio; hoc autem eſt falſum dicere, ergo nec paternitas eſt de definitione ſpirationis nec filiationis, nec ipſam cōſtitui à parte rei, nec à parte intellectus, & è conuerſo, & conſequenter diſtincta ſunt à parte rei, formaliter, non à parte intellectus.

Ex dictis manet impugnata præcedens opinio, & propoſita ſimul, atque probata tertia noſtra ſententia, quod ſpiratio actiua ſit formaliter diſtincta ex natura rei à paternitate, & filiatione.

Contra hanc ſententiam arguitur: Paternitas, & ſpiratio actiua eſt vna res ex natura rei, igitur eſt vna relatio, ſequela probatur, non enim eſt vna res abſoluta, vt patet, ſed reſpectiua, igitur

eſt vna relatio. Secundò ſi ſpiratio actiua,& paternitas ſunt duæ relationes,igitur ſunt duæ res, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens, ſequela probatur multiplicato inferiori, multiplicatur ſuperius , vt v. g. ſunt duo homines, igitur duo animalia , ergo duæ res.

Ad primum reſpondetur à Suar. lib. primo cap. 5. quod ſpiratio actiua, & paternitas ſit vna res relatiua habens reſpectum ad duos terminos realiter diſtinctos , & ſic illa vna res eſt duæ relationes. Dat exemplum,quia paternitas,& eſſentia eſt vna res, nō tantum abſoluta , nec tantum relatiua , ſed vtramque rationem includens,& eodem pacto ſpiratio,& paternitas eſt vna res relatiua includens duos reſpectus,& duas relationes .

Hæc reſponſio P. Suar. non ſatisfacit ; nam quando inquiritur ſi paternitas , & ſpiratio actiua in Patre ſit vna res relatiua , non quæritur de re relatiua , quæ refertur , ſed de re relatiua quæ eſt ratio referendi,& ipſamet relatio,ſed cum relationes accipiāt eſſe,& multiplicationem,& ſpecificationem à terminis , ſi reſpectu terminorum multiplicantur, & in ſeipſis plures eſſe dicuntur, ſi verò vna eſt relatio in ſeipſa , ſignum eſt non eſſe multiplicatam à terminis,& exemplum non eſt ad propoſitum ; nam licet res relatiua,quę refertur poſſit complecti duas relationes,vt vnus Pater duas paternitates, ſiue alias plures relationes diuerſę rationis ad noſtrum propoſitum non eſt verum,nam paternitas,& ſpiratio actiua ſunt relationes,& non relatiua , & conſequenter ſi in ſeipſis eſſent quid vnum eſſent vna relatio, & ſi reſpectu terminorum complecterentur duas relationes,idem eſſet vnum , & duo, ideſt vna relatio,& duæ relationes , quod eſt contradictorium.

Aliter ergo reſpondendum eſt ad primum argumentum, nempè paternitatem , & ſpirationem in Patre eſſe vnam rem abſolutam,& duas res,ſeu potius duas realitates relatiuas, ideſt duas relationes, ſic etiam perſonæ diuinæ ſunt vna res abſoluta , ideſt vnus Deus,& tres relatiuæ realiter diſtinctæ , ideſt tres perſonæ , ſunt inquam paternitas , & ſpiratio vna res , quia identificantur eſſentiæ cui annexæ ſunt in Patre , & ſunt duæ relationes reales formaliter ex natura rei diſtinctæ , non autem realiter diſtinctæ ſicut diſtinguuntur paternitas,& filiatio,vt infra videbimus.

Ad ſecundum reſpondet etiam Suares, quod ſuperius multiplicatur ad multiplicationem inferioris dummodo ſit ſecundum idē

multi-

multiplicatio, quando paternitas, & ſpiratio dicuntur duæ relationes multiplicantur a parte terminorum, quando dicuntur duæ res multiplicantur à parte ſui, & in ſe, ideò non valet argumentum.

Sed contra hanc reſponſionem eſt id, quod ſupra diximus, nẽpè totã multiplicationẽ, & vnitatẽ relationum prouenire à terminis, & ideò ſi paternitas, & ſpiratio in ſe eſt vna res relatiua erit vna relatio, & ſimiliter erit vna reſpectu extremorum, & ſi in ſe erunt duæ relationes, in ſe etiam erunt duæ res relatiuæ dumtaxat, & ſic non ſoluitur regula de multiplicatione ſuperioris ad multiplicationem inferiorum per hanc reſponſionem Suares.

Aliter ergo ſoluendum eſt argumentum; illam regulam valere quando res ſunt realiter diſtinctæ, & indiuidualiter, & ſeipſis diuiſæ, vbi autem ſunt vnitæ in vnum vt paries, & albedo non valet, nemo enim diceret parietem album eſſe duas res, ſed vna res eſt, & multo magis quando realitates conueniunt in vnum, vt animal, & rationale, & riſibile in vno homine ſunt plures realitates, ergo plura entia, ergo plures res, negatur conſequentia; quia cum ſit in homine indiuidualiter vnitæ, ideſt in vno indiuiduo, & ſuppoſito omnia illa vnica res erunt, ſimiliter paternitas, & ſpiratio actiua in Patre, licet ſint plures reailtates relatiuę, ideſt plures relationes erit tantum vnica, & ſimplex res.

Ex dictis ſolutũ manet argumentum, & fundamentum Durandi pro prima ſententia, quod paternitas, & ſpiratio actiua non ſunt realiter diſtinctæ, ſed ſolum formaliter ex natura rei.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum ſpiratio actiua in Patre, & Filio ſit vnica, & ſimplex relatio.

HActenus explicandum eſt, quomodo ſpiratio actiua diſtinguatur à paternitate, & filiatione. Supereſt videre. Vtrum ſpiratio, vt eſt in Patre ſit vna relatio referens Patrem ad Spiritum Sanctum, & ſpiratio, quę eſt in Filio ſit alia relatio referens illum, nam quamuis ſit vnica ſpiratio in Patre, & Filio quatenus origo, & actus notionalis eſt, de qua loquuntur Concilia Lugdunenſe, & Florent. quod Pater, & Filius vnica ſpiratione producunt

cunt Spiritum Sanctum, adhuc inquiri poteſt, vtrum ex illa vna ſpiratione communi Patri, & Filio reſultet vna relatio referens vtrumque ad Spir. Sanct. an duæ relationes ſpirationis actiuæ, quarum altera Pater, altera Filius referantur. Triplex poteſt eſſe modus dicendi in hoc puncto.

Primo modo dici poteſt ſpirationem actiuam in Patre, & Filio eſſe duas relationes, & duas res inter ſe realiter diſtinctas, quamuis ſint vnica res in eſſentia diuina eo modo, quo perſonæ diuinæ ſunt tres res realiter diſtinctę, nimirum relatiuæ, & ſunt vnica res in eſſentia diuina, in qua omnia quę ſunt in diuinis identificantur, & fiunt vnum. Fundamentum huius modi dicendi eſſe poteſt opinio eorum, qui dicunt relationem non addere rem, & modum realem ſuo fundamento, ſed eſſe ipſummet fundamentum, quo poſito, & eius termino, ſtatim ipſa relatio reſultat, & dat denominationem, fundamento, quam ſine termino dare non poteſt, cum ergo in hac ſententia paternitas, & Filiatio ſint fundamentum ſpirationis actiuæ in Patre, & Filio, & ipſa ſpiratio nihil reale illis addat, ſequitur, quod ſicut paternitas, & filiatio ſunt diſtinctæ realiter, ita ſpiratio actiua in Patre, & ſpiratio actiua in Filio ſunt duæ relationes realiter diſtinctæ.

Hæc tamen falſa eſſe oſtenditur ex illo principio, in diuinis omnia ſunt vnum vbi non obſtat relationis oppoſitio, ſed ſpiratio actiua in Patre, & Filio non opponuntur, vel potius non opponitur ſibi ipſi, igitur nulla cadit in ipſa diſtinctio realis, nec ſufficit dicere, ſpirationem actiuam non eſſe diſtinctam in eſſentia diuina, in qua eſt vna, & ſimplex res, diſtingui tamen realiter quatenus relatio eſt.

Nam contra hoc eſt, quod oppoſitio relationis non facit diſtinctionem, realem eſſentiæ, vel eſſentialium, ſiuè abſolutorum in diuinis, ſed tantum relatiuorum, & relationum; inter illas ergo relationes, vbi nō cadit talis oppoſitio nulla poteſt eſſe diſtinctio realis, nunc autem inter ſpirationem actiuam Patris, & Filij nulla cadit oppoſitio, ergo.

Ad fundamentum huius opinionis reſpondetur; aſſumere duo falſa, primum falſum eſt, quod relatio reſultans in fundamento ex aduentu termini non addat aliquem modum realem, ſed ſolum eſſe ipſummet fundamentum. Secundum falſum eſt, quod paternitas, & filiatio ſint fundamentum relationis ſpirationis actiuæ,

qui-

quinimmò nec origo, aut actus notionalis ſpirandi eſt fundamentum relationis ſpirationis eo modo, quo generatio actiua non eſt fundamentum relationis, ideſt paternitatis; ſiquidem omnia iſta, vt ſupra diximus ſunt vna entitas, & ratio formalis dumtaxat relatiua, ideſt vna ſimplex relatio. Fundamentum ergo relationis ſpirationis actiuæ eſt potentia ſpirandi, quæ eſt ipſa voluntas, & ſic in omnibus falſa eſt hæc ſententia.

Secundò dici poteſt, ſpirationem actiuam in Patre, & Filio eſſe duas relationes, & vnam rem; prima pars probatur, quia Pater refertur ad Spiritum Sanctum ſua ſpiratione, qua ipſum producit, ſimiliter Filius refertur etiam ſua ſpiratione, igitur reſpectu fundamentorum, & ſubiectorum duæ dicendæ ſunt relationes ſpirationis actiuæ. Secunda pars patet, nam in diuinis omnia ſunt vna res vbi non eſt oppoſitio relatiua, ſed inter ſpirationem actiuam Patris, & Filij nulla relatio intercedit nec oppoſita, nec etiam diſparata, ergo.

Sed contra hanc ſententiam arguitur, ſicut vnica eſt relatio creationis Dei, & trium perſonarum ad creaturas propter vnicũ fundamentum, & principium creandi, ita vna debet eſſe relatio ſpirandi Patris, & Filij propter vnicum principium ſpirandi; vna enim voluntate, & vna ſpiratione ſpirant, igitur vna ſola relatione referuntur.

Tertius modus eſt Ægidij in 1. diſ 27. a. 1. q. 1. aſſerentis, ſpirationem actiuam in Patre, & Filio eſſe vnam relationem, & duas res, ita quod illa relatio ſit collecta ex pluribus quaſi partialibus; prima pars probatur ex dictis contra ſecundam ſententiam. Secunda pars probatur; nam eadem res non poteſt eſſe in ſubiectis realiter diſtinctis, ſed ſpiratio actiua eſt in Patre, & in Filio realiter diſtinctis, vt res à re, igitur, & ipſa diſtinguitur, vt res à re. Secundò eadem res non poteſt identificari realiter duabus rebus realiter diſtinctis, ſed ſpiratio actiua in Patre identificatur paternitati, & in Filio filiatione, quæ diſtinguuntur realiter, igitur, & ipſa ſpiratio ſunt duæ res.

Hæc tamen fundamenta friuola ſunt; primum quia benè eadem res poteſt eſſe in ſubiectis realiter diſtinctis, quando habent rationem vnius principij, & fundamenti; creatio enim eſt in tribus perſonis, quæ tres, vt vnum principium creant, quod principium eſt fundamentum relationis creationis. Secundò eſt etiam

friuo-

friuolum,quia eadem res poteſt identificari realiter rebus realiter diſtinctis,ſi ipſæ habent rationem vnius principij, & fundamenti,& hoc præcisè eſt verum,ſi illa res illis identificata eſt relatio, vt eſt in propoſito.

Ex his omnibus dictis de ſpiratione actiua colliguntur quędam corollaria,& differentiæ inter ipſam,& cęteras relationes originis. Primum corrollarium eſt quod ſpiratio actiua eſt communicabilis pluribus, ideſt duabus perſonis; cætere verò ſunt incommunicabiles,ex quo ſequitur,illas vocandas eſſe perſonales,hanc verò non perſonalem,ſed tantum notionalem.

Secundum corollarium,& differentia eſt, quod aliæ relationes originis per ſe ex ſua ratione formali ſunt ſubſiſtentes, hæc verò non ſubſiſtit, quia ſubſiſtentiam habet à perſonis propter identitatem cum ipſis. Prima pars probatur; nam illæ relationes conſtituunt perſonas, ac per conſequens dant illis ſubſiſtentiam, ex quo ſequitur,illas ſubſiſtentiam habere ex ſeipſis; ſecus non poſſent alijs dare illam; Secunda pars probatur,nam ſpiratio actiua non conſtituit Patrem, & Filium in eſſe perſonali, ſed ipſos conſtitutos præſupponit, & illis aduenit, igitur non dat, ſed recipit ab illis ſubſiſtentiam.

Tertium corollarium eſt, quod quatuor ſunt relationes originis, ſed illarum tantum tres ſunt realiter diſtinctæ, vt generatio actiua,ideſt paternitas,generatio paſſiua,ideſt filiatio,& ſpiratio paſſiua,ideſt proceſſio; ſpiratio autem actiua quamuis realiter diſtinguatur à proceſſione, ideſt à ſpiratione paſſiua non tamen diſtinguitur realiter à paternitate,& filiatione.

Quarta ergo, & vltima ſententia eſt, quod ſpiratio actiua in Patre,& Filio ſit vnica res,& entitas,& vna ſimplex relatio,quæ affatim probata manet vt ſupra.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Relationes originis ſint formaliter infinitæ,& talem perfectionem dicant.

PRimò notandum eſt, quod relationes originis in pręſentiarum ſumuntur ſecundum propriam,& formalem rationem relationis, quam addunt ad eſſentiam, & per conſequens non vt iden-

identificatæ eſſentiæ,vel vt ſunt ipſa eſſentia, ſed vt diſtinctæ ab illa,vel ſola ratione ſecundum Thomiſtas, vel etiam formaliter ex natura rei, ſecundum Scotiſtas (vt communis ſit ſenſus quæſtionis vtrique Scholæ) ideſt vtrum ſecluſa diuina eſſentia relationes originis dicant perfectionem infinitam.

Secundò eſt aduertendum hic non eſſe ſermonem de infinitate in quantitate molis, ſed dumtaxat in quantitate virtutis, de quibus ſæpè in hac materia mentio fit.

Prima ſententia eſt Durandi in 1.diſ.33.q.4.& Torres in 1.p.q. 26.a.2.diſpu.3.p.2.aſſerentium,relatones originis dicere infinitã perfectionem non diuerſam à diuinæ eſſentiæ infinitate, & probant,quia relatio originis abſolutè eſt Deus,Deus verò eſt infinitæ perfectionis,igitur,& ipſa relatio perfectionis infinitæ erit,& ſic illa perfectio infinita eſt in tribus, nam perfectio diuinarum relationum,& relatiuorum eſt ipſamet eſſentia diuina,& vlterius dicunt,quod ſicut eſſentia diuina in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio,ſic perfectio bonitas, & dignitas in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio, & hoc modo relationes originis dicunt perfectionem infinitam,eam nimirum quæ eſt eſſentiæ diuinæ.

Hi tamen Auctores toto cęlo à ſenſu quæſtionis aberrant,tradentes quidem doctrinam in omnibus Scholis receptam, ſed minimè reſponſiuam præſenti quæſtione, quæ vt notauimus, diſtinguit relationes originis ab eſſentia diuina,accipiens eas, ſub formali relationis ratione, & à quibus ſecludatur eſſentia diuina ita vt ipſæ ſeipſis aliquam perfectionem dicant, vel non dicant; nemo enim negat relationes originis,vt identificatas realiter eſſentiæ dicere perfectionem ſimpliciter,& multo minus negare poſſunt,ſi relationes ſunt ipſamet eſſentia formaliter,& eſſentialiter ſecundum quod hi auctores autumant. Rurſus perfectio, quam tribuit eſſentia diuina eſt abſoluta,relationes autem originis ſunt relatiuæ,igitur ſi quam dicunt perfectionem, relatiua debet eſſe, & conſequenter diſtincta à perfectione eſſentiæ diuinæ.

Secunda ſententia eſt P. Vaſques in 1. p. diſ. 122. qui concipit quidem relationes originis, vt diſtinctas ab eſſentia diuina, & conſequenter ait ipſas dicere perfectionem ſimpliciter diſtinctã à perfectione eſſentiæ diuinæ;ipſam tamen perfectionem,inquit, eſſe vnam in tribus perſonis, & per hoc vitare intendit illud inconueniens ad quod ex ſententia Scoti adducitur fore, vt in

vna

vna perſona ſit aliqua perfectio quæ non eſſet in alia, ſi relationes originis dicunt perfectionem, cum enim vnam ſolam perfectionem dicant, & hæc ſit in omnibus tribus, non erit vna perfectio in vna perſona, quæ non inueniatur in alia.

Fundamentum huius ſententiæ eſt, quod relationes originis dicunt perfectionem, & integritatem; integritas autem rei vna eſt, igitur non obſtante quod illæ ſint tres, & quod perfectionem dicant inquantum tres, ideſt vt diſtinctæ ab eſſentia diuina, vnam dicunt perfectionem, & hoc modo conciliat Trinitatem relationum dicere vnam perfectionem, & non eſſe aliquam perfectionē in vna, quæ non ſit in alia perſona, & declarat amplius ſuam ſententiam per diſtinctionem, quod bonum dupliciter ſumitur abſolutè, quod eſt perfectum, cui nihil deeſt, & hoc bonum eſt tranſcendentale, & bonitas eius eſt integritas. Secundò ſumitur comparatiuè, ideſt quod alteri bonum eſt, atque conueniens, & eius bonitas eſt conuenientia vnius ad aliud, quæ requirit diſtinctionem realem inter illa, ad hoc vt ſit bonitas realis. Primum bonum conuertitur cum ente. Secundum verò non conuertitur, & applicat hanc diſtinctionem ad diuina, quod relationes originis dicant perfectionem tranſcendentalem Dei, quia pertinent ad eius integritatem, non enim Deus eſſet integrè conſtitutus in ſui ſubſtantia ſi non haberet has omnes relationes, actamen cum integritas Dei vna ſit, vna ex illis proficiſcitur perfectio, atque integritas ſine vlla compoſitione, & ideò non dicuntur quaſi partiales integritates, quia per perfectam integritatem integrant, non per rationem partis, vel vnionis, ſicut tres perſonæ dicuntur vnus Deus, non tamen dicuntur tres partes Dei, quia eſt ſumma identitas realis illarum in Deo; poſteriori verò modo relationes originis ſunt bonæ, quia conuenientes ſuis quibusque perſonis à ſe conſtitutis, & hoc pacto non inconuenit admittere in diuinis tres perfectiones, & bonitates, quia iſtæ non reales, ſed rationis ſunt; nam conuenientia rei reſpectu ſui ipſius non eſt realis, ſed rationis.

Hi tamen auctores fruſtra conati ſunt conciliare Trinitatem relationum cum vnitate perfectionis, & bonitatis dumtaxat tranſcendentalis, nam ea vel eſſet abſoluta vel relatiua, non primum, quia eſſet perfectio eſſentiæ diuinæ quod eſt contra ſuppoſitum quæſtionis, & etiam hi authores negant; nec ſecundum dici

poteſt,

poteſt, quoniam relatiua in diuinis multiplicantur, & ſic perfectio relationum multiplicaretur, & non eſſet vna, nec valet dicere, quod ſicut tres perſonæ faciunt vnum Deum, ita tres relationes faciant vnam perfectionem, quia primo ea perfectio eſſet communis, & eſſentialis, ſicuti Deus communis eſt tribus perſonis, hoc autem eſt contra ſuppoſitum quæſtionis, quæ conſiderat relationes vt diſtinctas ab eſſentialibus, igitur, vt ſic ſi perfectionem dicunt non communem, & eſſentialem dicere poſſunt. Secundò quia vna perſona non eſſet perfectè, & integrè Deus ſe ſola ſumpta, ſequela probatur, nam paternitas Patris non dicit plures perfectiones, ideſt non dicit perfectionem filiationis, vel ſpirationis, illa ergo cum alijs duabus faciunt vnam integram perfectionem Dei, & conſequenter nulla illarum ſe ſola ſumpta eſt integrè perfecta.

Tertia ſententia eſt P. Suar. de Trin. lib. 3. c. 9. & Gabriel. in 1. diſ. 7. q. 3. ar. 3. & Henrici diſ. 2. q. 4. a. 1. qui omnes diſtinguunt de perfectione, & bonitate trãſcendentali, de qua loquitur Vaſques, quod alia ſit abſoluta alia relatiua, primam inquiunt eſſe vnam in diuinis nimirum eſſentiæ diuinæ, tres verò eſſe perfectiones relatiuas perſonarum realiter diſtinctas, ipſas nempè relationes originis.

Primò probat Suar. bonitatem, & perfectionem tranſcendentalē cōpetere relationibus originis. Secūdò probat ipsā eſſe relatiuā. Primū probat, nā bonū cōuertitur cū ente reali, omne .n. ens reale eſt bonū, ſed relatio originis eſt ēs reale, ergo eſt bonū, ſecūdò ſubſiſtētia dicit maximā perfectionē, relationes originis per ſe ſunt ſubſiſtentes, igitur perfectionē dicunt; ſecundū probat quodlibet ens habet bonitatem ſuæ entitati accomodatam, ſed entitas relationum originis eſt relatiua, igitur earum bonitas eſt relatiua, ſecundò eſſentia diuina, & relatio diſtinguuntur ſiuè ratione, ſiuè ex natura rei, tamquam abſolutum, & relatiuum, igitur perfectiones earum eodem modo diſtinguerentur, tertiò relationes originis opponuntur relatiuè, & ideò ſunt realiter diſtinctæ, igitur dicunt perfectiones, realiter diſtinctas, ac per conſequens hæ ſunt relatiuæ, ſiquidem ſola relatiua realiter in diuinis diſtinguuntur.

Hæc etiam ſententia eodem modo improbabilis eſt nam ex illa ſequeretur fore, vt in diuinis non ſint tres tantum perfectio-

nes relatiuæ,ſed quatuor, ſicut quatuor ſunt relationes originis, addita tribus ſpiratione actiua, quæ verè, & propriè eſt relatio originis,ex quo vlterius ſequitur quod Pater, & Filius ſint perfectiores Spiritu Sancto, quia in illis ſunt duæ perfectiones, ideſt duæ relationes originis,& in Spiritu Sancto vna ſola.

Ad primam ergo rationem reſpondetur, non omne ens reale eſt neceſſariò bonum, & perfectum perfectione dumtaxat non entitatiua,ſed graduali,& virtutis, quod eſt eſſe quantum quantitate virtutis,quæ vel excedit quodcumque quod eſt eſſe infinitum in virtute,ſiuè in entitate, & perfectione intenſiua,vel exceditur ab alio quod eſt eſſe finitum,quoniam quantum ſiuè finitum, ſiuè infinitum ſunt modi intrinſeci entis, cui prius inſunt, quam paſſiones eius, ideſt vnum, verum bonum, & propterea prius debet eſſe ens,& ipſum diſtingui prima ſui diuiſione in quantum, & nō quantum, illa verò entia, quæ ſub quanto conſtituuntur dicunt perfectionem vel finitam,vel infinitam,quia vel exceduntur, vel excedunt omnia,& præter hæc ſunt alia entia,quæ nullam quantitatem dicunt nec finitam, nec infinitam conſtitutam ſub alio membro,ideſt ſub non quanto,cuiuſmodi ſunt relationes diuinæ, propter quas hæc diſtinctio entis pręcisè fit in quantum, & non quantum,quia ipſę nec inter ſe exceduntur, nec ab alio exceduntur, nec excedunt aliud, alioquin dicerent per fectionem, & ſic Pater, & Filius excederent Spiritum Sanctum in perfectione, quippè duas relationes originis habent. Ad formam argumenti reſpondetur,quando dicitur omne ens reale eſt bonum, negatur quia eſt aliquod ens reale,quod nullam bonitatem nimirum perfectionem dicit,huius modi ſunt relationes originis.

Ad ſecundum reſpondetur ſubſiſtentiam dicere bonitatem, quæ quantitatem aliquam dicit finitam,vel infinitam,ſicut ſubſiſtentia infinita eſſentiæ diuinæ & finita ſubſtantiæ creatæ, præter has inuenitur alia ſubſiſtentia,quæ nec eſt finita, nec infinita, quia nec excedit,nec exceditur,& hæc eſt relationum originis,& ſic nullam quantitatem dicunt, & conſequenter nullam perfectionem.

Ad tertium,& quartum patet reſponſio, cum enim probatum ſit nullam prorſus bonitatem perfectionalem, ſeu perfectionem virtutis dicere relationes originis, ſequitur nec etiam relatiuam dicere.

Quar-

Quarta ſententia aſſerit relationes originis ſecundum quod diuerſimodè conſiderantur, dicunt, vel non dicunt perfectionem; diſtinguitur .n. relatio originis, & quatenus dicit eſſe in, & ex hac parte reſpicit ſubiectum, & vt dicit eſſe ad, & ſic reſpicit terminum. Secendo modo conſiderantur ſecundum rationem formalē relationis, & ſic inquit Bagnes relationes originis non dicere perfectionem, nec imperfectionem; primo modo verò dicere infinitam perfectionem, ad quem ſenſum reducitur etiam diſtinctio illa Caietani deſumpta ex D.Thom.in p.p.quæſt.28. art. 2. quod relationes originis quatenus ſunt formæ hypoſtaticę, & proprietates perſonales dicunt eſſe in, ideſt in ſe ſubſiſtentes, & ita ſunt formaliter infinitæ, ſecundum rationem verò formalem relationis, & vt dicunt eſſe ad, nullam perfectionem dicunt, nec imperfectionem; enunciandum tamen eſt abſolutè, & ſimpliciter (ſubdunt authores iſti) relationes originis dicere infinitam perfectionem.

Fundamentum huius ſententiæ dupliciter peccat; Primò quia quando inquirimus vtrum relationes originis dicant perfectionem necne, accipiuntur ſecundum rationem formalem relationis. Secūdò, quia quamuis hæc diſtinctio fieri poſſit, & ſenſus quęſtionis aſſumat relationes originis, vt dicunt eſſe in, & vt ſunt formæ hypoſtaticæ, & proprietates perſonales, eæ tamen, etiam vt ſic nullatenus abſolutæ ſunt, ſed reſpectiuæ, & ipſęmet relationes originis ſub ratione formali relationis ſicut probauimus quæſt. 3. præced. Section. quod relationes originis etiam ſecundum quod ſunt formæ hypoſtaticæ, & quatenus relationes ſunt reipſa eſſe vnam entitatem, & rationem formalem, quamuis per intellectum prædicta diſtinctio, & præciſio in illis fieri poſſit; nobis autem loquendum eſt, ſecundum quod in reipſa ſunt, vtrum dicant perfectionem in reipſa, vel non.

Quinta, & vltima, & nobis ſequenda ſententia eſt, relationes originis quomodocumque conſiderentur, & quatenus dicunt eſſe in, & ſunt formæ hypoſtaticæ, ſeu proprietates perſonales, & vt dicunt eſſe ad, ſub ratione formali relationis non eſſe formaliter infinitas, nullamque perfectionem in ſui præciſa, & formali ratione includere.

Pro intelligentia huius ſententiæ notandum eſt bonitatem duplicem eſſe, alteram quæ dicitur entitatiua, alteram quæ di-

P citur

citur quidditatiua, eſſentialis, ſpecifica, & gradualis, ſeu quantitatiua. Prior eſt ipſa paſſio entis, quæ cum ente conuertitur, vnumquodque enim qua eſt ens, & habet entitatem bonum eſt; etiam ſi ſit malum, ſiuè in moralibus, vt peccatum, ſiuè in naturalibus, vt diſconueniens, & nociuum, cum in ſe habeat ſuam entitatem poſitiuam, & in ſui eſſe nihil ei deficiat, cumque ſic integrum in ſe ſit bonum eſt, & quamuis alteri malum ſit, & nociuum, ſibi tamen, & in ſe bonum eſt, quia vnicuique melius eſt eſſe, quam non eſſe, & hac bonitate non inficiatur Scotus, quinimò concedit in primo diſ. prima quæſt. 2. §. ad argumenta principalia, atque fatetur relationes diuinas eſſe bonas, atque perfectas dumtaxat entitatiuè, quippè quæ entia ſunt; poſterior bonitas eſt modus intrinſecus cuiuſcumque rei prior omni paſſione, & proprietate eius, & dicitur quidditatiua, & ſpecifica, quia in ſui eſſe ſpecifico eam conſtituit, vel ad eius modum intrinſecum pertinet, & dicitur gradualis, & quantitatiua ſecundum quod Ariſtoteles dixit ſpecies eſſe ſicut numeri, quia ſicut numero addita vnitate mutat eius ſpeciem, ſic etiam gradus eſſentialis, additus ſpeciei mutat illam, ſeu conſtituit aliam ſpeciem, & ſecundum hanc perfectionem dicuntur res magis, & minus perfectæ in ſuo eſſe ſpecifico, ſecundum quod etiam dicitur à Philoſopho in vnoquoque genere eſſe vnum quod eſt metrum, & menſura omnium illius generis, ſicut homo in genere animalis eſt menſura cæterorum, quatenus cætera animalia ſecundum quod magis, vel minus approximantur eius perfectioni, dicuntur magis, vel minus perfecta animalia, ita quod vnum excedat alterum in perfectione perfectius eſt enim animal quod magis participat de iudicio, quam illud quod minus participat; quæſtio ergo præſens currit de hac ſecunda bonitate, & perfectione.

Secundò notandum eſt neque etiam nos inficiari relationes diuinas eſſe perfectas, & infinitas identicè, & realiter, ſicut enim paternitas eſt eſſentia ſic etiam eſt infinita, eſt autem eſſentia identicè, & realiter quatenus illi propter infinitatem formalem realiter identificatur; hæc enim non eſt prædicatio formalis, ſed identica, paternitas eſt eſſentia, & eodem modo identica eſt iſta, paternitas eſt perfecta, & infinita, ſumendo autem relationes diuinas in ſuo eſſe formali ſecundum

dum quod diſtinctæ ſunt ab eſſentia diuina ſiuè ratione, ſiuè ex natura rei,& à ſe inuicem, ſunt realiter diſtinctæ: hoc modo intelligitur noſtra ſententia ipſas non eſſe perfectas, & conſequenter neque infinitas.

Fundamentum præcipuum, & ratio à priori huius ſententiæ eſt illa prima diuiſio entis in quantum, & non quantum, tanquam in modos ſibi magis intimas, & priores omnibus alijs modis, & paſſionibus entis, & cum in rerum natura omnia omnimodo poſſibilia entia inueniri debeant, præter illa quæ exceſſum actiuum, vel paſſiuum dicunt, alia quæ nullum talem exceſſum dicant, inueniri neceſſe eſt, qualia ſunt ea, quæ ſub non quanti modi intrinſeci entis membro collocantur, talia verò ſunt relationes originis diuinæ ſolummodò, & nulla alia relatio creata, nec illa, quam inquit Pater Rada controuerſ. vigeſima ſeptima primi ſententiar. in prima concluſione, eſſe communem, & indifferentem ad creatam, & increatam relationem, in qua re allucinatur Rada; tum quia hic eſt ſermo de relatione reali cuius modi non eſt illa indifferens relatio, quæ communitatem rationis tantum dicere poteſt, tum quia ex hac ſententia ſequeretur ſi relatio indifferens ad creatam, & increatam nullam perfectionem diceret, ipſa non eſſet quanta, ac per conſequens nec creata, nec increata relatio quantitatem diceret, & conſequenter nulla prorſus relatio creata eſſet quanta, quia ſub oppoſito modo quanti conſtitui non poteſt, cum ex vno oppoſito membro fieri non poſſit tranſitus ad aliud; vltima verò concluſio Patris Rada eſt falſa, quia relationes creatæ reales aliquam perfectionem dicunt, cum vna ſit perfectior altera, vt patet, relatio quippe creaturæ ad Deum perfectior eſt relatione eiuſdem creaturæ ad alteram creaturam, ſiuè in ratione cauſalitatis, & dependentiæ, ſiuè qualitatis, aut ſimilitudinis, & ſic aliqualiter quantæ ſunt, cum dicant exceſſum actiuum,& paſſiuum, & non poſsunt conſtitui ſub alio membro non quanti, vt aiebat Rada.

Ratio etiam à poſteriori hoc idem ſuadet, quæ ex triplici capite deſumitur. Primo ex vnitate, & non poſſibili multiplicitate entis infiniti. Secundò ex eius communicabilitate.

Tertiò ex eius ſimplicitate, quod colligitur ex Scoto in quodlibet queſt.5.ſicut hanc eamdem ſententiam tenuerat in primo diſ. 8. quæſt.4.

Ex prima via arguitur, omne infinitum formaliter eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, igitur non poſsunt eſse plura formaliter infinita realiter diſtincta, ſed relationes originis, vt ſunt diſtinctæ ab eſsentia diuina, & vt in præſenti quæſtione ſumuntur ſunt inter ſe realiter diſtinctæ, igitur non poſsunt eſse formaliter infinitæ, maior probatur ex definitione perfectionis ſimpliciter ſimplicis tradita ab Anſelm. in Monolog. cap. 15. in quo dicitur, melius eſse ipſum, quam non ipſum, quæ definitio in ſuperioribus declarata eſt, minor probatur ex eadem definitione perfectionis ſimpliciter, qua quodcumque quod eſt ſibi incompoſſibile eſt imperfectius, at verò plura formaliter infinita, & præſertim ſibi oppoſita qualiter ſunt relationes originis ita ſe habent, vt vnum ſit alteri incompoſſibile, & per conſequens illo imperfectius, & è conuerſo illud ſit incompoſſibile iſti, & per conſequens imperfectius iſto, ex quo ſequitur fore idem perfectius, & imperfectius reſpectu eiuſdem, & rurſus ſequitur nullum illorum eſſe infinitum, quia vtrumque ab altero exceditur, quæ duo cum ſint inconuenientia, atque impoſſibilia, ſequitur, non poſse inueniri plura formaliter infinita realiter diſtincta, cuiuſmodi ſunt relationes originis in ſuo eſse formali acceptæ quomodocumque ſumantur ſiue in eſse in, ſiuè in eſse ad;

Poſset reſpondere Vaſques huic rationi iuxta ſuam ſententiã ſupra poſitam relationes originis eſse formaliter infinitas, & realiter diſtinctas, non tamen illas facere niſi vnum infinitum, ſicut quælibet trium perſonarum eſt vnus Deus, & omnes tres non ſunt plures Dij, ſed vnus Deus.

Contra hoc eſt, nam hæc reſponſio non eſt ad propoſitum, & deſtruit præſuppoſitum quæſtionis, non eſt inquam ad propoſitum, quia tres perſonæ diuinæ ſunt vnus Deus, non quatenus in ſe realiter diſtinguuntur, & ratione ſuarum proprietatum perſonalium, ſed ſunt vnus Deus ratione eſsentiæ, quæ eſt vna ſingularis in tribus, at verò relationes originis, prout hic in præſenti quæſtione ſumuntur ſunt realiter diſtin-

dat illi eſſe cognitum, quod ipſa ex ſe neceſſariò recipit, & aliud eſt producere rem in primo ſuo eſſe, ſiuè in primo ſui eſſe cogniti, ſicut idem artifex non videndo aliquam domum format illam in mente ſua, & hoc eſt primum eſſe domus, quod dicitur cognitum, primo modo domus cognita recipit benè eſſe cognitum ab intellectu artificis, non tñ per ipſam intellectionẽ, quaſi per actũ producendi, ſed eſt neceſſaria ſequela, qua ſequitur, quod ſi artifex videt aliquam domum, ipſa neceſſariò eſt viſa, ſic recipit eſſe viſum, vel cognitum. Secundo modo artifex producit illam domum in primo ſui eſſe non habens aliquod prius eſſe, nec cognitum, nec reale, & hoc modo intellectu ſuo format domum, & ſic producit illam in eſſe cognito, quod proprium eſt dicere, vel exprimere, ſeu producere, vndequaque ergo ſequitur de mente Scoti intellectionem non eſſe productionem Verbi diuini ad intra, & creaturarum in eſſe intelligibili, & cognito ad extra, quamuis intellectu ſuo, & intelligendo vtrumque producat, non quidem per intellectionem, ſed per dictionem, Supereſt dubium quomodo omnipotentia verſetur circa non ens.

Notandum eſt non ens dupliciter ſumi poſſe primo modo pro eo quod nec eſt, nec poteſt eſſe, quod benè vocat Ferrarienſis 2. contra gent. cap. 22. non ens eſſentialiter, ſcilicet quod nullam eſſentiam habet, cuiuſmodi eſt chimera, & hoc genus non entis opponitur enti, quod eſt obiectum omnipotentiæ diuinæ, ſcilicet eſſe poſſibile, & non repugnans, quia tale non ens repugnat omninò eſſe. Secundo modo non ens capitur pro eo quod tantum negat actualem exiſtentiam, in quo tamen eſt poſſibilitas ad exiſtendum, & hoc denominatiuè non ens dicitur, quia alias eſſentiam habet, vt roſa, & lilium in hyeme.

Pater Vaſques diſputatione illa 104. cap. 5. doctiſſimè refert omnipotentiam Dei vtrique non enti, vt aliquo modo verſetur, & aliquo modo non, ſicut viſus circa viſibile, & inuiſibile, circa lucem, & tenebras, omnipotentiam inquit verſari circa non ens priori modo ſumptum, ſicut viſus circa tenebras non per actum poſitiuum productionis rei, aut poſitiuum deſtructionis, ſeu annihilationis, nec etiam poſitiuum non productionis, ſicut hoc tertio modo verſatur circa non ens ſecundo modo ſumptum, ſed ſicut viſus dicitur eſſe tenebrarum, quoniam circa illas eſt priuatio viſionis, vt in proprio ſubiecto, cum non ſit priuatio viſionis circa

aliquid aliud, vt circa ſonum, & ſilentium; ſic etiam omnipotentia dicitur eſſe dicti non entis, quia circa tale non ens eſt negatio actus in omnipotentia Dei, vt in proprio ſubiecto, cum non ens priori modo directè opponatur obiecto omnipotentiæ; Omnipotentia autem verſatur circa nõ ens poſteriori modo ſumptum, non tamquam viſus ad tenebras, quod eſt contra Caietanum circa quæſtionem 25. art. 2. quia viſus non verſatur circa tenebras tamquam circa obiectum ſuum, ſed ſicut circa oppoſitum directè ſuo obiecto circa quod ſequitur in eo priuatio operationis, vt in proprio ſubiecto, ſed verſatur circa tale non ens, tamquam proprium obiectum factum ab ipſa, quia ita omnipotentia facit rem non eſſe ſubtrahendo actionem ſuæ productionis, ſeu conſeruationis, vel detruendo, ſicut facit rem eſſe, eam producendo, vbi optimè notat Suar. lib. 3. cap. 9. tale non ens ſecundo modo magis propriè dici obiectum voluntatis diuinæ, quam potentiæ, etenim voluntas propriè intelligitur poſitiuè velle, vt illud non ſit, & vt potentia non influat in illud producendo, ſed vterque conciliari poteſt; nam Vaſques fortè intellexit de omnipotentia, vel potentia exequutiua, quæ eſt ipſa voluntas, & Suares de voluntate, quæ eſt eadem potentia exequutiua loquitur; vel ambo intelligunt de omnipotentia, vt coniuncta voluntati potentiæ exequutiuæ.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum eſſe bonum per eſſentiam ſit proprium Dei, & quæ ſit ratio formalis boni in vniuerſum.

PRius notandum quod, ly, per eſſentiam, refertur vel ad ſubiectum, ſcilicet Deus per eſſentiam eſt bonus, ideſt de eſſentia ſui eſt bonus, vel ad predicatum, ſcilicet Deus eſt bonus per eſſentiam, ideſt bonitas per eſſentiam, non per participationem, ſeu participata conuenit Deo, aliud eſt enim per eſſentiam eſſe tale, & eſſe tale per eſſentiam, vt patet, ſed eũ qui eſt bonus primo modo, ſit etiam bonus poſteriori modo, de vtroque inquirimus.

Circa poſteriorem partem quæſtionis diuerſæ ſunt ſententiæ. Prima eſt Durandi in 2. diſ. 34. quæſt. 1. vbi aſſerit bonitatem, & rationem formalem boni in quocumque ente eſſe relationem cõuenientiæ non cum appetitu, ſed cum alia re, & illam relationem

eſſe

eſſe realem, quæ relatio conuenientiæ in Deo eſt extrinſeca, in creaturis autem diuerſo modo ſe habet, alijs enim intrinſecè, & primariè in eſſe exiſtimant bonitatē, illis ſcilicet quæ intrinſecè alicui cōueniunt, vel vt materia, vel vt forma, vel vt pars integrās, vel vt accidēs inhærens, alijs verò extrinſecè, & ſecundariè, illis. ſ. q̄ ſunt cauſæ, vel conditiones extrinſecæ alijs cōuenientes, primo modo ſanitas dicitur intrinſecè bona homini, anima, materia, & partes eius; ſecundo modo medicina eſt bona ægrotanti per modum cauſæ efficientis, & vrina per modum ſigni; primam partem probat ſcilicet eſſe relationem conuenientiæ, quia ratio boni idē eſt ac ratio cōuenientis; ſecundā partem, ſcilicet eſſe relationem realem probat ex Ariſt. 6. met. c. 2. tex. 8. vbi ait malum, & bonum eſſe in rebus, ſicut verum & falſum in intellectu: tertiam partem. ſ. Deo, & quibuſdam rebus conuenire extrinſecè probat, quoniam ratio conuenientiæ eo modo eſt in rebus, ſicut illę res alijs conuenire, & congruere dicuntur, Deus autem & quædam res creatę extrinſecè conueniunt alijs, ergo, ex quibus reſtat probata quarta pars, quia aliquæ res intrinſecè alijs conueniunt, ergo intrinſecè ſunt bonæ.

Sed contra hanc doctrinam, & omnes eius partes arguitur, nā ex prima parte ſequeretur Deum non eſſe in ſe formaliter bonum ex eo quod eſſet in ſe & à ſe perfectus, ſed ex eo quod haberet ordinem ad creaturas, & ſic prius non eſſet in ſe bonus, quam eſſent creaturæ, & non eſſet Deus, eiuſque natura, bonitas ipſa ſi penderet eius bonitas à creaturis poſſibilibus. Ad hoc reſpondet Durandus quod bene poteſt cōuenire Deo aliquid cum ordine ad creaturas ſine dependentia ab illis, ſicut dicitur Dominus, & Creator, & in propoſito dicitur bonus; ſed contra hoc eſt, nam ſaltem ſequeretur Deum non eſſe per eſſentiam bonum in ſe, ſi per ordinē ad creaturas eſt talis.

Contra tertiam partem arguitur (nam ſiuè ſit relatio rationis, ſiuè realis parum inter eſt, cum oppugnemus omnem relationem conuenientiæ, ex quo ſequitur impugnatio huius ſecundæ partis) ens, & bonum conuertuntur, igitur omnis res ex eo quod eſt ens eſt bona, & non per conuenientiam ad alteram, item quamplures res quibuſdam ſunt conuenientes, & bonæ, alijs autem diſconuenientes, & malæ, illæ igitur non magis bonæ, quam malæ, dicendę ſunt, & conſequenter res creatæ non dicuntur bonæ ſimpliciter

ex reſpectu conuenientiæ cum alijs,ſed abſolutè, & ſecundum ſe ratione ſuæ entitatis. Contra quartam partem, nam licet aliquid conueniat extrinſecè alicui,vt cauſa efficiens, nõ propterea ſolum extrinſecè eſt bonum,ſed habet ſuam bonitatem propriã, & intrinſecam, vt Sol quando eſt cauſa caloris,vel generationis, falſum eſt igitur quod ait Durandus de bonitate intrinſeca, & extrinſeca.

Secunda ſententia eſt aliorum recentiorum, qui conueniunt cum Durando, quod bonitas formalis conſiſtit in relatione conuenientiæ vnius rei cum altero, ſed dicunt illam relationem non eſſe realem,ſed rationis dumtaxat, ſed remanet improbata hæc ſententia cum prima de omni relatione,ſiuè reali,ſiuè rationis.

Tertia ſententia eſt Capreoli in 2.diſ.34.art. 1. concluſ.2. & 3. aſſerentis bonum formaliter conſiſtere in relatione rationis ad appetitum,quam ipſe appellat rationem perfectiuam alterius.

Sed contra Capreolum eſt,nam ſi bonitatem intelligat ipſe eſſe relationem conuenientiæ,ex qua aliquid appetitur impugnata eſt iam hæc ſententia,ſicut priores, ſi autem intelligat eſſe relationem appetibilis, contra hoc eſt,nam ratio appetibilis eſt poſterior ratione boni,ex eo enim quod res eſt bona appetibilis eſt, igitur non eſt ratio conſtitutiua boni, eo quod nullum poſterius conſtituere poſſit prius.

Quarta, & vera ſententia eſt Scoti in quodl. quæſt.28. quam etiam amplectitur Vaſques in prima p. diſput.23.cap. 4. & 5. & Henricus quodlibet 3.q.2.art.2.ad cuius intelligentiam diſtinctio bonitatis præmittenda eſt. Bonum enim tribus modis capitur, primo modo in ſeipſo,quatenus in ſe bonum eſt,& non alteri, ſecundo modo eſt,quod alteri bonum eſt, cuius ratio in relatione conuenientiæ,& congruentiæ cũ alio poſita eſt,&hoc dupliciter, aut eſt bonum in naturalibus,vt calor in debita proportione, & ſanitas in animali,aut in moralibus,& ſic actio moralis, quæ dicitur eſſe ſecundum rectam rationem, & conueniens naturæ rationali,qua rationalis eſt bona eſt; malum item capitur tripliciter, primo abſolutè bono oppoſitum: Secundo quod alteri non eſt conueniens,in naturalibus,vt calor aquæ. Tertio in moralibus,vt peccatum naturæ rationali,vt rationalis eſt.

Prima Concluſio in hac ſentẽtia eſt, bonum relatè,& quod alteri eſt bonum in ratione conuenientiæ poſitum eſt, ſiue ſit relatio

tio rationis,ſiuè realis, ſemper tamen in bonitate,& malitia morali eſt relatio rationis. Iſta concluſio de ſe patet,nec indiget probatione.

Secunda Concluſio inter illa,quæ dicuntur bona relatè, quædã primariò bona ſunt, quia ratione ſui alteri conueniunt, ſicut formæ accidentariæ conuenientes ſubiecto, vt calor igni, quædam ſecundariò bona ſunt, nempè ab effectu, quia aliquod bonum in ſubiecto efficiunt, & ſic vna ſubſtantia alteri dicitur bona.

Tertia Concluſio. Deus in particulari hoc genere bonitatis,eſt ſummè bonus creaturis,relatio tamen conuenientiæ, quæ eſt in ipſo eſt rationis,vt relatio omnipotentiæ,& dominij, & tamen ratio bonitatis primariò, non ſolum ſecundariò conuenit Deo; nimirum non ſolum, quia in illis aliquod bonum operatur, ſed quia ipſis ratione ſui proximè conueniens eſt, quia omnium rerum animantium,& inanimantium totum eſſe producit, & conſeruat,eſt etiam tali bonitate bonus Deus,bonitate morali, quippe qui nullius peccati eſt author, & omnis boni operis cauſa eſt effectiua,& primaria.

Hic tamen notandum eſt,iſtam bonitatem non eſſe illam,quæ conuertitur cum ente,& eſt eius paſſio,nam ſiuè res aliqua ſit conueniens, ſiuè diſconueniens alteri ſemper in quantum eſt ens habet bonitatem præſuppoſitam,& abſtractam à conuenientia,pro quo bona ſit.

Quarta Concluſio ratio bonitatis, quæ eſt paſſio entis eſt perfectio,& integritas rei in ſuo eſſe, & ſic idem eſt bonum hoc modo, ac perfectum,& integrum.

Hæc Concluſio colligitur ex Scoto in quol. q. 18. §. de p. bonitas,& in 4.d. 44. q. prima §. ad primam quæſtionem in fine hanc eandem doctrinam tradit D. Thom. in prima p. qu. 5. ab art. 1. vſque ad 5. quam deſumpſit ex Auguſtino lib. de natura boni c. 3. 4. & 5. vbi ait,conflari bonũ ex modo, ſpecie, & ordine,q̃ triá faciunt rem perfectam, & conſequenter bonam, quæ tria explicat Aug. c. 3. vt modus dicatur moderatio rei,id eſt temperies,& debita commenſuratio partium,ſpecies verò, qua res fit ſpecioſa, & pulcra,pulcritudo autem non eſt quæcumque bonitas,ſed quæ cognitioni, & viſui placet,& ordo eſt ſeries eorum, ex quibus res conſtat,& ordinatè conſtituitur,hoc eſt ergo bonum abſolutè, &

in

in ſe,quod ex his tribus conſtat, & cõfirmatur nam ſi aliquid iſtorum trium alicui rei deſit ipſa dicitur mala in ſe abſolutè, & non quod alteri ſit diſconueniens,vt homo cœcus, aut eques claudus, in his igitur conſiſtit bonitas.

Quinta denique Concluſio ſpecialis de Deo, ſolus Deus eſt bonus per eſſentiam; probatur,nam ſecundum Diu. Thom.quæſt.6. art. 3. primæ p tr. bonum eſt perfectum,vt ſupra diximus, & ſubdit,perfectio eſt triplex, prima eſt ſecundum quod in ſuo eſſe res conſtituitur, ſcilicet in quantum habet eſſe, & eſſentiam: ſecunda eſt prout illi rei aliqua accidentia ſuperadduntur ad ſuam perfectam operationem neceſſaria: tertia verò perfectio alicuius eſt per hoc quod finem attingit, omnia autem tria hæc habet ſolus Deus à ſe,& per ſui eſſentiam; Creaturæ autem habent à Deo, ſolus; ergo Deus eſt bonus per eſſentiam,habet quidem primum, nempe eſſe neceſſarium ab æterno vſque in æternum, creaturæ verò habent eſſe poſſibile,& defectibile, & hoc habent à Deo nõ à ſe; habet etiam ſecundum perfectiſsimo modo,quia ea, quæ ſunt in creaturis accidentia perficientia illas, ſunt in Deo ſubſtantiæ,& perfectiones identificatæ realiter cum illo, & habet tertium,quia vltimus finis eſt Deus ipſe, & per ſeipſum, ac in ſe ipſo beatus, cuius modi non ſunt creaturæ,hoc igitur modo ſolus Deus eſt bonus per eſſentiam.

DISPVTATIO QVARTA.

DE PERSONIS DIVINIS IN COMMVNI, Et de ijs,quæ ſibi conueniunt in quantum tres.

Hæc Diſputatio in plures Sectiones partienda eſt,

In prima agitur de Perſonis Diuinis, vti communicant in vnitate eſſentiæ,& ſubſiſtentiæ communi,& attributorum, & relationum communium,& inter ſe inuicem, & continentur in ea ſex Quæſtiones.

Secun-

Secunda Sectio tractat de productionibus Perſonarum,& principijs producendi, & continet ſex Quæſtiones.

Tertia de conſtitutione ipſarum Perſonarum, & diſtinctione ad inuicem,& habet ſex Quæſtiones:

Quarta de relationibus originis,& modis earum, & habet quattuor Quæſtiones.

Quinta,& vltima Sectio tractabit de Notionibus.

SECTIO PRIMA.

DE PERSONIS DIVINIS

Quatenus communicant in vnitate eſſentiæ, & ſubſiſtentiæ communi, & attributorum, & relationum communium, & inter ſe inuicem.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum cum vnitate eſſentiæ Diuinæ ſtet pluralitas Perſonarum?

PRæſupponimus in præſenti Quæſtione ex dictis in prima Diſputatione,vnam tantum eſſe Naturam Diuinam ſingulariſſimam in tribus Perſonis,contra quoſdam Hæreticos aſſerentes, in Trinitate eſſe plures Deitates, vnde colligebant eſſe plures Deos, de qua hæreſi loquitur Anſelmus lib.de Incarnatione Verbi c. 1. & inquit pullulaſſe in Gallia ſuo tempore,& eamdem Theodoretus lib.1.hæreticar. fabular. c.19. tribuit Peratis,& Nycefor.lib.18. hyſtoriæ ca.4 6. & 46. Ioanni Grammatico; vnitate igitur naturæ Diuinæ ſuppoſita, inquirimus pluralitatem,& diſtinctionem realem trium perſonarum.

Ratio dubitandi eſt illa famoſa,& communis propoſitio Philoſophi.3.phy.tex.21.& 7.topicor.c.1. ab omnibus recepta, quæ ſunt idem vni tertio ſunt idem inter ſe, & eadem identitate ſubdit Scotus in primo d.2.q.7.& in 4. diſ.10.q.3. ad 3. ſunt idem inter ſe,qua ſunt idem illi tertio, at omnes Catholici fatentur, tres diuinas Perſonas eſſe eaſdem realiter naturę diuinæ, ex Concilijs Toletanis 6.& 11. vbi dicitur confitemur Trinitatem vnius eſſentiæ

hoc nomen innaſcibile, ſeù improducibile declaratur Patrem nullo genere productionis produci, quod ſibi ſoli conuenit, vt propria notio propter rationes dictas.

Quidam Scotiſtæ putantes Scotum abſolutè aſſeruiſſe inſpirabilitatem eſſe notionem Patris, & Filij argumentis innituntur hanc opinionem probare, cum tamen Scot. conditionatè aſſeruerit hanc notionem nimirum, ſi qua ratio non obſtet eamque impediat, nō alia via ex mente Scoti aſſerenda eſt inſpirabilitas, ſit nec nè notio, quā reſpondendo ad rationes modo factas, easq; eneruando, vtemur igitur quibuſdam argumentis productis à P. Fratre Martino Meuriſſe recentiore Scotiſta pro reſponſionibus ad dictas rationes, quæ quidem ſi ſufficientes erunt, & rationes euacuabunt; aſſerenda erit notio inſpirabilitatis de mente Scoti, ſin minus neganda profectò erit ex mente eiuſdem Scoti.

Ad primam igitur rationem dictus auctor arguendo reſpondet, ingenitum benè poni poſſe, ſi doctis viris, inquit, videatur pro notione Patris, & Spiritus Sancti, prẹſertim cum Athanaſius non contentus notificare nobis Spiritum Sanctum per illam notionem procedens, ſeù ſpiratus addidit, ſeù præpoſuit non genitus, ſicut ergo eſſe ſpiratum eſt notio Spiritus Sancti, ſic etiam eſſe non genitum, & eodem modo ſicut eſſe ingenitum eſt notio Patris, & Spiritus Sancti, ſic etiam eſſe inſpiratum eſt notio eiuſdem Patris, & Filij; inſuper inquit eſſe inſpiratum additur Filio pro notione ad hoc vt magis pateat diſtinctio Filij à Spiritu Sancto, qui eſt ſpiratus, quod eſt oppoſitum non ſpirato.

Sed contra hoc eſt eadem prima ratio, nam ſi licebit addere in Spiritu Sancto pro notione non eſſe genitum, quia verè genitus non eſt, & ſi eodem modo licebit addere inſpiratum in Patre, & Filio pro eorum notione, potiori iure etiam licebit addere octauam notionem in Filio nimirum nō eſſe generatiuum, & nonam etiam in Spiritu Sancto non eſſe productiuum ad intra; & notanter dicitur potiori iure, ſiquidem illa habet maiorem notionis rationem in diuinis, quæ vni ſoli perſonæ competit, quam illa, quæ competit duabus: octaua autem, & nona vni ſoli competit, & ſexta, & ſeptima duabus; nouem ergo erunt notiones in diuinis; quis autem hoc affirmauerit, quo poſito, ad libitum erit multiplicare notiones diuinas, non igitur ſunt plures, quam quinque.

Ad ſecundam rationem reſpondet prædictus auctor in ſuo tra-

ctatu

ctatu de Trini.c.8.q.2.quod innaſcibilitas competit ſoli Patri,& inſpirabilitas Parri,& Filio,vt patet; ſed quod competit vni ſoli diſtinctum eſt ab eo , quod competit duabus ; ponenda eſt igitur pro diuerſa notione inſpirabilitas prædicta; inſuper inquit quod eſſe ingenitum diſtinctum eſt ab eſſe inſpiratum,vt patet;duæ igitur ſunt notiones iſtæ diſtinctæ.

Sed contra hoc arguitur eſſe inſpiratum ſufficienter , imò elegantius explicatur per eſſe ſpiratorem;ſicut.n.vna debeat eſſe ſpiratio diuina,& vnũ ſpiratum,eſſe ſpiratorem eo ipſo,& formaliter ad hoc propoſitum dicit eſſe inſpiratum : non eſt ergo ponenda inſpirabilitas pro notione diſtincta ab eſſe ſpiratore , & contra id quod addit,nempè ingenitum eſſe diſtinctum ab inſpirato; æquiuocat auctor iſte in illo nomine,ingenitum , ſiquidem in hoc propoſito non ſumitur ingenitum , vt ſingulariter diſtinctum ab inſpirato;quia ſi vt ſic ſolum Pater eſſet ingenitus,hoc nomen ingenitum in Patre non ſignificaret eſſe primum principium; quia quamuis Pater ingenitus ſit , quia non productus per generationem , vt ſic præcisè dici poteſt eſſe productum alia productione , quam generatione,& ſic ingenitum non ſignificaret Patrem diuinum eſſe ſimpliciter omninò primum principium ; ſumitur ergo hoc nomen ingenitum pro omni modo improducto , & vt ſic ingenitum includit inſpiratum,& conſequenter inſpiratum non eſt notio diſtincta ab ingenito.

Ad tertiam rationem reſpondet , ſicut magis nobis innoteſcit Pater per duplicem notionem,vnam negatiuam , alterã poſitiuã dumtaxat ingenitum,& genitorem,ſic etiam magis nobis Filius innoteſcit per duplicem notionem negatiuam , & paſſiuam,ideſt inſpiratum,& genitum .

Sed contra hoc nil aliud proferam quam illam propoſitionem fruſtra eſt fieri per plura, quod fieri poteſt per pauciora , & æquè benè,ſed ęquè,& magis benè innoteſcit nobis Filium eſſe inſpiratum per eſſe ſpiratorem propter rationem dictam nimirum , quod non poſſint eſſe in diuinis plures ſpirationes,& plures ſpirati,nec eſt ſimile de ingenito,& genitore in Patre; quia ſi ad notionem poſitiuam genitoris non adderemus aliam negatiuam nimirum ingeniti poſſet aliquis dicere genitorem eſſe Patrem , & ſimul genitum , vt in humanis ; rationes igitur prædictæ in ſuo robore manent , & conſequenter omnes notiones negandæ ſunt in diui-

diuinis præter quinque prædictas. Quamuis oppoſitum teneant alicui, inter quos eſt Pater Carouinca lib. 2. diſ. 4. q. 2. & Vulpes in 1. p. diſput. 61. art. 4.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum eſſentialia ſint priora, & immediatiora notionalibus ipſi Eſſentiæ Diuinæ.

PRimò notandum eſt eſſentiale in diuinis duplex eſſe ſecundũ Scotum in quol. q. 1. primum quod nullum reſpectum ad creaturas dicit. Secundum eſt quod dicit benè reſpectum aliquem, vt Dominus, gubernator, creator, conſeruator, & hoc tripliciter ſumitur primo pro fundamento in quo talis reſpectus aliquo modo fundatur, & non propriè; quia cum omnis relatio Dei ad creaturas ſit reſpectus rationis, ipſa non oritur ex natura fundamenti, ed ex operatione noſtri intellectus. Secundò ſumitur pro reſpectu tantum. Tertiò pro vtroq; conflato ex fundamento, & reſpectu. Exemplum eſt de omnipotentia, quæ primò eſt illa res abſoluta propter quam Deus dicitur omnipotens. Secundò eſt reſpectus ad obiectum omnipotentiæ. Tertiò eſt ipſa res abſoluta, vt ſub eſt tali reſpectui.

Secundò notandum eſt, quod optimis rationibus probat Scotus loc. cit. in Deo eſſe aliqua eſſentialia nullum reſpectum ad creaturas dicentia. Prima ratio eſt, nulla perfectio ſimpliciter includit per ſe relationem ad creaturas, ſed aliquod eſſentiale eſt perfectio ſimpliciter in diuinis, ergo, min. patet de bonitate ſapientia &c. ma. probatur; nam relatio ad creaturam non eſt ſimpliciter perfectio, imò imperfectionem includit, cum dependeat à creatura, quæ ſiuè in eſſe cognito, ſiuè in eſſe reali non eſt ens ſimpliciter perfectum, & neceſſarium; talis ergo relatio nequit includi in perfectione ſimpliciter.

Sed contra hanc rationem argui poteſt; nam intellectio diuina eſt perfectio ſimpliciter, & tamen neceſſariò terminatur ad creaturas in eſſe cognito, benè igitur poteſt eſſe aliqua perfectio ſimpliciter, & ſimul dicere reſpectum ad creaturam. Reſpondetur quamuis intellectio diuina neceſſariò terminetur ad creaturas, vt ad obiecta ſecundaria, cum tamen creaturę per illam ſint ab æterno

no productæ in eſſe cognito, non prærequiruntur illi, vt priora, nec requiruntur, vt ſimul natura ſicut terminus relationum, & ideò nihil ad eſſe intellectionis diuinæ creaturæ ab æterno fecerunt, nec faciunt, aut pertinent; vnde non ſequitur intellectio diuina non eſt ad terminum imperfectum, ideſt ad obiecta ſecundaria; igitur non eſt perfectio ſimpliciter. Nam duplex eſt eſſe ad aliquid, vel tamquam ad illud, à quo in tali eſſe dependet, vt dominium a regno, quo ceſſante, ceſſat dominium, & iſto modo non eſt intellectio diuina ad creaturas. Secundò modo tamquam non ad aliquid requiſitum ad ſuum eſſe, & ſic intellectio diuina eſt reſpectu creaturarum; ſi enim per impoſſibile creatura nec in eſſe cognito eſset, adhuc eſset dicta intellectio, imò ex ſua perfectione eſt, vt per ipſam creaturæ habeant eſse cognitum, & conſequenter dicit perfectionem ſimpliciter.

Secunda ratio eſt de intellectione beatifica, quod ſit eſsentiale non dicens reſpectum ad creaturas, ex eo quod ipſa eſt infinita in Deo; quia per ipſam Deus attingit obiectum beatificum, quod eſt infinitum ſimpliciter, ſed infinitas cuilibet relationi etiam reali repugnat; igitur intellectio beatifica Dei non dicit reſpectum.

Tertia ratio intellectus diuinus nullum reſpectum ad creaturas dicit; ergo aliquod eſsentiale eſt in diuinis ſine reſpectu ad creaturas in ipſo incluſo; probatur antecedens; nam intellectus eſt prior quocumque ſuo actu; igitur in ſui eſse, & eſsentia non includit reſpectum rationis ad creaturas, qui dependet ab actu intellectus, qui eſt poſterior ipſa intellectione, quæ eſt poſterior ipſo intellectu.

Tertiò notandum eſt, quod aliquid dupliciter dicitur eſse immediatius poſitiuè, & negatiuè: primo modo ſuperficies eſt immediatior parieti; quia eſt inter ipſam parietē, & colorē: ſecūdo modo eſt illud quod magis excludit, & negat mediū inter ſe, & illud, cui eſt immediatius, ergo riſibile homini eſt immediatius quam color, quia magis excluditur medium inter riſibile, & hominem, quam inter hominem, & colorem, inter quæ eſt ſuperficies media.

Quartò notandum eſt, quod ſicut triplex eſt diſtinctio realis, formalis, & rationis, ita triplex poteſt eſse ordo, primus realis, qui eſt inter ea, quæ realiter diſtinguuntur. Secundus formalis, qui eſt inter diſtincta tantùm formaliter, vel ex natura rei; non

ob-

obſtante quod ſit inter illa identitas realis, & ſic per talē ordinē idem poteſt eſſe prius, & poſterius; quia eſt ſolum præſuppoſito huius ab alio ſine vlla imperfectione,quæ quidem præſuppoſitio eſt inter eſſentiam, & eſſentialia, & inter ipſaſmet perfectiones eſſentiales. Tertius ordo,qui eſt rationis eſt inter ea, quæ præcisè habent eſſe per actum intellectus.

Prima ſententia in hac parte eſt P. Suar. de Trin. lib. 6. c. 4. vbi manifeſtè aſſerit,eſſentalia,quæ ſunt actus immanentes, vt intelligere, & velle conſiderati, vt determinati ad perſonas non eſſe priores notionalibus, & reddit rationem; quia vt ſic,vel ſunt ipſimet actus notionales,vel ſumuntur,vt habentes cum illis intrinſecam connexionem,& ideò concipi non poſſunt, vt priores illis;loquitur enim conſequenter ad ſuam ſententiam, quod actus intelligendi ſit productiuus Verbi,& ipſa productio, vt determinatus ad Patrem,& habens,connexionem neceſſariam cum productione.

Contra hanc tamen ſententiam primò eſt, quod probauimus ſæpè,intellectionem non eſſe productionem Verbi,ſed eſſe ipſum Verbum productum in creaturis,& ipſam operationem eſſentialem in diuinis neque habere in diuinis neceſſariam connexionem cum productione, nec reſpectu ſuarum entitatum, cum ſint duæ rationes formaliter diſtinctæ, nec reſpectu productionis Filij, ita vt ambæ neceſſariò requirantur ad eius productionem; nam vt infra in Diſp. de Filio probabitur, cum ipſe producatur ex fęcunditate naturæ, quæ fęcunditas non conſiſtit in actuali intellectione intellectus, ſed in memoria fęcunda per eſſentiam ſibi in ratione intelligibilis, & non intellectæ præſentem produci poteſt,& producitur neceſſariò Verbum diuinum, etiam ſi per impoſſibile nulla eſſet actualis notitia,& intellectio in Patre, ex hac ergo parte non rectè concluditur tales actus immanentes eſſentiales non eſſe priores notionalibus, vel quia ſint idem, vel quia neceſſariam connexionem habeant, quia nec ſunt formaliter idem, nec talem connexionem requirunt in Patre ad productionem Filij. Secundò eſt quod intellectio vt determinata ad Patrem ſit actus notionalis, vel quod habeat neceſſariam connexionem in Patre talis actus notionalis,& eſſentialis; nam inde ſequitur non fore priorem ipſam intellectionem in Patre, vel ſe ipſa vt notionali, vel actu notionali à ſe diſtincto, licet habeat

cum illo neceſſariam connexionem; tum quia hæc non eſt aliqua prioritas, in qua verificetur vnum eſſe, & alium non eſſe; tum quia neceſſaria connexio eſt eorum, quæ ſeparari non poſſunt, & nos iam præſupponimus tales actus eſſentiales, & notionales eſſe idem realiter, & non poſſe à ſe inuicem diuidi: quo non obſtante poteſt eſſe inter ipſos aliquis ordo vel formalis, vel rationis, qui ſtet cum identitate reali, qui eſt præſuppoſitio quædam vnius ad alterum, vel inquantum actus eſſentialis immediatius ineſt eſſentiæ, quam notionalis, quia inter intellectionem eſſentialem, & eſſentiam nihil mediat, inter intellectionem autem notionalem, & eſſentiam mediat intellectio eſſentialis, cum præſupponatur ad illam ſecundum Thomiſtas, vel in quantum ab eſſentia immediatius, & prius profluit actus eſſentialis, quam notionalis, ac per conſequens prius recipitur in Patre, actus igitur immanentes, vt intelligere, & velle etiam vt determinati ad Patrem ſunt priores notionalibus.

Tertiò quamuis ipſa intellectio in Patre eſſet vnicus ſimplex actus eſſentialis, & notionalis non ſolum realiter, ſed etiam formaliter ex natura rei idē habet tñ neceſſariò reſpicere duo ipſam eſſentiā diuinā, & ipſum Verbū. Primò modo dicitur actus operatiuus ad intelligendū. Secundò modo dicitur actus productiuus. Primò dicitur eſſentialis. Secundò notionalis, ſed vt operatiuus reſpiciens eſſentiam conſideratur vt prior ſeipſo, vt eſt productiuus reſpiciens Verbum, quia non vt poſterior, nec vt ſimul; Verbum enim ſecundum Thomiſtas producitur ex notitia eſſentiæ diuinæ, & omnium quæ ſunt in Deo, igitur intellectio, vt eſſentialis conſideratur prior ſeipſa, vt notionali, & per conſequens multo magis ſi dicamus intellectionem eſſentialem, & notionalem tantum habere connexionem neceſſariam, cum qua neceſſariò ſtare poteſt diſtinctio earum formalis, & ordo formalis ſecundum quem eſſentialis ſit prior, & præſupponatur etiam vt in Patre ad notionale.

Secunda ſententia eſt Scoti in quodlibetis qu. prima quod loquendo ſecundum eam diſtinctionem a ſe traditam, omne eſſentiale ſiue abſolutum ſiue relatiuum; ſed ſumptum pro fundamento abſoluto, & reali eſt prius, & immediatius quolibet notionali poſitiuè, & negatiuè; ſi verò eſſentiale importans reſpectum ad extra ſumatur pro ipſo reſpectu, veluti ſubeſt tali reſpectui, omne

notio-

notionale eſt prius, & immediatius negatiuè ſolum illo eſſentiali,cum hac tamen conditione quod talis ordo inter eſſentialia, & notionalia in diuinis ſit formalis,vel rationis, non realis.

Hæc ſententia tres habet partes. Prima pars, quod omne eſſentiale abſolutum, vel relatiuum, ſed captum pro entitate reali, & fundamentali talis relationis ſit prius, & immediatius omni notionali. Probatur primo, quod eſt immediatius perfectiſſimo eſt perfectius,ſed nullum notionale illorum quinque præcedentis quæſtionis quarum quatuor ſunt relationes, & alterum eſt negatio dicit perfectionem formaliter,vt in ſuperioribus probatum eſt,& è contra eſſentialia dicunt talem perfectionē, igitur iſta ſunt immediatiora eſſentiæ diuinæ, & priora illis. Secundò perfectiones naturæ,quæ ſunt ſpecificæ immediatius ſibi competunt,quam perſonales, ſed eſſentialia abſoluta ſunt perfectiones naturæ; notionalia verò ſunt proprietates perſonales;ergo, &c. Tertiò,omnis actus præſupponit potentiam à qua procedit, & potentia immediatior eſt naturæ, quam actus potentiæ; ſed notiones illæ quatuor ſunt actus potentiarum nempe intellectus, & voluntatis,& etiam memoriæ; igitur intellectus,& voluntas quę ſunt eſſentialia ſunt priora productionibus notionalibus.

Secunda pars quod eſſentiale relatiuum ad extra, vt ſubeſt relationi,& vt eſt ipſemet reſpectus ad extra ſit poſterior notionali, & hoc immediatius illo negatiuè probatur primo. Creatura ſubſequitur Trinitatem; quia producitur in eſſe cognito, completa productione ad intra igitur eſſentiale, vt includit reſpectum ad creaturam ſubſequitur trinitatem, ac per conſequens eſſentiale ſub reſpectu ad creaturas eſt poſterius omni notionali, quod conſtituit perſonam: prima ſequela probatur,nullus reſpectus poteſt eſſe prior ſuo termino eſſentiali, igitur vt ſubeſt tali reſpectui ad creaturas non poteſt eſſe prius illis. Secundò omne tale eſſentiale cum ſubſit reſpectui rationis ad creaturas non conuenit Deo, niſi per actum intellectus comparantis tale eſſentiale ad extra; ſed notionale quodlibet competit Deo ex natura rei ſine opere intellectus, ergo tale opus intellectus non requiritur inter eſsentiam, & notionale, ſicut requiritur inter eſſentiale relatiuum, & eſſentiam, & conſequenter notionale immediatius competit eſſentiæ, quam tale eſſentiale.

Digitized by Google

Tertia pars quod talis ordo ſit tantum formalis non realis: Probatur primò; quia talia non diſtinguuntur realiter, ſed ex natura rei, & formaliter ſecundum Scotum, vel ratione ſecundum D. Thom. ex quibus diſtinctionibus ſequitur vel ordo formalis, qui ſit non temporis, vt non ſit prius tempore altero, & conſequenter diuiſum ab illo, & ideo diſtinctum realiter, ſed ſit ordo naturæ, qui eſt præſuppoſitio vnius ad alterum abſque imperfectione, & alietate naturæ, vel ordo originis impropriè ſumptus nimirum in quantum ab eſſentia emanant pullulant, atque originem habent ſecundum aliquem ordinem naturalem, & non quod ſit ordo originis proprius, qui eſt inter originatum & originans, generantem, & genitum, ſpirantem, & ſpiratum; quia eſſentia diuina nec generat, nec ſpirat; ſed eſt fons, atque origo omnium perfectionum, & formalitatum diuinarum, & omnium quæ ſunt in diuinis eſsentialium, & notionalium.

DISPVTATIO V.

DE PATRE.

ACTVM eſt iam in præcedenti Diſputatione de identitate, emanatione, eiuſque principij, & de conſtitutione diuinarum perſonarum in communi, ideſt de illis, in quibus tres perſonæ conueniunt, atque communicant; operepretium eſt deſcendere ad venandum earum diſtinctionem, & originem, atque fundamentum talis diſtinctionis, quo videlicet à ſe inuicem diſcernantur, & per quod aliquæ proprietates, & operationes ita vni perſonæ conueniant, vt cæteris repugnent, & cum Pater ſit principium Trinitatis, & ab illo omnis diſtinctionis origo proueniat, non quidem formaliter, ſed principiatiuè; de illo nobis primo loquendum eſt, eiuſque ratione, & proprietatibus.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum paternitas conueniat Patri per aliquid prius ſibi inexiſtens.

IN ſuperioribus conſtat, paternitatem eſſe proprietatem conſtituentem Patrem, nunc inquirimus, vnde ipſa paternitas proueniat in Patre, non quidem originaliter (cum enim Pater ſit prima perſona, & ideò improducta, eius paternitas nullum tale principium habere poteſt, nec per veram, & realem proceſſionē oriri, & in hoc ſenſu non habet à quo paternitas ſit, ſed à nullo eſt, ſic ipſa diuinitas) ſed fundamentaliter, ideſt quæ ſit ratio, & quaſi fundamentum talis paternitatis, ſicut dicimus vnum attributum eſſe fundamentum alterius, & voluntatem Deo conuenire; quia eſt intellectualis, & omnipotentiam conuenire reſpectu creaturarum; quia eſt agens infinitum.

Prima opinio eſt D. Bonau. in 1. diſ. 27. dicentis, paternitatem prouenire in Patre à generatione, & ipſam generationem eſſe fundamentum paternitatis; ideò enim dicitur Pater, quia genuit, ſicut etiam in creaturis dicitur, à quibus hanc rationem Bonau. ſumpſit. Hæc ſententia adminus videtur committere circulum; dicere enim poſſumus ideò Patrem generare; quia eſt actu exiſtens in rerum natura; prius eſt enim res eſſe, & poſtea operari, ſed Pater diuinus eſt in rerum natura, & conſtituitur in tali eſſe per paternitatem, igitur paternitas eſt prius generationè, & eſt eius fundamentum ex hac parte, ideò enim generat; quia Pater eſt, ſed eſt per paternitatem, igitur per paternitatem generat.

Neutra tamen hæc ratio contradictoria aliquid valet ad probandum vel generationem eſſe priorem paternitate, eiuſque fundamentum, vel è conuerſo paternitatem eſſe priorem, & fundamentum generationis; tum quia, vt ſupra probatum eſt hæ non ſunt diſtinctæ inter ſe, ſed ſunt vnica forma, & ratio formalis, & per conſequens vna non poteſt eſſe prior altera, nec fundamentum eius; tum quia vtraque ratio poteſt alteri reſpondere: nam prima ratio D. Bonau. reſpondet ſecundæ rationi, quod generatio capitur dupliciter, vt forma conſtituens, & vt actus fluens primo modo eſt prior paternitate, & eius fundamentum, non autem

ſecundò modo; ſed hoc impugnatum eſt q.3.præced. diſput.ſec.3 & è contra. Secunda ratio poteſt reſpondere primæ rationi,quod paternitas dupliciter ſumitur,vt proprietas conſtituens,& vt forma referens, primo modo eſt prior originatione, & conſtituit Patrem, & eſt fundamentum originationis, non autem ſecundò modo; ſed hoc etiam improbauimus loc.cit.oſtendendo paternitatem re ipſa eſſe vnicam formam, & proprietatem perſonalem ſimul conſtituentem perſonam Patris,ipſamque referentem,nulla in ipſa facta diſtinctione, igitur ex hac pręciſa ratione, quod vna ſit prior altera,& conſtituens perſonam, non rectè probatur alteram ipſarum eſſe fundamētum,& rationem alterius, cū vtraque ex ęquo,& primo conſtituat perſonam Patris,vel cogeremur aſſerere vtramque eſſe priorem altera, & vtramque fundamentū alterius in ſe inuicem quod eſt contradictorium.

Secundò arguitur contra eamdem ſententiam,eſto quod generatio ſit prior paternitate eiuſque fundamentum inquiri vlterius poteſt, vnde ipſum generare proueniat in Patre vel enim prouenire poteſt ab eſsētia diuina nuda,vel ab aliqua proprietate priori determinante eſſentiam diuinam ad generationem,vel à nullo alio proueniat,ſed ſeipſa primo conueniat Patri. Primum non eſt dicendum;eſſentia enim diuina nudè ſumpta non generat,nec eſt ſufficiens principium generandi. Si ſecundum dicas,vel illa proprietas prior eſt ipſa paternitas, quod eſt contra dictam ſententiam, vel eſt aliqua alia proprietas adhuc incognita, & innominata à Theologis. Tertium igitur habet dicere Bonau.ſed iam probatum eſt generationem non vt diſtinctam à paternitate,ſed vt eamdem, & ſimplicem formam conſtituere perſonam Patris cum eſſentia diuina, ex quò ſequitur generationem non poſſe eſſe priorem paternitate nec eius fundamentum.

Secunda ſententia eſt aliorum dicentium, cum intelligere ſit duplex,eſſentiale & notionale,& ipſum eſſentiale,vt determinatum per paternitam ad perſonam Patris, & ſic notionale effectū ſit ratio dimanationis realis Filij à Patre,& per conſequens fundamentum filiationis,ſic etiam ipſum intelligere eſſentiale,antequam determinetur ad Patrem,& ſic eſsentiale exiſtens (dicunt enim hi authores, cum quibus eſt Suar.diuinam eſsentiam antequam determinetur ad perſonas eſse ex ſe intelligentem,& ſe ipſam actu intelligere,ex quo actu intelligendi pullulat paternitas

ſecundum rationem, non ſecundum rem) ſit fundamentum, & ratio paternitatis in Patre.

Hæc ſententia probari poteſt aliquibus congruentijs. Prima; ſi paternitas conſtituit Patrem principium productiuum per intellectum; igitur ipſa ſuo modo conſequitur actum intellligendi. Secundò alia ratio reddi non poteſt quare paternitas conueniat in diuinis prius quam quælibet alia proprietas perſonalis, niſi quia actus intelligendi eſt prior omnibus alijs actibus, igitur paternitas iſtum actum conſequitur. Tertiò ſpiratio actiua in Patre,& Filio conſequitur ad actum diligendi,igitur ipſa paternitas in Patre conſequitur ad actum intelligendi.

Hæc ſententia primo ſupponit quod eſt falſum apud Scotiſtas, vt in ſeq. Diſput. probabimus, nempe actum intelligendi eſſe rationem dimanationis Filij; ſiquidem Filius adhuc produceretur, etiam ſi per impoſſibile nullus actus intelligendi eſset in diuinis, & ideò Filij dimanatio aliundè prouenit, nimirum a fęcunditate naturæ, & memoriæ diuinæ; quandocumque autem vna actio conuenit ratione vnius diſtincti, & ſeparati ab alio,ratione illius præcisè conuenit illi talis actio, etiam quando eſt idem, & coniunctum cum illo alio; ſed ſi fęcunditas naturæ eſset in diuinis ſine actu intelligendi, adhuc ibi eſſet productio Verbi, igitur exiſtente iam actu intelligendi ratione præcisè fęcunditatis conuenit Deo producere Filium non ratione actus intelligendi.

Secundò hæc opinio non eſt reſponſiua quæſtioni,quæ inquirit de principio nō quidem productiuo,vel quaſi productiuo,ſed fundamentali,& virtuali; Thomiſtæ verò dicunt actum intelligendi eſſe vel ipſum principium productiuum Filij, vt Suares, vel pertinere ad principium productiuum Filij,vt alij, & ideò non valet de ratione,& principio paternitatis in Patre, quæ nullum habere poteſt,nec quaſi principium productiuum,vt patet.

Tertiò quamuis actus intelligendi notionalis eſſet principium etiam fundamentale filiationis non ſolum productiuum, nō propter hoc paternitas requirit ſimilem actum intelligendi, ideſt eſſentialem; tum quia paternitas non ſequitur per quamdam intrinſecam reſultantiam à natura ex operatione aliqua; ſed ſupponitur ad omnem operationem; quia actiones ſunt ſuppoſitorum, igitur paternitas non conſequitur ex aliqua operatione naturæ diuinæ: tum quia falſum eſt diuinitatem ante quam deter-

minetur ad perſonas eſſe actualiter intelligentem ſeipſam ; præſertim in ſententia, quæ negat dari indiuiduum deitatis, & ſubſiſtentiam communem, & abſolutam propriam naturę diuinę: tum quia dato, & non conceſſo quod natura diuina ſe ſola intelligere poſſit, cum tamen ad productionem naturalem ſe habeat per modum naturæ, ideſt vt principium quo, non quod, ipſa vt non eſt intelligens eſt radix, & ratio ſuæ primæ perſonalitatis.

Ad primam rationem huius ſententiæ reſpondetur paternitatem non neceſſariò debere conſequi ad actum intelligendi, ſicut ipſa conſtituit principium productiuum per intellectum, & ratio eſt quia prima intellectio actualis in diuinis eſt in Patre iam per paternitatem conſtituto, & nulla alia intellectio præſupponitur ad ipſam paternitatem, & Patrem.

Ad ſecundam rationem mox infra oſtendemus, vndè proueniat, quod paternitas ſit prius coniuncta eſſentiæ diuinæ, quam aliæ proprietates perſonales.

Ad tertiam reſpondetur falſum eſſe ſpirationem conſequi ad actum diligendi ; quia vel eſt ipſemet actus diligendi ſecundum Thomiſtas, vel non neceſſariò præſupponit illum ſecundum Scotiſtas; nam quamuis nullus actus diligendi per impoſſibile eſſet in diuinis, Spiritus Sanctus adhuc produceretur per ſpirationem, vt per actum producendi ipſum ex fęcunditate nimirum voluntatis diuinę, vt habentis diuinam eſſentiam in ratione diligibilis, & nõ actu dilectæ, ſicut intellectus producit Verbum, vt habens eſſentiam actu intelligibilem, non actu intellectam.

Tertia, & vera ſententia eſt, quod illa prima proprietas, quæ paternitas dicitur habet naturam diuinam, vt primum proprium, & immediatum fundamentum, nulla alia mediante operatione, vel productione, quod probatur, nam vna quęque natura ſubſtantialis eſt ſufficiens principium ſuæ perſonalitatis ſibi connaturalis, & ſi natura, quæ eſt in perſona per productionem ideſt per creationem aut generationem eſt immediatius principium ſuæ productionis, & per conſequens talis perſonalitatis, multo magis immediatè, & per ſe natura ſecũ habet perſonalitatem, quando eſt in perſona improducta ; ſed hoc contingit in Patre diuino improducto, ergo.

Si autem inquiras, quare illa prima proprietas ſit relatiua potius, quam abſoluta ; Reſpondetur, quia natura diuina iam ex ſe

com-

communicata,& determinata ad primam perſonalitatem adhuc eſt fęcunda duplici fęcunditate dumtaxat intellectus, & voluntatis; quia natura diuina eſt eſſentialiter, & quidditatiuè intellectualis, ideò petebat communicari primò per modum partus, qui eſt actus intellectus prior actu voluntatis, poſtea per modum ſpirationis, qui eſt actus voluntatis, & ideò prima proprietas perſonalis, quæ eſt conditio producentis conſtituens primum ſuppoſitum in eſſe perſonæ. Paternitas debet eſſe, non habens aliud fundamentum præter eſſentiam diuinam, à qua dicto modo immediatè profluit.

Sed contra hanc ſententiam arguitur; nam filiatio Filij, & ſpiratio S.S. immediatè, & ęquè primò fundantur in eſſentia diuina, quia vt ſępè probatũ eſt, proprietas perſonalis, & vt origo, & vt relatio ſumpta eſt vnica entitas, & ratio formalis, ac per conſequẽs proprietas perſonalis Patris quatenus eſt generatio actiua non poteſt eſſe fundamentum paternitatis, nec generatio paſſiua fundamentum filiationis, nec ſpiratio paſſiua fundamentum proceſſionis, igitur filiatio Filij, & proceſſio Spiritus Sancti ita immediatè fundãtur in eſſentia diuina, ſicut paternitas, cõſequens autem eſt falſum, vt patet ergo & antecedens, nempè quod paternitas eſt prima perſonalitas in diuinis; ideò habet eſſentiam diuinam pro immediato fundamento, & è conuerſo; quia paternitas habet eſſentiam diuinam pro fundamento immediato, ideò eſt prima proprietas in diuinis; quoniam iſta conuerſio non valet in filiatione, & ſpiratione, vt patet; igitur nec valet in paternitate.

Huic rationi reſpondetur, & ſimul traditur doctrina de determinatione eſſentiæ diuinæ. Ad primam perſonalitatem, & perſonam, & ad alias perſonas latam à Scot. in primo diſ. 28. quæſ. 3. dupliciter enim dicitur aliquid eſſe primum primitate adęquationis, & primitate immediationis: vbi notandum eſt quod quãdo vnum eſt illimitatum ad plura ordinatè, reſpectu illorum non dicitur primum vtraque primitate, vt Sol eſt illimitatus illuminando totum mundum, & partes eius, ita tamen primo illuminet totum, vt adęquatè ſolum non immediatè illuminet, quia illuminat illud cum oritur, & ità primò illuminat proximiorem partem vt immediatè ſolum, non adęquatè illuminet eam, quia vltra illam illuminat alias partes. exemplum autem magis accomodatum

tum de inexiſtentia illimitata naturæ diuinæ in tribus perſonis, eſt de anima rationali in corpore,& in partibus eius, quod adduximus ad aliud propoſitum in prima quæſt. Sect. primæ præced. Diſput. Anima enim eſt illimitata ad informandum totum corpus,& omnes partes eius cum aliquo tamen ordine; nam primo primitate adęquationis informat totum continens omnes partes; primo autem primitate immediationis informat cor,& mediante illo informat cæteras partes; quia ſecundum Ariſ. 19. de animalibus, eſt aliquis ordo originis, & naturæ in exiſtendo, & habendo animam inter partes corporis, quarum prima eſt cor, & propterea reſpectu animæ,& cuiuſcumque entis illimitati non eſt idem eſſe primum primitate adęquationis,& primitate immediationis; quod ſi partes corporis eſſent entia ab inuicem diuiſa, & per ſe ſubſiſtentia, & conſequenter eſſent ſuppoſita,anima informaret omnia illa ſuppoſita,nempè cor,caput,manus, pedes; quia illimitata eſt reſpectu illorum, cum hoc tamen, quod informaret illa ordinatim,ideſt prius cor, quam cæteras partes, cum ipſum ſit prius omnibus partibus, eodem modo eſſentia diuina eſt illimitata ad exiſtendum in tribus perſonis cum aliquo tamen ordine originis, & primo adęquatè, eſt in omnibus tribus, non in vna ſola; ſed primo immediatè eſt in ſolo Patre, & mediante ipſo eſt in cæteris perſonis duabus; quando ergo in argumento dicitur filiationem,& proceſſionem immediatè fundari ſuper eſſentiam diuinam concedimus,non tamen inde ſequitur eſſentiam diuinam fore in tribus perſonis æque primo, ideſt immediatè, & vnum adęquatè ſit in omnibus tribus, inde ſequitur omnes perſonalitates in eſſentia nuda fundari.

Modus autem determinationis eſſentiæ diuinæ ad primam perſonam,& primam perſonalitatem eſt diuerſus à modo determinationis ad alias perſonas; nam ad Verbum eſſentia diuina determinatur media generatione, ad Spiritum Sanctum media ſpiratione, & quælibet natura creata determinatur ad ſuppoſitum creatum media creatione, vel generatione, vel ad ſuppoſitum increatum, vt natura humana Chriſti ad ſuppoſitum Verbi media incarnatione; natura verò diuina ad primam perſonam, & perſonalitatem, ideſt ad paternitatem nulla productione media,ſed de ſe ſola primo,& immediatè determinatur.

Duæ difficultates oriuntur ex hoc vltimo dicto; prima eſt quoniam

niam natura, quæ de ſe determinatur ad vnum ſuppoſitum non poteſt ad alterum determinari, ſed eſſentia diuina de ſe determinatur ad primam perſonam; igitur ad ſecundam, & tertiam de ſe determinari non poteſt.

Secunda difficultas eſt; nam propoſitio illa, de, vel, ex, denotat cauſam vel materialem, vt homo eſt ex carne, & huiuſmodi determinari non poteſt eſſentia diuina ad perſonas; quia nec eſt materia, nec quaſi materia; vel denotat cauſam formalem, & in hoc requiritur cauſa efficiens, à qua eſſentia diuina determinetur ad perſonas; nam forma per efficientis actionem alteri communicatur, & per conſequens communicatur eſſentia diuina, & determinatur ad Patrem per actionem cauſæ efficientis: vel denotat ipſam cauſam efficientem, ex quo ſequitur eſſentiam diuinam fore cauſam efficientem, & producentem ipſum Patrem.

Ad primam difficultatem reſpondetur duplicem eſſe indeterminationem. Altera eſt ad plura contradictoria, vt materia eſt indeterminata ad formam, & eius negationem; non enim magis ſibi determinat de ſe formam, quam priuationem eius: altera eſt indeterminatio ad plura poſitiua, vel contraria, vt homo eſt indeterminatus ad ambulandum ante, & retro, vel diſparata, vt lapis eſt indeterminatus ad exiſtendum hic vel illhic: inuenitur etiam determinatio duplex conſequens duplicem iſtam indeterminationem contradictoriam, & poſitiuam. Vbi notandum eſt quod aliquid poteſt eſſe determinatum ad vnum contradictorium, & indeterminatum ad vtrumque poſitiuorum, ſiuè contrariorum ſiuè diſparatorum; lapis enim eſt ita determinatus de ſui natura ad vbi deorſum, quod nullo pacto poſſit de ſui natura ad vbi ſurſum determinari, & ſtante hac determinatione eſt indeterminatus ad exiſtendum in ſiniſtro, vel dextro latere, & ad hunc, vel illum locum; natura igitur diuina eſt ita determinata ad exiſtendum in perſonis, quod non poſſit determinari ad non exiſtendum in illis, & hæc determinatio eſt contradictoria; qua ſtante, manet adhuc indeterminatio ad plura ideſt ad exiſtendum in pluribus perſonis; quando ergo dicitur in argumento eſſentia diuina de ſe ſibi determinat primum ſuppoſitum, vel primam perſonam; ergo non poteſt ad alias determinari, verum eſſet, ſi vtraque determinatione eſſet determinata contradictoria, ſcilicet, & poſitiua; ſed ita eſt determinata ad exiſtendum in perſonis diuinis, vt ſit etiam inde-

ter-

terminata ad exiſtendum in pluribus perſonis,& non determinata ad vnam ſolam perſonam.

Sed contra arguitur, quod de ſe eſt indeterminatum ad plura eſt æquè primò in omnibus illis pluribus, & ita determinatur ad vnum,ſicut ad alterum; non enim eſt maior ratio quare ad vnum magis,vel prius determinetur ad vnum,quam ad alterum; igitur eſſentia diuina cum ſit de ſe indeterminata ad plura,non magis ſibi determinat Patrem,quam Filium,& Spiritum Sanctum; quoniam ſi magis ſe ad Patrem determinaret,iam eſſet determinata ad Patrem,& non ad Filium,& Spiritum Sanctum,ac per conſequens eſt æquè primò in tribus perſonis. Reſpondetur aliud eſt aliquid ſibi determinare magis vnum,quam aliud,& ſibi determinare prius vnum,quam aliud; eſſentia diuina non magis ſibi determinat ad Patrem, quam cæteras perſonas, & ex hac parte æquè primò eſt omnibus; ſed cum ſit in illis cum aliquo ordine, ideſt originis,prius ſibi determinat Patrem,& de ſe determinatur ad illum,quam ad alias perſonas.

Ad ſecundam difficultatem reſpondetur,quod ly,de ſe,non dicit principium materiale,nec efficiens,ſed formale dumtaxat nō quidem informans,ſed dans eſſe, quod eſt perfectionis; quando dicimus naturam diuinam de ſe determinari ad primum ſuppoſitum,& ratio eſt;quia cum quælibet quidditas,& forma dans eſſe, vel natura cuiuſcumque ſuppoſiti,vt humanitas hominis,& equinitas equi prærequirat efficiens ad hoc vt ipſa determinetur ad ſuum ſuppoſitum, nunc inquiritur de illo efficienti quomodo habeat naturam ad ſe determinatam ab alio efficiente,an de ſeipſa ſola determinata ad ipſum,ſi dicas ab alio efficiente,idem inquiri poteſt de illo alio à quo habet naturam;ne detur ergo proceſſus in infinitum,deueniendum eſt ad vnam primam naturam per ſe exiſtentem,quæ primò per ſe, & ex ſe ſit in aliquo ſuppoſito non requirens efficiens,vt determinetur ad illud ſuppoſitum,& illud erit primum ſuppoſitum, & primum principium determinans, tum naturam diuinam ad intra primò per generationem intellectualem ad Filium, & hoc ſe ſolo: ſecundò per ſpirationem ad Spir. Sanct. & hoc ſimul cum Filio: tum natura creata ad ſuppoſitum creatum ad extra,vel immediatè per creationem,vt naturam humanam ad Adam ſimul cum Filio,& Spir.Sanct.vel mediatè per generationem, vt naturā humanam ad Cain tota Trinitas ſimul

cum

cum Adamo tamquam medio ad generandum illum;natura ergo diuina nullo medio principio actiuo,& nulla preuia actione de ſe ſola determinatur ad Patrem,& paternitatem,quæ eſt prima entitas incommunicabilis.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum ingenitum ſit proprieta s Patris dicens formaliter priuationem, vel negationem, an poſitiuum.

POſterior pars huius quæſtionis prius expedienda eſt, in qua refert Bonau.in 1.diſ.28.q. 2. opinionem aſſerentem ingenitum pro formali ſignificare relationem quamdam poſitiuam ad genitorem,vel prius ad non genitorem. Fundamentum huis eſt deſumptum per exemplum à quantitate;ſicut enim inter quantitates nō ſolum eſt relatio realis æqualitatis, ſed etiā inæqualitatis.Quantitas enim eſt ſecundum quam ęquales,vel inæquales dicimur, ſic etiam in propoſito non ſolum relatio geniti,ſed etiam ingenito eſt poſitiua & realis,& genitum refertur ad genitorem; ingenitum ad ingenitorem.

Sed friuolam eſſe hanc ſententiam ſatis conſtat; nam ſi Pater ingenitus,vt ſic refertur ad ingenitorem,hoc erit, vel ad aliquam perſonam priorem,vel poſteriorem ſe. Primum dici non poteſt, cum nulla talis perſona inueniatur prior Patre in diuinis & per conſequens nullus terminus realis prior illo,& conſequenter nulla habitudo,& reſpectus realis ad aliquod prius ſe;ſi ſecundum aſſeras quod Pater dicatur ingenitus à Filio,& Spiritu Sancto; hoc etiam falſum eſt; Primo quia eſſe ingenitum in Patre eſt prius Filio, & Spiritu Sancto; ſi enim, inquit Auguſt. Pater Filium non genuiſſet, nihil prohiberet ipſum eſse ingenitum, igitur ingenitum eſt prius Filio in diuinis, & conſequenter, vt ſic referri non poteſt ad Filium. Secundò quia etiam inter homines quando dicimus Petrum non generari à Franciſco, qui non eſt eius Pater, non ponimus aliquam relationem realem,& poſitiuam in Petro, & Franciſco. Dicendum eſt igitur ingenitum pro formali ſignificato dicere priuationem,quod probatur, & declaratur à Conc. Tolet. 11. Si modum,quo Pater conſiſtit,quæras,cum eum à nullo alio ortum videas,ingenitum dicas, & Baſil.lib. 5.contra Eu-

nomium

nomium inquit,ingenitum,quod natum non ſit,oſtendit. Ex his facile conſtat quid ſit dicendum ad primam partem quæſtionis, pro qua.

Primò notandum eſt genitum trifariam dici ſecundum Scot. in primo diſ. 28. quæſt. 2. primò dicitur genitum id quod eſt primus,& adęquatus terminus generationis,vti eſt Filius in diuinis.

Secundo dicitur genitum id quod per generationem communicatur,& hoc dupliciter,vel vt terminus formalis generationis, ſicut in diuinis eſſentia diuina ab Hilar. lib.4. de Trin. dicitur nata,& genita,quando inquit nihil niſi natum habet Filius, ideſt eſſentiam,quæ impropriè & cum explicatione, & addito, ideſt vt terminus formalis generationis dicitur nata, ideſt Filio communicata,vel vt conditio termini primi, & adęquati generationis, & hoc pacto filiatio dici poteſt nata,& genita.

Tertiò dicitur genitum id quod habet eſſe per quamcumque productionem, ſiuè ipſa ſit generatio, ſiuè quælibet alia productio,ſiuè illud ſit primus terminus,& totalis,ſiuè terminns formalis,ſiuè conditio termini totalis, & hoc pacto Spir. Sanct. poteſt dici genitus,& natus, ſed impropriè, & cum explicatione, ideſt productus, alioquin falſum eſt ipſum dici genitum. primo modo genitum dicitur propriè. ſecundo modo impropriè. tertio modo improprijſſimè.

Secundò notandum eſt, quod relicta negatione extra genus, quæ non ſemper præſupponit ſubiectum de quo dicatur;ſiquidem ipſa dicitur tam de ente,quam de non ente, vt non lapis dicitur de homine,& de Chimera; negatio, inquam, intra genus, de qua hic loquimur, & eſt propriè priuatio duplex eſt, vel enim eſt negatio formæ in ſubiecto capaci ſecundum naturam propriam, & ſpeciem,vt catulus dicitur habere priuationem, & eſſe priuatum viſu poſt nonum diem;quia eſt capax viſionis ſecundum ſuam ſpeciem poſt nonum diem. Secundo dicitur negatio formæ in ſubiecto capaci non ſecundum ſpeciem,ſed ſecundum genus, & quanto illud genus eſt inferius,& proximius ſubiecto capaci, eo proprior eſt priuatio, vt talpa dicitur cæca; quia eſt capax viſionis non ſecundum ſpeciem talpę,ſed ſecundum genus animalis,quod eſt commune talpæ,& alijs ſenſitiuis. Planta etiam dicitur cæca, quia eſt capax viſionis non ſecundum ſpeciem, nec ſecundum genus proximum,ſed ſecundum genus remotum,quod eſt commune

ſen-

ſenſitiuis, & vegetatiuis, & ideò magis propriè dicitur catulus cæcus, quam talpa, & talpa quam planta, & planta quam lapis.

Tertiò eſt obſeruandum, ingenitum triplex eſſe oppoſitum triplici genito dicto, ideſt primò, ſecundò, & tertiò modo, in primò notando, & vnumquodque illorum ingenitorum habet duas ſignificationes, quæ procedunt ex duplici ſignificatione illius vocis priuatiuè, in, in ſecundò notabili dictę, ita quod ingenitũ oppoſitum genito primò modo, ideſt quod non eſt terminus primus, & adæquatus generationis dupliciter ſumitur, vel enim dicit priuationem in ſubiecto capaci, ſecũdum naturam propriam, vel dicit priuationem in ſubiecto capaci non ſecundum naturam, & ſpeciẽ ſed ſecundum genus; eodem modo dupliciter dicitur ingenitum ſecundò, & tertiò modo dictum.

Quartò denique notandum eſt, quod ſicut homo dupliciter conſideratur ſecundum naturam ſpecificam hominis, & ſecundum naturam genericam animalis, ita quælibet perſona diuina dupliciter conſiderari poteſt, ſecundum propriam, & ſingularem rationem, & ſecundum rationem communem ſuppoſiti abſtrahentis ab hoc, & illo ſuppoſito, & ſicut homini nihil deficit quoad illa, quæ ſibi competunt, vt homo eſt, multa tamen ſibi deficiunt ſecũdum quod eſt animal, vt eſſe rugibile, & hinnibile, ità nihil deficit perſonæ diuinæ ſecundum ſingularem rationem, quia habet quicquid ſibi competere poteſt, & nullus defectus, nec priuatio propriè in diuinis cadere poteſt; poteſt tamen illi deficere aliquid ſecundum rationem communem ſuppoſiti, cui competit generari, quod repugnat Patri, qua Pater eſt, & hæc priuatio non dicit imperfectionem.

Prima Concluſio. Si ingenitum ſumatur, vt dicit priuationem propriè dictam geniti omnibus illis tribus modis nulli perſonæ competit eſſe ingenitum. Primò probatur, nam talis priuatio propriè dicta dicit imperfectionem, ideſt defectum eius formæ, quæ nata eſt competere priuato ſecundum propriam naturam, & ſpeciem, in diuinis autem nulla admittenda eſt imperfectio; ergo. Secundò in diuinis idem eſt eſſe, & poſſe; igitur quicquid natum eſt ibi eſſe in perſonis ſecundum propriam rationem actu ineſt; igitur nulla priuatio in eis eſſe poteſt propria dumtaxat genito quocumque modo dicto; nam ſoli Filio competit generari, vel forma generationis, qua conſtituitur, & dicitur Filius, ac per conſequens

ipſe

ipſe ſolus habet talem generationem actu, & dicitur Filius, non cæteræ perſonæ.

Secunda Concluſio. Si ingenitum ſignificet priuationem impropriam geniti primò modo dicti, tum Pater, tum Spiritus Sanctus dicitur ingenitus; probatur, quia genitum hoc modo dictum eſt terminus primus generationis paſſiuæ, & proprius, & talis generatio paſſiua competit ſuppoſito, quà ſuppoſitum eſt; ſed non eſt in Patre, & Spiritu Sancto hæc generatio paſſiua, & alioquin competit illis, vt ſuppoſita ſunt, ideſt ſub ratione commune ſuppoſiti, ſicut talpa dicitur priuata viſu non ſecundum rationem propriam talpæ, ſed ſecundum rationem communem animalis; igitur Pater, & Spiritus Sanctus hoc modo dicuntur ingeniti non ſecundum rationem propriam, ideſt talis ſuppoſiti; ſed ſecundum rationem ſuppoſiti in communi.

Tertia Concluſio. Si ingenitum dicat priuationem impropriè dictam geniti ſecundò modo dicti, omni perſonæ diuinæ competit eſſe ingenitum, probatur, quia genitum oppoſitum tali ingenito eſt quod communicatur per generationem, vel vt terminus formalis generationis, vel vt conditio geniti, & huiuſmodi duo tantum ſunt in diuinis, ideſt eſſentia, & perſonalitas ſola Filij, ſiuè filiatio, non autem ipſe Filius, nec Pater, & Spir. Sanct. & conſequenter hoc modo omnes tres perſonæ dicuntur ingenitæ.

Quarta Concluſio. Ingenitum dicens negationem impropriam geniti tertio modo dicti ſoli Patri competit. probatur; nam quicquid eſt in diuinis, vel producitur, vt terminus primarius, & adęquatus productionis, vt Filius per generationem, & Spir. S. per ſpirationem, vel communicatur per productionem, ſiuè vt terminus formalis vti eſſentia diuina, ſiuè vt conditio producti, vt filiatio Filij, & proceſſio Spiritus Sancti; ſed nullo iſtorum modorum Pater diuinus dicitur productus; ipſe igitur ſolus eſt omnino ingenitus, & improductus, & hoc modo ingenitum eſt proprietas primæ perſonæ, ideſt Patris.

QVÆSTIO

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Innaſcibilitas ſit proprietas conſtitutiua perſonæ Patris.

HActenus oſtenſum eſt ingenitum eſſe proprietatem Patris, ſupereſt inquirere ſi ſit proprietas conſtitutiua ipſius,& ponitur in abſtracto,ideſt innaſcibilitas; quia vt ſic in abſtracto formæ ſunt conſtitutiuæ,ſicut generatio paſſiua Filij,ex qua ipſe cõſtituitur in eſſe Filij,& dicitur Filius.

Prima ſententia poteſt eſſe eorum qui aſſerunt perſonam diuinam non conſtitui proprietate relatiua,ſed abſoluta dumtaxat, ſeu potius non relatiua, itaut negatio relationis ad alterum extrinſecum ſit conſtitiua perſonæ in ſui eſſe intrinſeco , & huiuſmodi negationem denotat innaſcibilitas,quæ eſt proprietas cõſtitutiua perſonæ Patris. eadem ſententia aſſignari poteſt illis qui aſſerunt ingenitum dicere relationem poſitiuam,ideſt ad non genitorem priorem relatione ad genitum, & ita prius competit Patri innaſcibilitas reſpectu nõ genitoris,quam generatio actiua reſpectu geniti,ac per conſequens per illam conſtituitur in eſſe perſonæ,non per iſtam.

Probatur hæc ſententia à Scot.in primo diſ. 28. qu. 2. & in reportatis ibid. & in quodl.q.4. authoritatibus, & rationibus. Prima authoritas eſt Damaſc. cap. 8. dicentis,in diuinis omnia ſunt vnum præter genitum,proceſſionem, & ingenitum, ſed genitum conſtituit perſonam Filij,& proceſſio perſonam Spiritus Sancti, igitur ingenitum conſtituere debet perſonam Patris.

Secunda authoritas eſt eiuſdem Damaſc. cap. 9. vbi ait, Omnia quæ habet Pater Filij ſunt præter ingenerationem, quæ non dicit differentiam ſubſtantiæ, ſed modum exiſtentiæ, ex quibus verbis duo colliguntur quæ probant Patrem innaſcibilitate conſtitui. Primum eſt, ingenerationem eſſe propriam Patri, & per eam ſolam diſtingui ab alijs perſonis; quia quæcumque alia ſunt ſibi communia cum Filio; igitur per ipſam conſtituitur, ſi per ipſam diſtinguitur. Secundum eſt innaſcibilitatem non dicere differentiam ſubſtantiæ; quia in diuinis vna natura, & ſubſtantia

eſt, ſed dicere modum exiſtentiæ; hic autem modus exiſtentiæ eſt incõmunicabilis,& ipſamet incommunicabilis exiſtentia, & conſequenter ipſamet perſonalitas conſtituens perſonam diuinam Patris.

Tertia authoritas eſt D.Aug.lib. 5. de Trin.c.6. vbi ait,non eſt idem dicere ingenitum, quod eſt dicere Patrem, quia & ſi non genuiſſet, nihil prohiberet ipſum eſſe ingenitum, & ſi gignat quiſquam non propter hoc ipſe ingenitus, quia geniti homines ex alijs hominibus gignunt & ipſi alios; ex quo colligitur poſſe competere primæ perſonæ Trinitatis eſſe ingenitum abſque eo quod ſibi competat eſſe genitorem, & conſequenter per illud cõſtituitur in eſſe perſonæ,& non per iſtud.

Rationibus etiam probatur primò in omni ordine habente ordinem ad præcedens, & ſequens prius eſt poſitio vel negatio ordinis ad præcedens, quam poſitio ordinis ad ſequens; ſed Paterdiuinus habet negationem ordinis ad præcedens, ideſt ad ingenitorem; quia eſt ingenitus, & poſitionem ordinis ad ſequens, ideſt ad genitum; quia eſt genitor; igitur in Patre diuino prior eſt innaſcibilitas, quæ dicit ordinem negationis ad præcedens, quam generatio actiua,quæ dicit poſitionem ordinis ad ſequens, & conſequenter innaſcibilitate conſtituitur perſona Patris, non generatione actiua vel paternitate;quia illa eſt prior,maior probatur; nam habens ordinem ad ſequens eſt prior ipſo ordine ad ſequens,igitur negatio ordinis ad antecedens, quæ ſimul eſt cum habente ordinem ad ſequens eſt prior ipſo ordine ad ſequens, & per conſequens illo priori conſtituitur, non iſto poſteriori; ſecũdò eo Pater eſt Pater, quo eſt hæc perſona; ſed eo quo eſt hęc pſona eſt innaſcibilis, ergo eo quo eſt Pater eſt innaſcibilis,ac per conſequens innaſcibilitate conſtituitur Pater. Tertiò ſecundum opinionem Phyloſophorum, & Hebręorũ in diuinis eſt vna perſona, & ipſa abſoluta; igitur data hac hypoteſi per eſſentiam abſolutam perſona diuina conſtituitur,& non per aliquam proprietatem poſitiuam relatiuam ſaltem ad plus per proprietatem negatiuam nempe per negationem eſſendi ab alio; ſed generatio diuina à nobisChriſtianis tradita,& credita nihil derogat,vel aufert ab eſſentia diuina,& illa proprietate,quæ eſt innaſcibilitas, cum vtraque ſit prior generatione;ergo ex illa vtraque priori cõſtituitur perſona Patris.

Modus

Modus autem, quo perſona prima Trinitatis conſtituitur innaſcibilitate eſt, quod cum eſſentia diuina prius intelligatur, vt non communicata actu, quam communicata; quia ad communicationem requiruntur relatiua communicantis, & illius, cui communicatur, & eſſentia diuina de ſe ſola eſt abſoluta, ſed vt ſic vt non communicata, non eſt communis, ſed propria vni perſonæ; alioquin in diuinis omnes tres eſſent æquè primę perſonæ, in quibus ęquè primo eſſet eſſentia diuina .i. non communicata per aliquam productionem; quod totum eſt falſum; igitur vt non cõmunicata non eſt communis, & communicabilis tribus, ſed propria vni perſonæ, & vt ſic incommunicabilis, ſeu non communicata concipitur in illo primo inſtanti, in quo eſt primum ſuppoſitum incommunicabile in quo ſunt duo primi conceptus, nempe eſſentia, & non communicatum, quod eſt eſſe innaſcibile, ex quibus duobus conceptibus conſtituitur prima perſona Trinitatis, & ſic dicitur Pater ingenitus, ſiuè improductus, quia habet eſſentiam non communicatam ſupplè per generationem, aut aliam productionem.

His tamen non obſtantibus dicendum nobis eſt ingenitum eſſe quidem proprietatem Patris, ſed nequaquam proprietatem conſtituentem eius perſonam, quod probatur aliquibus argumentis inſufficientibus, & quibus reſponderi poteſt, & alijs ſufficientibus, & quaſi demonſtratiuis.

Primum genus argumentorum inſufficientium eſt. Primo omne incommunicabile nõ conſtituitur niſi per ſe primo incommunicabile, at innaſcibilitas non eſt per ſe primo incõmunicabilis; ergo, maior patet, minor probatur: nulla negatio eſt per ſe primo incõmunicabilis, innaſcibilitas autem eſt negatio ſecundũ Aug. lib. 5. de Trin. c. 6. cum ingenitum dicitur non quid ſit, ſed quid nõ ſit ſignificatur; igitur ipſa innaſcibilitate nullatenus conſtitui poteſt perſona Patris.

Huic argumẽto tripliciter reſponderi poteſt, primò conſequẽter ad doctrinam à nobis traditam diſp. præced. ſec. 3. q. 4. quod aliqua negatio abſtrahi poſſit à tribus perſonis communis illis (quamuis etiam poſitiuum poſſit abſtrahi cõmune, non quaſi cõmune ſpecificum, ſed commune quaſi proprium) ex quo ſequitur poſſe eſſe aliquam negationem per ſe communem pluribus, & è contrario non eſt inconueniens inueniri aliquam negationem

per ſe ipſam incommunicabilem, & propriam vni perſonæ, & conſequenter conſtituentē ipſam perſonā in eſſe incōmunicabili.

Secundò reſpondetur, quod eſſentia diuina non cōmunicata eſt per ſe incōmunicabilis dumtaxat Patri diuino, cui eſſentia nō cō-municatur per productionem aliquam, & eodem modo ingenitū eſt incōmunicabile per ſe, nō per aliud, & ſic ex eſſentia non cō-municata Patri nimirum per generationem conſtituitur perſona Patris, quod propriè eſt dicere Patrem eſſe ingenitum, & ſic ipſum conſtitui ex eſſentia, & innaſcibilitate.

Tertiò reſpondetur, quod iſta negatio.i.innaſcibilitas benè poteſt in diuinis pręſupponere pro fundamento aliquod poſitiuum, quod ſit per ſe primò incōmunicabile, & hoc eſt ipſa eſſentia diuina non cōmunicata.i.in illo primo inſtanti antequam communicetur per aliquam productionem, vel Filio per generationē, vel Sp.S. per ſpirationem, in illo tunc eſſentia diuina, vt non cōmunicata eſt incōmunicabilis, & ita duo cōceptus ſunt in prima perſona Trinitatis, nempè eſſentia, & non cōmunicatū, vel non cōmunicabile per productionem aliquam, quod eſt propriè dicere primum ſuppoſitum eſſe ingenitum, vel improductū. qui duo conceptus cōplectuntur in illo termino cōplexo eſſētia non cōmunicata, ſicut ergo nō cōmunicatū per generationē .i. ingenitum eſt propriū, & incōmunicabile, ita eſſētia, vt nō cōmunicata eſt propria, & incōmunicabilis, & ſic fūdamētū poſitiuū illius negationis

Secundò arguitur. nulla negatio poteſt eſſe propria alicui rei, niſi per aliquam affirmationē propriā illi, quā ſequitur iſta negatio, igitur innaſcibilitas non poteſt cōpetere Patri diuino, & primæ perſonæ diuinę, niſi per aliquā affirmationē propriā Patri, & priorem illa negatione, ac per conſequens conſtituentem perſonam Patris; igitur innaſcibilitas non poteſt conſtituere perſonā Patris iam conſtitutam per priorem illam affirmationem.

Ad hoc argumentū tripliciter etiā reſpōderi poteſt, quod ſicut poteſt eſſe aliqua negatio de ſe ſola cōmunis tribus perſonis, nulla præſuppoſita affirmatione, ita non incōuenit admittere aliquā negationē de ſe ſola propriam, & etiam incōmunicabilē, & conſequenter conſtituentē perſonā. Secundò reſpondetur, quod innaſcibilitas eſt propria Patri ꝑ ipsā eſſētiā diuinā, q̄ de ſe ſola determinatur ad Patrē nulla media actione ꝓductiua, & vt ſic eſſētia eſt ꝓpria Patri, & incōmunicabilis, vt ſic alijs ꝑſonis, & hoc modo

facit

facit competere Patri innaſcibilitatem, & eſſe illi propriam. Tertiò reſpondetur, & clarius quod innaſcibilitas eſt propria Patri per eſſentiam non communicatam; quia ſoli Patri eſſentia eſt non communicata, Filio verò, & Spiritui Sancto eſt communicata per productiones eorum.

Sed contra hoc arguitur. Nam omnis proprietas perſonæ diuinæ, & præcipuè conſtitutiua dicere debet perfectionem, & dignitatem; ſed nulla negatio includit perfectionem, aut dignitatē; igitur non poteſt eſſe propria alicui perſonę, & conſtitutiua illius. Reſpondetur prçterquam quod relationes originis, & proprietates perſonales etiam conſtituentes perſonas diuinas nullam perfectionem, & dignitatem dicunt, vt ex ſententia Scoti probauimus Diſp. prçced. Sect. 4. q. 4. ex quo ſequitur non inconuenire aliquam negationem poſſe eſſe propriam perſonæ diuinæ, & ipſius conſtitutiuam etiam non dicentem perfectionem aliquam, & dignitatem, adhuc ipſa negatio perfectionem dicit, vel connotatiuè, vel etiam formaliter, vt v.g. non malus in rege perfectionem, & dignitatem dicit duplicem, vnam connotatiuè, quia connotat aliquam perfectionem poſitiuam in rege, ideſt bonitatem, ex qua ſequitur regem non eſſe malum, alteram formaliter quatenus in rege ly, non malus, deſtruit oppoſitam affirmationem, quæ formaliter imperfectionem, & indignitatem dicit, ideſt malitiam, & ſic pronunciando non malus deſtruitur malitia, eodem modo in propoſito ingenitum in diuinis dicit hanc duplicem pefectionem, & dignitatem primò connotatiuam connotando non quidem aliquod poſitiuum, & perſonale proprium perſonæ Patris, ſed poſitiuum, ideſt eſsentiam diuinam, vt propriam Patri, ideſt quatenus de ſe ſola determinatur ad perſonam Patris nulla præſuppoſita actione productiua, vel aliquo alio poſitiūo, ſiuè in ipſa perſona conſtituta, ſiuè in aliquo alio producente; quia nullum tale inuenitur in diuinis reſpectu primæ perſonæ Trinitatis. Secundò ingenitum dicit dignitatem formaliter pro quāto deſtruit id quod dicit formalem indignitatem in Patre, nimirum naſcibilitatem, ſeù producibilitatem, & ſicut in ſecunda perſona Trinitatis perfectionis, & dignitatis eſt habere principium originans, ita in prima perſona dignitatis eſt non habere tale principium, & per conſequens indignitatis eſt in vtraque perſona habere oppoſitum illorum.

Secundum genus argumentorum ſufficientium,& quaſi demõſtratiuè probantium noſtram ſententiam eſt adhuc duplex; quædam enim ſunt demonſtrationes à poſteriori, aliæ à priori. Primo probat Scot. 1.diſ. loc.cit. a poſteriori,ideſt ab effectu, ſi prima perſona Trinitatis conſtitueretur aliqua negatione,aut proprietate negatiua, ſequeretur perſonas diuinas non fore vniformes in ratione perſonalitatis,nec æquè poſitiuè perſonæ,& conſequenter nec æquè perfectæ perſonæ,conſequens eſt falſam; ergo,& antecedens; prima ſequela probatur; nam Filius filiatione conſtituitur,& Spiritus Sanctus proceſſione,quæ ſunt proprietates poſitiuæ,& innaſcibilitas Patris eſt negatiua: vltima ſequela probatur,quia entitas poſitiua eſt melior quacumque entitate negatiua.

Huic rationi reſponderi poteſt iuxta doctrinam Scoto, quod licet proprietates perſonales diuinæ nullam dicãt perfectionem, vel imperfectionem, hoc verum eſt de perfectione, & imperfectione propria formali, & quantitatiua, quam nullatenus dicunt proprietates perſonales diuinæ,alioquin in Patre eſſent duæ perfectiones,& in Spiritu Sancto vna,quod eſt inconueniens dicere, non autem eſt verum de perfectione tranſcendentali, & entitatiua,quę ſolum excludit negationem entis; negatio igitur hęc,ideſt innaſcibilitas nullã prorſus perfectionem, vel dignitatem dicit, proprietas autem poſitiua perfectionem dicit aliquam, nempè tranſcendentalem, & entitatiuam, quatenus negat non ens, & hoc pacto melius eſt poſitiuum omni negatiuo.

Sed contra hoc arguitur ex definitione perfectionis ſimpliciter à Damaſceno tradita,in qua dicitur ipſam melius eſſe, quam nõ eſſe; ſi ergo proprietas poſitiua eſt melior negatiua,vt paternitas melior innaſcibilitate, ſequitur paternitatem dicere perfectionẽ ſimpliciter,quod eſt contra doctrinam Scoti.

Reſpondetur. Quando dicitur indefinitione melius eſt ipſum eſſe,quam non eſſe nõ intelligitur de contradictorio, etenim muſca melius eſt eſſe,quam nõ eſſe,ideſt melius,eſt habere eſſe,quam non habere,& tamen muſca non eſt perfectio ſimpliciter, & eodem modo dicitur de proprietate poſitiua conſtituente perſonam diuinam,quod melior ſit proprietate negatiua,& tamen illa poſitiua non eſt perfectio ſimpliciter,& ſic. Reſpondetur ad hanc rationem,integra manente doctrina Scoti,ſed intelligitur in dicta

defi-

definitione quòd melius ſit ipſum eſſe, quam non eſſe de incompoſſibili, ideſt melius eſt ipſum eſſe, quam ſuum incompoſſibile eſſe, hoc autem incompoſſibile eſt id quod reſpectu perfectionis ſimpliciter, vel nullam perfectionem dicit, vel limitatam perfectionem, vt ſapientia eſt perfectio ſimpliciter; quia ipſa poteſt eſſe infinita, cui incompoſſibile eſt eſſe finitum: ſiquidem ſimul finita, & infinita eſſe non poteſt; ſoli igitur illi, cui competere poteſt infinitas formalis competit eſſe perfectionem ſimpliciter; quæ quidem infinitas formalis competere non poteſt perſonalitatibus diuinis propter inconueniens ad quod induceremur, nempè vnã perſonam diuinam fore alia perfectiorem, ſi dictæ proprietates eſſent perfectiones ſimpliciter.

Rationes autem à priori facilius reddi poſsunt in ſententia Thomiſtarum aſserentium proprietates perſonales diuinas dicere formalem, & infinitam perfectionem, nam cum Pater diuinus vt prima perſona Trinitatis conſtituatur ex eſsentia, & proprietati perſonali poſitiua, ex vtroque conſtituente debet habere ſuã perfectionem tamquam ex proprio principio conſtitutiuo; ſed nulla negatio dicit perfectionem; igitur innaſcibilitas, quę eſt negatio non poteſt conſtituere perſonam Patris.

In noſtra tamen ſententia nullam inuenire potui rationem à priori, ſed hanc excogitaui; omne ens poſitiuum eſt melius quocumque ente negatiuo; igitur neceſsarium eſt dicere primam perſonam Trinitatis conſtitutam eſse proprietate poſitiua, non negatiua, ſi hoc non repugnat; ſed non apparet, vnde repugnet; ergo; prima ſequela probatur; quia omne melius neceſsariò attribuendum eſt in diuinis, dummodo illud non repugnet, ſed nulla apparet, vt dixi repugnantia; ergo.

Si contra hanc rationem dicas quod eſse melius dicit perfectionem; igitur proprietas perſonalis poſitiua in diuinis dicit perfectionem, cum ſit melior, quam negatiua, hoc autem eſt contra doctrinam Scoti; ergo. Reſpondetur poſitiuum, & conſequenter proprietatem perſonalem poſitiuam dicere quidem perfectionẽ illam dumtaxat tranſcendentalem, & entitatiuam ſupra dictam; quia melius eſt eſſe ens, quam non ens, vnde non ſequitur dicere perfectionem quidditatiuam, & gradualem quæ eſt perfectio ſimpliciter.

Vltimò probatur noſtra ſententia authoritate Aug. 1. de Trin.

c.3.dicentis ingenitum non quid ſit Pater, ſed quid non ſit demõſtrat; igitur ingenitum potius conſtituit Patrem aliquo modo in non eſſe,quam in eſſe.

Ad fundamenta autem contrariæ ſententiæ, reſpondetur ad primam authoritatem Damaſceni, ipſemet ſe declarat; nam quando dicit præter genitum,proceſſionem, & ingenitum includendo iſta tria, non excludit alias proprietates perſonales; nam etiam generatio actiua, ſeù paternitas Patris, & ſpiratio actiua Patris,& Filij non dicunt,nec ſunt quid vnum cum alijs proprietatibus,& tamen ſunt proprietates; intelligit ergo Damaſcenus in diuinis omnia eſſe vnum,ideſt eſſentialia,& communia præter proprietates perſonales,quæ plures ſunt, quam illæ tres ab ipſo relatæ, ac per conſequens non omnes illæ tres conſtituunt perſonas; quia ingenitum non conſtituit.

Ad ſecundam authoritatem eiuſdem Damaſceni reſpondetur, quod ipſemet ſubdit in eodem capite dicens, ex proprietatibus perſonalibus paternitatis,filiationis & proceſſionis differentiam perſonarum cognoſcimus; vnde ſequitur ex his ſolis tribus diuinas perſonas eſſe conſtitutas,per quas præciſè,& formaliter illarum differentiam cognoſcimus,atque diſtinctionem;cum idem ſit principium conſtituendi,& diſtinguendi,& quando dicit Damaſcenus præter ingenerationem ſub nomine ingenerationis intellexit paternitatem,nam quando ipſe facit differentiam inter Patrem,& Filium in diuerſis capitulis,modo illam,modo iſtam nominat, intelligendo vnam cum alia v.g. ſi quis eſſet Guardianus ſimul & Lector,nominando Guardianum,ſubintelligitur Lector, & è conuerſo.

Ad authoritatem Auguſtini reſpondetur nihil aliud velle,quam oſtendere paternitatem non eſſe præciſam,& formalem rationẽ ingeniti,taliter vt non poſſet eſſe ingenitum non exiſtente paternitate; quia,& ſi prima perſona Trinitatis non genuiſſet adhuc ipſa eſſet ingenita,non tamen conſtituta per ingenerationem,ſed per aliquam aliam proprietatem poſitiuam dumtaxat abſolutã, in qua fundaretur ingenitum, ſicut quælibet alia priuatio requirit in ſuo fundamento,cui ineſt, aliquam proprietatem poſitiuãm,vt cæcitas,quæ ineſt oculo requirit infirmitatem oculi, ita etiam ingenitum fundaretur in aliqua entitate poſitiua primæ perſonæ Trinitatis conſtitutiua ipſius,ſiuè abſoluta,ſiuè relatiua, vt in ſequenti

quenti

quenti quæſtione clarius explicabitur.

Ad primam rationem reſpondetur verum eſſe, quod tàm ordo, quam negatio ordinis ad prius præcedit omnem ordinem ad poſterius, præſertim in ordinatis, quæ ſunt abſoluta; ſi autem ordinatum ſit eſſentialiter relatiuum, & conſtitutum per relationem ad poſterius, vt in propoſito Pater in diuinis conſtitutus per relationem ad Filium poſteriorem, cum illa relatio, & ille ordo ſit prius, ſeu primus in illo conſtituto; ſiquidem conſtitutiuis illius nullus ordo, nec negatio ordinis ad prius poterit in illo præcedere ordinem ad poſterius.

Ad ſecundam rationem reſpondetur maiorem eſſe veram in primo modo, & minorem eſſe veram in ſecundo modo dicendi, & conſequenter concluſionem eſſe veram in ſecundo modo, quippè quæ deteriorem ſemper partem ſequitur, ac per conſequens Patrem eſſe conſtitutum innaſcibilitate in ſecundo modo dicendi, quippè qui præſupponit primum modum, nimirum conſtitutionem perſonæ Patris per paternitatem.

Ad tertiam rationem reſpondetur neceſſariò ſequi ex ſententia tenentium in diuinis vnam perſonam eſſe, ipſam eſſe abſolutam, in ſententia verò noſtrum Chriſtianorum admittentium tres perſonas in eadem numero natura cum eius communicabilitate ex fęcunditate illius naturæ prouenienti ex propria, & quidditatiua, eius ratione, nimirum vitæ perfectiſſimæ, qualis eſt intellectualis ex quo neceſſariò ſequitur proceſſio vnius perſonę ab alia, & conſequenter relatio inter illas, quæ ſimul cum eſſentia conſtituit perſonam ſibi correſpondentem, vt generatio Patrem generantem, & Filium genitum, & ſic de alia proceſſione.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Innaſcibilitas fundetur in Paternitate ſub ratione propria Paternitatis, an in aliquo alio poſitiuo.

CVm innaſcibilitas taliter ſit proprietas Patris, quod non conſtituat eius perſonam, & conſequenter non ſit immediate in eſſentia diuina tamquam alteri quaſi parti conſtituenti cum ipſa Patrem, nec ſit immediatè in Patre, vt in conſtituto per ipſam; meritò nunc inquiritur per quid poſitiuum, tamquam per me-

medium eius fundamentum innaſcibilitas quaſi inſit, & conueniat Patri.

Pro intelligentia huius quæſtionis obſeruandum quod aliud eſt priuationem, ſeu negationem connotare aliquod ſubiectum, & aliud eſt præexigere in illo ſubiecto aliquod poſitiuum, quo poſitiuo non exiſtente in illo ſubiecto, talis priuatio non inerit; cæcitas enim connotat oculum ſubiectum cæcitatis, & viſionis, non tamen poteſt eſſe in oculo niſi per aliquod poſitiuum, nempè per infirmitatem, vel malam complexionem oculi, quæ repugnat viſioni, eodem modo ingenitum connotat aliquam perſonam, non tamen hæc negatio poteſt eſſe in illa perſona, niſi medio aliquo poſitiuo, quod repugnat genito, & generari; de illo igitur poſitiuo inquirimus, quid ſit, quo medio, vel quo mediante ineſt Patri innaſcibilitas, vel per quid innaſcibilitas eſt propria Patris.

Prima ſententia eſt Gulielmi Altiſiodorenſis, quod ly, ingenitum, non connotat negationem ſimpliciter, ſed aliquod poſitiuũ pertinens ad dignitatem, quæ circumſcribitur per ly, eſſe à ſe; fundamentum huius ſententiæ de ſumi poteſt ex pluribus PP. dicentibus ingenitum dicere modum exiſtendi primæ perſonæ diuinæ; ſed modus exiſtendi eſt quid poſitiuum, & in ingenito eſt eſſe, & exiſtere, & habere eſſe à ſe, hoc igitur poſitiuum exiſtendi à ſe eſt fundamentum innaſcibilitatis in Patre, maior eſt lata à D. Baſil. lib. 1. contra Eunomium c. 4. à Greg. Nazian. orat. 13. à Damaſcen. libr. de fid. cap. 9. & Cyrill. libr. primo theſauri cap. primo.

Quod autem hoc poſitiuum connotatum per innaſcibilitatem non ſit eſſentia diuina, nec ſit paternitas Patris; probatur, nam illa negatio innaſcibilitatis ſiuè formaliter, ſiuè ſaltem connotatiuè, id eſt ipſum poſitiuum per ipſam connotatum pertinet ad dignitatem non autem communem, ſed ſpecialem Patris; igitur non poteſt eſſe eſſentia, quæ communis eſt, & cum dicat dignitatem diſtinctam à dignitate paternitatis, ſequitur eſſe diſtinctam à paternitate; igitur innaſcibilitas nec eſt eſſentia diuina, nec paternitas Patris.

Hæc ſententia improbatur à Scoto in quodlib. q. 4. hoc argumento; nam illud eſſe à ſe, vel dicit circumſtantiam cauſæ, & principij poſitiui, ex quo ſequeretur idem eſſe à ſe, & idem eſſe cauſam, & cauſatum, ſeu principium, & principiatum, quod implicat

plicat contradictionem ſecundum Auguſt. primo de Trin.c.1. dicentem nulla mens capit, quod aliquid ſit à ſe; vel illud eſſe à ſe capitur negatiuè, id eſt pro non eſſe ab alio, & hoc eſt contra præfatam ſententiam, quæ tenet innaſcibilitatem dicere poſitiuum quoddam.

Ad fundamentum huius ſententiæ reſpondetur habere eſſe à ſe dupliciter ſumitur formaliter, & principiatiuè, primo modo benè poteſt aliquid à ſe habere eſſe, quod declaratur per hoc, id eſt eſſe in ſe, & non in alio, & hoc eſſe ſignificat ingenitum de quo loquuntur prædicti PP. quod ingenitum dicat modum exiſtendi primæ perſonæ, id eſt in ſe, non autem loquuntur de illo eſſe principiatiuo, quod eſt extrinſecum rei.

Secunda ſententia eſt D. Bonau. in primo diſ.28.quæſt. prima art. 2. & 3. aſſerentis ingenitum formaliter dicere negationem, & fundamentaliter dicere aliquid poſitiuum, & declarans quod ſit illud poſitiuum, dicit eſſe rationem primi principij, & fontalem plenitudinem, quæ quidem plenitudo fontalis dicit perfectionem in prima perſona Trinitatis ſecundum Auguſtin. libr. quarto de Trin.cap.9.

Sed contra hanc ſententiam arguit Scotus vbi ſupra, vel illa fontalis plenitudo eſt negatio; aut poſitio, ſiuè affirmatio; ſi primum dicas; igitur nullatenus dicere poteſt aliquid poſitiuũ quod eſt contra hanc ſententiam; ſi ſecundum dicas, vel illa affirmatio eſt eſſentia diuina in prima perſona, aut eſt relatio, non eſt dicendum primum; quia cum ingenitum connotans talem affirmationem ſit proprietas perſonalis ſequeretur eſſentiam diuinã fore proprietatem perſonalem, quod eſt falſum, ſi eſt relatio, vel eſt relatio ad perſonam producentem, vel ad perſonam productam, non primum; quia ingenitum non dicit poſitionem, ſed potius negationem prioris, qualis eſſet illa perſona producens; ſi ſecundum dicas, vel eſt relatio ad vnam perſonam productam, vel ad duas productas; ſi primum, ſequeretur inconueniens; nam vel dicit relationem ad Filium productum, & hoc pacto innaſcibilitas non diſtingueretur à paternitate in Patre, vel ad Spiritum Sanctum productum, & ſic non diſtingueretur à ſpiratione actiua in Patre, ex quo ſequitur innaſcibilitatem non fore diſtinctam à paternitate, vel ſpiratione actiua, & ſic in diuinis nõ eſſent quinque; ſed quatuor tantum notiones, quod eſt abſurdum dicere, vt

in

in calce præcedentis Diſp. viſum eſt; ſi dicit relationem ad plures perſonas productas ſequeretur innaſcibilitatem conflari ex duabus relationibus diuerſæ rationis, & primò diuerſis (vti eſt generatio,& ſpiratio,vt infra oſtendemus Diſput. ſequenti) & propterea non poſſe eſſe conſtitutiuum alicuius per ſe,& eiuſdem rationis,qualis eſt Pater diuinus;vel denique dicendum eſt ex duabus illis relationibus abſtrahi vnam communem ad generationē, & ſpirationem,& ex hoc ſequuntur duo inconuenientia; primum eſt primam perſonam Trinitatis conſtituendam fore non ab aliqua proprietate ſingulari,& ſignata,ſed communi,& vniuerſali. Secundum inconueniens eſt fore, vt abſtrahi poſſit à pluribus diuerſæ rationis,& primò diuerſis vna ratio communis,& eiuſdem rationis,& conſtituens vnum ſuppoſitum eiuſdem rationis, quod implicat contradictionem; non ergo eſt dicendum innaſcibilitatem præſupponere in Patre aliquod aliud poſitiuum diſtinctum à paternitate.

Reſpondere poſſunt authores huius ſententiæ, quod fontalis illa plenitudo,quę eſt fundamentum talis priuationis ſeù negationis quam per ſe ſignificat innaſcibilitas eſt relatio poſitiua non quidem realis, ſed rationis, quæ relatio rationis poteſt eſſe vna ſingularis complectens vtramque productionem,ideſt generationem, & ſpirationem; facilius enim ea quæ ſunt diuerſæ rationis conueniunt in ente rationis,quam in ente reali.

Sed contra hoc arguitur; nam ideò prædicti authores admittunt fontalem illam plenitudinē, vt per ipſam ſignificetur dignitas,quam per ſe ſignificat innaſcibilitas in Patre,vt à paternitate diſtincta, quam dignitatem nō poteſt importare formale illius notionis,quod eſt negatio,& priuatio; quia nulla priuatio dignitatem dicit, ſed relatio rationis non dicit maiorem dignitatem, quam priuatio,igitur nulla talis relatio rationis poteſt eſſe fundamentum illius negationis, ideſt innaſcibilitatis. Reſpondent adhuc authores,quod illa relatio rationis non formaliter ſumpta dicit dignitatem,ſed fundamentaliter.

Contra hoc adhuc arguitur,nam illud fundamentum, quod dicit dignitatem,vel eſt eſſentia diuina,& hoc non poteſt eſſe,quia eſſentia non eſt quid peculiare perſonæ Patris, per quod Patri conuenire poſſit aliqua proprietas, ſiuè dignitas, & non alteri perſonæ,vel eſt aliquid aliud diſtinctum ab eſſentia,& paternitate,at

te,at hoc non aſſignatur ab authoribus;igitur paternitas ipſa,quę eſt relatio realis,& peculiaris Patri eſt fundamentum ingeniti.

Vbi notandum eſt quod quamuis eſſentia diuina ſit fundamentum, à qua omnia quæ ſunt in diuinis emanant, & in hoc ſenſu poſſit dici fundamentum innaſcibilitatis,in præſenti tamen quęſtione,inquirimus de fundamento quaſi formale, & immediato, per quod vni perſonæ competit innaſcibilitas,& non alteri quod debet eſſe quid proprium illi perſonę,& poſitiuum, de quo quid ſit inquirimus.

Communis ergo ſententia quam tenet Scot.in 1.diſ.28.q.2.& D.Thom.in 1.p.q. 32. a. 4. & plures alij eſt, quod paternitas ſit fundamentum talis negationis,ideſt innaſcibilitatis,per quam innaſcibilitas eſt propria Patri,& non alteri perſonæ, non tamen ſub ratione paternitatis, ſed ſub ratione formæ hypoſtaticæ primæ: ita quod fundamentum præciſum formale, in quo formaliter fundatur innaſcibilitas, & ratio eſſendi illius in Patre eſt prima entitas poſitiua indifferens ad abſolutum,& reſpectiuum.

Concluſio præſens tres habet partes. Primò dicit,quod paternitas ſit tale fundamentum. Secundò quod non ſub ratione paternitatis,& relationis præciſè. Tertiò ſub ratione formæ hypoſtaticæ indifferentis ad abſolutum,& reſpectiuum. Prima pars probatur; nam paternitas eſt prima entitas poſitiua propria Patri; quia per ipſam in eſſe perſonæ conſtituitur; igitur ipſa eſt fundamentum innaſcibilitatis per quam Patri conuenit innaſcibilitas, & non alij perſonæ: ſequela probatur; quia negatio,quæ neceſſariò præſupponit in ſubiecto quid poſitiuum non poteſt tali ſubiecto in eſſe,& alteri repugnare,niſi media illa entitate poſitiua, quæ eſt propria illi ſubiecto,& per quam ab alio differt;talis autẽ entitas poſitiua in Patre eſt paternitas,ergo.

Secunda pars concluſionis probatur authoritatibus Diu. Aug. Prima eſt ſępius adducta ex 5. de Trinit.cap.6. Si Filium non genuiſſet nihil prohiberet eum dicere ingenitum,& non ex eo quod genuit,ingenitus dicitur; quia geniti homines alios gignũt homines. Secunda authoritas eſt ex eod.lib.c.2.non ideò aliquis ingenitus,quia Pater,nec ideò Pater; quia ingenitus,ex quibus authoritatibus ſequitur differre ingenitum à Patre, & vnum poſſe eſſe ſine alio;igitur vnum illorum non eſt pręciſa ratio,& fundamentum formale alterius.

Ratio-

Digitized by Google

Rationibus etiam probatur. Nam ſi prima perſona diuina eſſet abſoluta præſertim in ſententia Ioannis de Ripa. Qui poſuit omnes perſonas abſolutas, in tali caſu adhuc eſſet ingenita, & nõ haberet paternitatem, igitur paternitas non eſt præciſa, & formalis ratio ingeniti. Secundò ſi prima perſona eſſet relatiua, ſicuti modò eſt, & conſtitueretur in eſſe relatiuo per ſpirationem, ſicut modò conſtituitur per paternitatem, vt potè ſi per impoſſibile prius ſpiraret Spiritum Sanctum, quam generaret Filium, in tali caſu paternitas non eſſet fundamentum ingeniti, ac per conſequens eſt diuiſibilis ab illo, & ſic non poteſt eſse eius ratio formalis, & præciſa.

Tertia pars concluſionis probatur, ideſt quod prima entitas poſitiua incommunicabilis, ſeù forma hypoſtatica, prima indifferẽs ad abſolutum, & reſpectiuum ſit formale fundamentum innaſcibilitatis, & ſub tali ratione paternitas non ſub ratione præciſa paternitatis ſit fundamentum illius, ſic arguitur; conceptus certus de vno, & dubius de duobus eſt vniuocus communis, & indifferens ad illa duo; ſed certum eſt apud omnes entitatem quamdam poſitiuam incommunicabilem, & propriam Patri eſſe formalem rationem, & præcipuum fundamentum innaſcibilitatis in Patre; ſed dubium eſt, ſi illa entitas ſit abſoluta, an relatiua; nã aliqui dubitant, ſi perſonæ diuinæ conſtituantur abſoluto, an relatiuo; igitur illa entitas eſt indifferens ad abſolutum, & relatiuum, & cum ſit propria Patri, vt ſic eſt fundamentum innaſcibilitatis in Patre.

Contra hanc ſententiam arguitur dupliciter. Primò ſi per impoſſibile Filius in diuinis generaret, in tali caſu ipſe eſſet Pater, & tamen nõ eſſet ingenitus vt Pater; igitur paternitas nõ eſt fundamentum ingeniti. Secundò ſi in diuinis, eſſet vna ſola perſona ipſa eſſet ingenita, vt patet, & non eſſet Pater; quia in tali caſu non generaret; igitur ingenitum poteſt eſſe ſine paternitate, & conſequenter iſta non eſt fundamentum illius, alioquin ſine paternitate eſſe non poſſet.

Reſpondetur ad vtramque rationem verum eſſe quod paternitas ſub propria, & formali ratione paternitatis non eſt fundamentum ingeniti, quia in aliquo poteſt eſſe paternitas ipſo non exiſtente ingenito ſecundum primam rationem, & è cõtra poteſt eſſe aliquis ingenitus, vt Pater diuinus, paternitate non exiſtente

in illo,

in illo, in caſu prædicto iuxta ſecundam rationem; vndè poteſt fieri diſtinctio de duplici fundamento nimirum formali, & materiali, primò modo paternitas ſub ratione paternitatis non poteſt eſſe fundamentum innaſcibilitatis; ſed eſt fundamentum ſub ratione formæ hypoſtaticæ, quatenus prima eſt in diuinis. Secundò modo benè poteſt eſſe fundamentum innaſcibilitatis, ſicuti eſt; quia ita euenit in rei euentu, nempè vt prima perſona, quæ eſt ingenita, ſit Pater.

Contra id quod dicitur hanc primam formam hypoſtaticam eſſe fundamentum innaſcibilitatis, quatenus indifferens eſt ad abſolutum, & relatiuum, ex quò ſequitur ipſum eſſe tale fundamẽtum, vt aliquod commune, vel vniuerſale, cum ſit indifferẽs ad aliquod abſolutum, & relatiuum, quæ maximè differunt.

Reſpondetur negando ſequelam; poteſt enim aliquod ſingulare eſſe principium alicuius actionis, vt indifferens in tali, & tali eſſe, & tamen ſingulare manens; ſicut ſacerdos requiritur ad conſecrandum hoſtiam indifferens tamen ad album, vel nigrum ſiuè æthiopem; quia vterque poteſt eſſe ſacerdos; quoniam ratio formalis, & præciſa ſacerdotis eſt quod ſit homo, & talis homo in ſingulari etiam ſi ſit indifferens ad hominem album, & æthiopem; albedo enim, & nigredo talis hominis materialiter conſiderantur in tali conſecratione; quia poteſt eſſe alter, vel alter, formalis tamen ratio Sacerdotis conſiſtit in eſſe hominis: ad hunc eumdem modũ eſſe primam proprietatem perſonalem, ſeù primam formam hypoſtaticam conſtituentem perſonam in eſſe primi in diuinis eſt formale fundamentum, & ratio quia illa perſona dicatur ingenita, eſſe autem illam perſonam abſolutam, & relatiuam non pertinet ad formalem rationem ingeniti, ſed ſolum materialiter ſe habet, ideò ex ſolo euentu, & nimirum in caſu quod eſſet ſola perſona in diuinis neceſſariò ipſa eſſet abſoluta, & conſequenter conſtituta ex proprietate ſua perſonalis dumtaxat abſoluta; ſed quia de facto perſonę diuinæ ſunt tres, quarum duę ſunt productę, & quia productio per intellectum naturaliter eſt prior productione per voluntatem, ideò Pater dicitur conſtitui forma hypoſtatica relatiua quæ dicitur paternitas, quod ſi per impoſſibile prior eſſet productio per voluntatem ſpiratio actiua eſſet tale fundamentum, loquendo materialiter, non formaliter, ex hoc intelligitur quo modo prima perſonalitas, vt indifferens ad abſolutum &

rela-

relatiuum,& vt etiam indifferens ad generationem,& ſpirationē ſit formalis ratio , & formale fundamentum ingeniti duntaxat ſub ratione primæ formæ conſtituentis primam perſonam ; eſſe autem illam abſolutam,vel relatiuam,ſiuè generationem actiuā, ſiue ſpirationem actiuam hoc materialiter conſideratur .

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum Pater ſit principium Deitatis,& totius Trinitatis, & ſi eſſe principium ſit proprium Patri.

RAtio dubitandi in præſenti quæſtione eſt circa tres propoſitiones , quæ ex illa colliguntur ; ex prima enim ſequitur fore , vt verè dicatur diuinitas eſt genita , vel ſpirata ; ſiquidem generationis , & ſpirationis datur in diuinis principium , ſi ergo eſt ibi aliquod principium Deitatis , vel genita , vel ſpirata erit Deitas . Ex ſecunda verò ſequitur Patrem fore principium ſui ipſius,quippè qui includitur,& ipſe in Trinitate . Ex tertia ſequitur Filium non fore principium Spiritus Sancti ſimul cum Patre , ſi ſoli Patri eſt proprium eſſe principium .

Catholica tamen veritas colligitur ex pluribus dictis Concilior.& Sanctorum PP. ex Conc. Tolet.6.& 11. in confeſſ.fid.vbi dicitur Patrem eſſe fontem,& originem totius diuinitatis , accipiendo originem non pro productione,quæ eſt vel actus dicendi, vel actus ſpirandi,ſed pro principio talis productionis,idem aſſeritur à Conc.Floren.ſeſſ.24.in litteris Vnionis,idem Dionyſius 3. de diuin.nom.inquit Pater eſt origo cæleſtis diuinitatis,& D.Auguſt.4.de Trin.c.20. & Athan. in orat. contra Gregales Sabellij, & Cryſolog.orat.4.tom.5.inquit Pater eſt origo ſancti illius fructus,& idem Aug.lib.3.contra Maſſimin.c.14.vocat Patrem authorem,quod nomen interpetratur a D.Th.q.33. a. 1. pro primo principio,D.etiam Bona.in 1.diſ.29.a.1.q.1.ad 2.ait,quod ſi initium capiatur pro primo principio quod principium ſit propriū Patri .

Secunda verò propoſitio deſumitur ex Conc. Fornacen.in cōfeſſ.fid.vbi dicitur , Patrem eſſe principium totius Trinitatis , & ex Conc.Tolet.6. in confeſſ. fid. Patrem eſſe originem trium perſonarum , hoc autem intelligitur ad modum , quo prima vnitas

ternarij

ternarij eſt principium ipſius ternarij,& quęlibet alia prima vnitas eſt initium,vel principium cuiuſcumque numeri computata in eodem numero ipſamet vnitate .

De tertia autem propoſitione diſtinguēdum eſt, nam Hylar. 3. & 4. de Trin. vocat Filium principium Spiritus Sancti, ita quod principium dupliciter capiatur abſolutè,& cum explicatione,abſolutè principium non eſt proprium Patri, ſed eſt cōmune cū Filio,qui etiam eſt principium Spiritus Sancti, cum explicatione .i. eſſe primum principium,& principium ſine principio, hoc modo principium eſt proprium Patri,& quamuis hoc verum ſit,non tamen hoc nomē principij eſt aliqua notio Patris diſtincta ab alijs eius notionibus: nam vel primo principium capitur abſolutè, & in cōmuni,vt complectitur omnem productionē, & ſic principiū eſt cōmune Patri cū Filio ad intra per ſpirationem,& eſt cōmune Patri cum Filio, & Spiritu Sancto ad extra per creationem: vel ſecundo capitur vt dicit particularē modum principiandi vel per generationem,& ſic principium in Patre eſt notio, quæ eſt ipſamet paternitas,vel per ſpirationē,&ſiceſt ipſamet ſpiratio actiua in Patre, & hoc pacto principium non eſt aliqua notio in Patre diſtincta à paternitate & ſpiratione; vel tertiò principium ſumitur cum explicatione,vt eſſe primum principium, & principium ſine principio, & ſic taliter eſt proprium Patri quod ſit eius notio ab alijs notionibus diſtincta,ſed cū eſſe primum, & eſſe ſine principio nihil aliud cōnotet, niſi negationem prioris principij à quo Pater originari poſſit, quæ negatio importatur per illam Patris notionem,quæ dicitur innaſcibilitas, à primo igitur ad vltimum primo modo nempe principium vniuerſaliter ſumptum non eſt proprium Patri, ſed ſibi commune cum alijs perſonis. Secundo modo eſt proprium Patri non diſtinctum à generatione actiua,& ſpiratione actiua ipſius, ſed modo dicitur hæc, modo illa notio. Tertio modo eſt ipſamet innaſcibilitas Patris propter quam Pater dicitur eſſe primum principium,& ſine principio,quod quamuis ſit proprium Patri, non tamen eſt aliqua notio ipſius ab alijs diſtincta,vt ſupra declaratum eſt.

Ad primam rationem dubitandi reſpondetur,ex illa non ſequi diuinitatem eſſe genitam,& productam, ſed ſolum communicatā per generationem,& ſpirationem Filio,& Sp.Sancto productis, qui ſunt termini primi,& adæquati relationis principij .i. Patris,

Digitized by Google

eſſentia verò eſt ſolũ terminus formalis illarum productionum.

Ad ſecundam reſpondetur: quando dicitur Pater eſt principiũ totius Trinitatis non intelligitur eſſe principium omniũ triũ perſonarum,quia ſic eſſet principium ſui ipſius,ita dicitur,quia ab ipſo prouenit quod perſonæ diuinæ multiplicentur in diuinis.

Ad tertiam iam declaratum eſt, quo pacto principium eſt proprium Patri.i.cum illo addito eſſe primum, & eſſe ſine principio, Filius autem eſt principium non primum,& ſine principio.

Cõtra hanc doctrinam arguitur,ſi Filius eſt principium à principio;igitur eſt principiatus, igitur eſt creatus ſimiliter, & Spiritus Sanctus. Reſpondetur ex D.Tho.q.33. art. 1. non ſequi ex eo quod Pater ſit principium ſine principio , & Filius à principio ; propterea Filium fore principiatum; à ſimili dicto D.Hylar.c.4. de Trin. qui ait donantis authoritatem maiorem, ſed Filius non eſt minor,cui nullũ eſſe donatur; ſi ergo licet dicere ſecundũ Hylar. Patrem eſſe maiorem Filio,non tamẽ Filium eſſe minorem, licebit etiam dicere Patrem eſſe principium Filij non tamen Filium principiatum,& quamuis hæc vox principiari non ſit in vſu apud DD.Latinos ne detur anza hæreticis Arrianis exiſtimandi Filium eſſe creaturam,apud Græcos tamen DD. ſæpè inuenitur.

Hinc oritur difficultas,vtrum Pater ſit cauſa Filij, & vterque cauſa Spiritus Sancti Damaſc. lib. 1.c.8.& 11. ait Pater eſt cauſa Filij,& Filius eſt ex hac cauſa,& Aug.7.de Tri.c.1.loquens de Patre inquit,illud quod eſt ei cauſa,vt ſit,eſt ei cauſa, vt ſapiens ſit, & Hieron.3.ad Hæbr.ait ſic origo eſt eiuſque cauſa,& confirmatur à Conc.Florent.ſeſſ.vltima.

Dicendum tamen nobis eſt nequaquam Patrem eſſe cauſam Filij.nec vllo pacto inducere poſſe nomen cauſæ ſecundũ id quod eſt principium alterius in diuinis,ita enim ſe habent iſta tria.Elementum,Cauſa,& Principium ſecundum Ariſt. 5. phiſic. à cap.1. vſque ad 5. quod omne elementum ſit cauſa,& non è conuerſo,& omnis cauſa ſit principium, & non è conuerſo; quia ſe habent, vt ſuperius, & inferius; ſic ergo Pater eſt principium Filij non cauſa; nec enim cauſa formalis, nec materialis, nec finalis, nec etiam efficiens; quia ad hoc requiritur, vt procedens ſit verè effectus, & factus, & è contra in ſymbolo dicitur de Filio genitus, non factus.

Ad authoritates autem Sanctorum reſpondetur non ſemper

ita

ita ſimpliciter intelligendas eſſe eorum locutiones, & pronunciandas ſine explicatione, ſicut ipſi ſimpliciter pronunciabant; ſecundum varietatem enim temporum propter ſimplices, & emergentes hæreſias variati ſunt modi loquendi, non tamen variatur Catholicus ſenſus, ſic etiam Auguſtinus dixit Patrem eſſe principium totius Trinitatis, quæ videtur abſurda, niſi explicetur. Omnes ergo locutiones SS. PP. iuxta Catholicum ſenſum pronunciandæ ſunt. Quando Damaſcenus, Hieronymus, & Auguſtinus dixerunt Patrem eſſe cauſam Filij non ſimpliciter, ſed cum explicatione intelligendum eſt, non accipiendo cauſam, quæ producit effectum, ſed pro cauſa & ratione cognoſcendi illud, ſicut dicimus immutabilitatem Dei eſſe cauſam æternitatis eius; quia ideo Deus eſt æternus; quia eſt immutabilis, & cognoſcimus eum eſſe æternum ex eius immutabilitate.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum hæc propoſitio ſit vera Deus genuit alium Deum.

SCot. diſ. 4. quæſt. prima dupliciter reſpondet præſenti quæſtioni. Primò ſecundum rei veritatem. Secundò iuxta logicam locutionem. Quantum ad primum inquit, quod cuilibet quo correſpondet ſuum Quod, & cuilibet entitati formali correſpondet aliquod ens, quod tali entitate formali ſit ens, & ſi illud Quo, & illa entitas formalis de ſe eſt hæc ſuum quod erit de ſe hoc, & cum illi, quod eſt de ſe hoc repugnet alietas, & diuerſitas; ſequitur ergo quod Pater, qui eſt de ſe hic tali entitate formali, ideſt eſſentia diuina, quæ eſt de ſe hæc, non ſit dicendus alius, & alius, vel alius Deus, & ſic falſa erit iſta, Deus genuit alium Deum.

Quantum ad logicam locutionem notandæ ſunt hæ propoſitiones, Franciſcus eſt alius ab homine; Franciſcus humanitate eſt alius à Brunello: Franciſcus in humanitate eſt alius à Petro. In prima terminus alietatis, & differentiæ eſt homo. In ſecunda Brunellus. In tertia Petrus.

In prima propoſitione quando dicimus Franciſcus eſt alius ab homine ſic indefinitè enunciatus, & per conſequens vniuerſaliter, & diſtributiuè ſumitur, ſequitur quod à Franciſco negetur om-

nis homo, & quilibet homo in particulari, vt Franciſcus eſt alius ab homine ab iſto, & ab illo homine, a ſingulis, & ab omni homine, vndè ſequitur ipſum non eſſe hominem, ſed cum hæc vltima propoſitio ſit falſa, illa etiam erit falſa quando dicebamus Franciſcus eſt alius ab homine.

In ſecunda propoſitione in qua dicitur Franciſcus humanitate eſt alius a Brunello, humanitas non eſt terminus; ſed ratio formalis alietatis, & Brunellus eſt terminus huius alietatis, taliter quod omnis humanitas, & omnis homo negetur a Brunello, qui eſt indiuiduum alterius naturæ, vbi notat Scotus, quod ratio formalis alietatis, & differentiæ, ideſt humanitas ſtat vniuerſaliter quantum ad negationem incluſam, & non ſtat vniuerſaliter quantum ad affirmationem incluſam. Prima pars huius Scotici dicti declaratur, quando dicimus Franciſcus humanitate eſt alius à Brunello, idem ſonat, ac humanitate non eſt idem cum Brunello, & ita omnis humanitas, & omne indiuiduum humanitatis negatur à Brunello; ſiquidem humanitas eſt ratio identitatis, & conuenientiæ eorum tantum quæ ſunt indiuidua hominis, vt Franciſcus humanitate eſt idem cum Petro, & Paulo, & non eſt idem cum Brunello. Secunda pars declaratur: nam in illa propoſitione affirmatur humanitas de Franciſco, quando dicitur Franciſcus humanitate eſt alius à Brunello, & ſi humanitas vniuerſaliter ſumeretur, tunc liceret deſcendere ad quamlibet humanitatem particularem, & liceret dicere, Franciſcus hac, & illa, & illa humanitate eſt alius à Brunello, & contingeret vt dicatur verè Franciſcus humanitate Petri eſt alius à Brunello; hoc autem eſt falſum; igitur humanitas quoad affirmationem incluſam de Franciſco non capitur vniuerſaliter.

De tertia propoſitione quando dicitur Franciſcus in humanitate eſt alius à Petro, alietas facit ſuum determinabile eſſe commune vtrique extremo, & inſuper diuidi, & diſtingui in illa extrema quippe humanitas eſt communis Petro, & Franciſco, ſicut ſi diceremus Franciſcus in humanitate eſt alius à Brunello falſum diceretur; nam humanitas non eſt communis Franciſco, & Brunello, hinc tamen poſſumus dicere Franciſcus in animalitate eſt alius à Brunello; quia animalitas eſt communis vtrique, & alietas ſignificat diſtinctionem tantum indiuiduorum in illo communi.

Ad

Ad propoſitum ergo quando dicitur, Deus genuit alium Deum Filium, iſta propoſitio eſt alius Deus, nõ ſignificat primam illam propoſitionem, ſcilicet Filius eſt alius a Deo; quia ipſe Filius non eſſet Deus, ſicut non ſequitur Franciſcus eſt alius homo, igitur eſt alius ab homine, quia ipſe non eſſet homo. Nec ſignificat ſecundam propoſitionem ſcilicet Filius Deitate eſt alius a Patre; quia Pater non eſſet Deus; ſicut non ſequitur Franciſcus eſt alius homo à Platone, igitur humanitate eſt alius a Platone; quia humanitas non facit diſtingui Franciſcum a Platone, ſicut nec Deitas facit diſtingui Filium a Patre; ſequitur ergo quod iſta propoſitio, Filius eſt alius Deus a Patre, ſignificet tertiam illam propoſitionem logicam, ſcilicet Filius in Deitate eſt alius à Patre, ſicut Franciſcus eſt alius homo à Platone; igitur in humanitate eſt alius a Platone: quia humanitas eſt communis illis, ſicut diuinitas eſt communis Patri, & Filio; ſed quia vltra communitatem iſtam requiritur quod humanitas diſtinguatur, & diuidatur in ſua indiuidua, & è contra Deitas. Non diuiditur in perſonas diuinas, propter hoc eſt etiam falſa iſta propoſitio, Filius eſt alius Deus à Patre, nempè eſt alius in Deitate a Patre; ex quo ſequitur etiam in logica locutione quocumque modo ſumatur falſam eſſe iſtam propoſitionẽ, Deus genuit alium Deum.

Sed cõtra prædicta arguitur, Deus genuit Deum, igitur ſe Deũ, aut alium Deum, non ſe Deum ex Aug. 1. de Trin. c. 1. igitur alium Deum, ac per conſequens Filius eſt alius Deus à Patre. Reſpondetur quod antecedens eſt verum, & omnes conſequentię ſunt falſæ. De veritate antecedentis patet; quia Deus in concreto poteſt ſupponere pro ſuppoſito, & eſt idem dicere Deus genuit Deũ, ac Pater genuit Filium, vel Deus pater genuit Deum Filium, falſitas conſequentiarum etiam patet, quia Deus neque ſe Deum poteſt generare ſecundum Aug. neque alium Deum; quia ſic Deus eſſet diuiſibilis in illos, de quibus dicitur, quod vt ſupra in tertia propoſitione logica diximus Franciſcus eſt alius homo à Platone, & eſt alius in humanitate à Platone; ideò eſt vera; quia humanitas diuiditur in vtramque, cum autem in diuinis Deitas non diuidatur in perſonas, ideò hæc eſt falſa, Pater eſt alius Deus à Filio ideſt alius in Deitate à Filio.

Sed contra Deus genuit Deum, igitur eumdem Deum, vel diuerſum Deum, quia idem, & diuerſum immediatè diuidunt ens, vt

patet 10.met. ſi eumdem Deum,igitur ſe;ſi diuerſum, igitur aliũ, & ſic ſequitur id quod ſupra dictum eſt.

Reſpondetur quod vera eſt hæc propoſitio, Deus genuit eumdem Deum; quia genuit Filium,qui eſt idem Deus cum Patre, & ratio eſt,quia ſicut alietas determinans terminum communem ſignificat ipſum terminum diuidi in extrema,quibus eſt commune; ſic identitas ſignificat non diuidi,& eſſentia diuina,ſiuè Deus iam nõ diuiditur in perſonas, ac per conſequens omnes tres ſunt idem Deus. Vndè non ſequitur Deus genuit eumdem Deum,igitur ſe Deum; quia committitur duplex fallacia: prima eſt conſequentis arguendo ab vniuerſali ad particulare, vt animal currit, igitur homo currit, fallitur in conſequente,ſic in propoſito magis commune eſt eſſe eumdem Deum,quam eſſe ſe Deum; Pater enim poteſt eſſe idem Deus,& cum ſe, & cum alijs. Secunda fallacia eſt figuræ dictionis in qua mutatur ſuppoſitio termini dicentis quale quid in hoc aliquid; in antecedente enim in quo dicitur Deus genuit eumdem Deum, ly, eumdem, dicit identitatem in eſſentia Deitatis;in cõſequente autem,in quo dicitur Deus genuit ſe Deũ, ly ſe refert identitatem in ratione ſuppoſiti, ſiquidem nomen reciprocum,ſicut eſt illud,ſe,denotat actum terminari ad idem ſuppoſitum à quo procedit ille actus,& tunc Pater generaret ſeipſum in ſuppoſito, quod eſt falſum. Aliud eſt enim dicere Franciſcus amat eumdem hominem,& aliud eſt amat ſe hominem,in prima denotatur actum amoris terminari ad aliquem,cum quo Franciſcus conuenit in natura humana. In ſecunda verò ad aliquem cũ quo conuenit in ſuppoſito humano,& ſic eſt fallacia figuræ dictionis à quale quid ad hoc aliquid, & in prima propoſitione actus amoris non eſt reciprocus. In ſecunda verò ſic.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum hæc ſit vera ſolus Pater eſt Deus.

HAnc propoſitionem eſſe falſam probatur aliquibus fundamentis præiactis. Primum fundamentum quod ſolus dupliciter ſumitur cathegorematicè,& eſt idem,ac ſolitarius,& ſyncathegorematicè,& ſic eſt excluſio alterius neganſque aſſociationem cum alio. Secundum fundamentum eſt quod ſolus aliquando

do determinat aliquod in ſe abſolutè,& ex natura rei,vt ſolus homo, ſolus æquus;aliquando determinat aliquod nõ in ſe abſolutę, ſed reſpectu alicuius prædicati,quod illi competit,vt ſolus homo eſt riſibilis. Ex his autem colliguntur tres propoſitiones.

Prima propoſitio eſt,in diuinis non inuenitur ly,ſolus,vel ſolũ, prout determinat aliquid in ſe abſolutè, & vt capitur cathegorematicè,ſcilicet ſolitariè; nihil enim eſt ibi ſolitarium,vt dicendo ſolus Pater, ſolus Filius, ideſt ſolitarius, neque etiam dici poteſt ſolitarius Deus; quia excludit omnem ſocietatem etiam perſonarum; quamuis dici poſſit Pater,Filius,& Spiritus Sanctus ſunt ſolitarius Deus; quia in hac propoſitione exprimuntur perſonæ, & ſocietas illarum,& ſolum excluditur ſocietas Deorum.

Secunda propoſitio. Solus ſyncathegorematicè vt determinat aliquid reſpectu alicuius prædicati,quod ſibi ſoli competit;loquẽdo in diuinis de prædicatis eſſentialibus falſa eſt propoſitio vbi affirmatur tale prædicatum de ſola vna perſona, vt dicendo ſolus Pater eſt Deus,ſolus Pater eſt Beatus,intelligit, creat ſiuè gubernat.

Tertia propoſitio. Solus eodem modo ſumptus loquendo de prædicatis notionalibus propoſitionem veram facit,ſi debitè ordinetur nimirum quod illud, quod competit, & eſt proprium vni perſonæ,illi ſoli aſſignetur, & non alteri, vt dicendo ſolus Pater genarat,ſolus Pater eſt innaſcibilis,ſolus Filius eſt genitus, & ſolus Spirtus Sanctus eſt ſpiratus.

His ita poſitis probatur prædictam propoſitionem eſſe falſam, in qua dicitur,ſolus Pater eſt Deus; nam affirmatiua excluſiua infert vniuerſalem affirmatiuam de terminis trãſpoſitis, vt iſta ſolus homo eſt riſibilis infert iſtam,omne riſibile eſt homo; ſed per te ſolus Pater eſt Deus, igitur omnis Deus eſt Pater, vel omnis perſona diuina eſt Pater. Concluſio autem eſt falſa,& non eſt falſa maior; quia eſt regula ſophiſmatica,igitur minor eſt falſa, in quo dicitur ſolus Pater eſt Deus.

Sed reſpondent aliqui concedentes illam propoſitionem eſſe veram,quod in excluſiua affirmatiua,ſolum excluditur illud,quod non eſt de conceptu ſubiecti,vt quando dicitur ſolus homo eſt riſibilis excluditur ab affirmatione riſibilis equus,& bos, qui nõ ſunt de conceptu hominis; non autem excluditur animal rationale, quę ſunt de eſſentia hominis, vnde vera eſt iſta,animal rationale,

vel ſolum animal rationale eſt riſibile,de qua etiam non excluditur homo. Ad propoſitum ergo cum Pater,& Filius in diuinis ſint correlatiua,& vnus ſit de conceptu alterius & intelligatur ſub alio, ſiquidem correlatiua ſe ſe inuicem definiunt, dicendo ſolus Pater eſt Deus, non excluditur Filius ab hac propoſitione, & affirmatione Dei; quia etiam Filius eſt Deus, ſed excluditur omne aliud quod non eſt de conceptu Patris.

Sed contra hoc arguitur ex Scoto, quod licet correlatiua ſint ſimul natura, tamen vnum non eſt de conceptu alterius definitiuo, vt pars eſſentialis, nec eſt ſaltem pars integralis alterius, & iſta diuerſitas ſufficit, vt vnum excludatur ab alio in aliqua propoſitione, ſic etiam Phyloſ.1.Phy.tex.9.arguens contra Parmenidem, & Meliſſum tenentes vnum tantum ens eſſe in rerum natura dixit,ſi ſolum principium eſt,principiatum non eſt,& ita excluſit Phyloſophus vnum correlatiuum a ſuo correlatiuo,& alioquin definitio correlatiuorum in ſe inuicem non eſt quidditatiua, ſed data per additamentum.

Primum ſolum argumentum Scoti contra prædictam veritatē liceat hic nobis adducere, nè tamdiù immoremur in terminis logicalibus,vt Theologicalia,quæ ad noſtram inſtitutum pertinent nimis differamus,& ſufficit his paucis veritatem noſſe.

Arguitur ergo ſic ſolus Deus qui eſt Pater eſt Deus, ergo ſolus Pater eſt Deus: antecedens patet; nam ſolus Deus,qui Deus eſt Pater eſt Trinitas,ſed Trinitas eſt Deus,ergo ſolus Deus, qui eſt Pater eſt Deus. Sequela probatur à ſimili. Solum animal quod eſt homo currit; igitur ſolus homo currit. Sequitur iſta conſequentia,ergo & illa etiam ſequitur.

Reſpondetur quod illa propoſitio dupliciter capitur vel in ſenſu compoſito,& ſic eſt falſa, & ſequitur conſequentia, ſi illa propoſitio concedatur,vel ſumitur in ſenſu diuiſo, & ſic eſt vera, ſed non ſequitur conſequentia,ac per conſequens argumentum nihil valet. Declaratur hoc totum.Nam in ſenſu compoſito eſt quando capitur propoſitio vti ſonat, ideſt ſolus Deus qui eſt Pater eſt Deus; nam ſic eſt vna cathegorica,& eſt falſa; nam ly,Deus, in ſubiecto denotatur adſtandum pro Patre tantum, & ſic dicendo ſolus Deus,qui eſt Pater eſt Deus,eſt idem ac abſolutè, dicere ſolus Pater eſt Deus, quæ verè ſequitur ex illa, & ſicut iſta ſecunda eſt; falſa licet ſequela ſequatur ex illa (quapropter dixi,quod ſequitur

quitur

quitur conſequentia) ita illa antecedens eſt falſa,& ſic ex illa falſa ſequitur iſta falſa: in ſenſu autem diuiſo eſt quando fit vna hypotetica conſtans ex duabus cathegoricis, & ſic diuiditur illa ſolus Deus qui eſt Pater eſt Deus in has duas propoſitiones. Nempè ſolus Deus eſt Deus,& ſolus Deus eſt Pater,& vtraque eſt vera; nā prima enunciat Deum de Deo, & ſecunda Patrem de Deo, & neutra ſpecificat alteram ſicut fiebat in ſenſu compoſito ex propoſitione cathegorica,in qua Deus in ſubiecto ſpecificabatur ad ſtandum pro Patre; ſed in hoc ſenſu diuiſo non ſpecificatur Deus ad ſtandum pro ſolo Patre, in prima cathegorica, in qua dicitur ſolus Deus eſt Deus,& ideò non ſequitur concluſio ſyllogiſmi facti in tertia figura ſic,ſolus Deus eſt Deus,ſolus Deus eſt Pater;ergo ſolus Pater eſt Deus; quia variatur ſuppoſitio medij termini;ſi quidem in maiori Deus capitur ſimpliciter ad ſtandum pro Deo, vt in tribus, in minori autem determinatur ad ſtandum pro ſolo Patre.

Scotus dat aliam rationem,quare concluſio non ſequatur dicēs quod non valet à ſuperiori ad ſuum inferius cum excluſione,quod ſic debet intelligi cum excluſione addita inferiori,vt dicendo ſolum animal eſt ſenſibile, igitur ſolus homo eſt ſenſibilis; ſic ſolus Deus eſt Deus,ergo ſolus Pater eſt Deus non ſequitur; ſine excluſione tamen in inferiori ſequitur, vt dicēdo ſolum animal eſt ſenſibile,ergo homo eſt ſenſibilis,ſic ſolus Deus eſt Deus,ergo Pater eſt Deus etiam ſequitur; ac per conſequens iſta eſt falſa in omni ſenſu,ſolus Pater eſt Deus,quæ eſt propoſitio tituli quæſtionis,& hæc dicta de Patre ſufficiant.

DISPVTATIO VI.

DE FILIO DIVINO.

PLVRIBVS nominibus Filium Dei exornat Paulus Apoſtolus diuerſis in locis ad exprimendum diuerſimodè perfectionem eius; nam primi ad Corint. primo ait eſſe Dei virtutem, Dei Sapientiam, & ad Hebr. primo qui cum ſit

ſplen-

ſplendor gloriæ,& figura ſubſtantiæ eius, & ad Coloſſen. primo qui eſt imago inuiſibilis Dei, & Ioann. primo vocat ipſum Verbum, In principio erat Verbum, & idem Paul. primæ ad Hebr. probans Chriſti diuinitatem adducit authoritatem Pſal. ſecundo vbi de ſecunda perſona Trinitatis dicitur, Filius meus eſt tu, ego hodie genui te. De his ergo omnibus nominibus erit ſingillatim nobis tractandum, atque de proprietatibus illorum.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum ſecunda perſona Trinitatis ſit Filius, eiuſque productio ſit generatio vniuoca.

PLurimi antiquorum hęreticorum negauerunt ſecundam perſonam Trinitatis eſſe Filium Patris, vel quia ipſum faciebāt creaturā, vel quia nomē Filij ſoli humanitati ſiuè Chriſto vt homini non vt Deo tribuebant, quia ipſum negabant eſſe Deum verum; huius erroris ſectatores fuerunt Arrius, & Paulus Samoſatenus ſecundum Athanaſ. in orat. Deum de Deo, & in ep. de decre. Nicen. Syn. & Baſilius tribuit eumdem errorem lib 1. contra eumdem.

Cum autem in ſuperioribus diſputationibus ſparſim, & diffusè conſtet ſecundam perſonam Trinitatis eſſe verum Deum, dubitari poteſt ſi ſit Filius Patris, quod eſt idem ac ſi producatur a Patre per generationem vniuocam, quæ ad perfectam filiationem requiritur.

Pars affirmatiua probatur pluribus authoritatibus, & rationibus. Primò authoritatibus probatur. Nam Pſal. 2. dicitur Filius meus es tu, ego hodie genui te, & in Pſal. 109. dicitur, ex vtero ante Luciferum genitus, & Iſaię 53. generationem eius quis enarrabit, & capitulo vltimo numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non paream, & Ioann. primo dicitur vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti a Patre, vbi de æterna generatione fit mentio; quia a ſolo Patre dicitur ſine matre, & in 1. ep. can. eiuſd. c. 5. dicitur vt ſimus in vero Filio eius, & Conc. Nyc. in Symb. genitū nō factum, & Damaſc. ad obiecta Arrianorum dicit, quis Filium dicat, & genitum neſciat? quis Patrem credat, quem non conſideret genuiſſe?

Secun-

Secundò probatur rationibus. Nam generatio vniuoca eſt productio viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ, ſed ſecunda perſona in diuinis iſto modo producitur à Patre ergo, maior probatur, & declaratur. Nam primo dicitur productio, ſiuè origo à viuente coniuncto ad differentiam inanimatorum,quę ex materia extrinſeca producunt,vt ignis producit ignē ex ligno. Secundò dicitur in ſimilitudinem naturæ,vel genericæ, vt quando equus generat mulum ſibi ſimilem in genere animalis vel ſpecificè,vt quando generat alterum equum;minor probatur; nam ſecunda perſona producitur de ſubſtantia Patris, vt infra ſuo loco probabimus & eſt coniuncta Patri in ſimilitudinem,imò in identitatem naturæ etiam ſingularis, ergo ſicut eius productio eſt vera generatio,& ipſe verè Filius.

Secundò probatur.Tum quia producens,& productum habent eamdem naturam;tum quia terminus productus formalis eſt eiuſdem rationis cum principio productiuo, ideſt eſſentia diuina in Patre producente, & in Filio producto, tum quia producens, & productum ſunt eiuſdem omnino perfectionis, quæ omnia ſunt de quidditate generationis vniuocæ ex qua vera,& propria filiatio oritur.

Contra prædicta tamen arguitur; nam inter vniuoca eſt propria diſtinctio,ſed inter Patrem & Filium nulla eſt diſtinctio, vti vniuocantur in eſſentia diuina; quia vt ſic ſunt idem, & vnus Deus; igitur non poteſt vniuoca generatio eſſe in illis. Reſpondetur inter Patrem,& Filium nullam eſſe diſtinctionem quatenus vniuocantur in eſſentia diuina,ſicut neque homo, & equus diſtinguuntur in animali,in quo vniuocantur,diſtinguũtur tamen inter ſe per differentias oppoſitas,& ſic Pater, & Filius inter ſe per relationes originis oppoſitas diſtinguuntur.

Secundò arguitur Spiritus Sanctus procedit à Patre viuente coniuncto illi in ſimilitudinem naturæ, & tamen eius productio non eſt generatio,nec ipſe dicitur Filius, igitur nec ſecunda perſona ex hoc pręcisè quia procedit à Patre dicendus eſt Filius,nec eius productio dicenda eſt generatio. Reſpondetur pro nunc breuiter, nam latius in de Spiritu Sancto magis ad propoſitum hoc tractabimus,quod generatio vniuoca eſt illa,in qua genitum aſſimilatur generanti,quæ aſſimilatio in natura prouenit præcisè ex vitalis proceſſionis, & cum ſola ſecunda perſona Trinitatis ſit ſi-

milis

milis Patri ex vi ſuę proceſſionis,cuiuſmodi non eſt Spiritus Sanctus,propterea ſecunda perſona propriè dicitur genita, & Filius, non tertia perſona.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum ſecunda Perſona ſit propriè Verbum.

ALogiani hæretici, ſcilicet ſine Verbo, ideſt tollentes Verbum,Logos enim grçcè Verbum latinè ſignificat negabãt ſecundam perſonam Trinitatis eſſe Verbum,vt inquit Aug. hær. 30. & propterea Euangelium Ioannis ipſi non recipiebant, vbi dicitur In principio erat Verbum. Secundo Arrius,& Eunomius quamuis Euangelium Ioannis,& Scripturam Sacram non negauerint,tamen ſecundam perſonam Trinitatis negabant eſſe propriè Verbum, quia aſſerebant eſſe creaturam, & nulla creatura manet intra Deum,ſicut Verbum mentale manet intra mentem, & exponebant Scripturam,vbi ſit mentio de Verbo Dei applicato ad ſecundam perſonam Trinitatis,quod per ſimilitudinem,& metaphoram dicatur Verbum, ſicut Ioannes Baptiſta dicebatur vox; quia ſemper prædicabat, ità Chriſtus dicebatur Verbum propter excellentem eius ſapientiam. Tertio Valentinus aſſerebat ſecundam perſonam eſſe propriè Verbum; ſed prolatum à Patre poſt multa ſecula,vt refert Hyreneus lib. 1.& Hylar.lib.6. de Trin. Quartò Durandus in 1.diſ.2.q.2.negat ſecundam perſonam eſſe propriè Verbum, quia vt vidimus ſupra in eius ſententia ſecunda perſona non producitur per intellectum paternum,ſicut omne Verbum mentale producitur.

Sed contra primos hæreticos ſufficit Sacra Scriptura ab illis negata. Contra ſecundos eſt quod ſupra vidimus omnes tres perſonas eſſe verum proprium & perfectum Deum. Contra tertios eſt quod diximus de æternitate Dei,eiuſque immutabilitate; quæ non eſſet incontaminata, ſi in Trinitate alia perſona adderetur in tempore.Contra Durandum verò recurrendum eſt ad quęſtionem illam quartam Sectionis ſecundæ diſputationis quartæ.

Cum ergo ſecunda perſona Trinitatis ſit verus, & æternus Deus,& per intellectum producatur,adhuc inquiri poteſt, vtrum ſit propriè Verbum,& ſi eſſe Verbum ſit proprietas conſtitutiua ſecun-

ſecundæ perſonæ Trinitatis,& ratio dubitandi eſt;quia non omne quod per intellectum producitur Verbum eſt; ſiquidem habitus ſcientiæ non eſt Verbum non obſtante quod per intellectum producatur, nec eſſe eſt enim vt Verbum conſtituat eum a quo procedit actu intelligentem,& ei repreſentet aliquid, at ſecunda perſona non poteſt conſtituere Patrem actu intelligentem, nec ei aliquid repreſentare; quoniam nihil perfectionis à Filio Pater accipere poteſt; igitur non eſt dicendum Verbum. Secundò eatenus Deus Verbum dicitur, quatenus ab eo omnia proferuntur ſecundum D.Baſil.ſed in Deo non eſt propria prolatio; igitur ibi non eſt propriè Verbum. Tertiò Filius dicit relationem realem ad Patrem generantem, & Verbum ſimiliter relationem realem dicit ad Patrem dicentem; ſi ergo Filius eſt Verbum erunt in ſecunda perſona Trinitatis duæ relationes reales ad Patrem, conſequens eſt falſum,ergo,& antecedens.

His tamen non obſtantibus. Primò dicendum nobis eſt Filiũ Dei eſſe propriè Verbum Patris; tum quia vbique Sacra Scriptura hoc proclamat in initio Euangelij Ioannis dicitur in principio erat Verbum, & in ſecunda eius canonica tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & in Apoc.nomen eius Verbum Dei,& in Pſal.32.Verbo Dei cęli firmati ſunt,& pluribus alijs locis Sac. Scripturæ, in quibus omnes PP. explicant de ſecunda perſona Trinitatis, tum quia omnes proprietates Verbi mentalis ipſi Verbo diuino competunt: Verbum enim mentale producitur ab intellectu, ſiuè à memoria per actum dicendi,& habet duas relationes, alteram realem ad dicẽtem,alteram rationis ad rem dictam, & expreſſam, ſeù declaratam per ipſum. Prima relatio eſt producti ad producentem. Secũda relatio eſt declarantis, ſiuè declaratiui,ſeù expreſſiui ad rem declaratam, & expreſſam per illud, eodem prorſus modo Filius Dei producitur ab intellectu paterno per actum dicendi, & habet illas duas relationes.Primam ad Patrem,vt generantem,& dicẽtem ipſum,quæ eſt realis. Secundam rationis,ideſt expreſſiui, ſeù declaratiui ſui ipſius,eſſentię diuinę,& omnium,quæ ſunt in Deo, quæ quidem relatio expreſſionis quamuis ſit communis etiam eſſentię diuinæ & alijs perſonis;appropriatur tamen ſecundæ perſonæ, quæ producitur per intellectum, cuius proprium eſt exprimere,& declarare,ex quo fit ſecundam perſonam Trinitatis eſſe

verè,

verè,& proprium Verbum.

Secundò dicendum eſt,nomen Verbi eſſe proprietatem ſecundæ perſonæ ipſam in eſſe perſonæ conſtituentem probatur ex Aug.5.de Trin.c.13.vbi ait,tres perſonæ non dicuntur eſſe vnum Verbum,ſicut dicuntur eſſe vna ſapientia;quia ſapientia ſecundũ ſe non dicit aliquod relatiuum ; Verbum autem dicit relatiuum, ſubinfero minorem; ſed relatio vt relatio conſtituit perſonam diuinam in eſſe perſonali; igitur eſſe Verbum pertinet ad conſtitionem ſecundæ perſonæ Trinitatis.

Ad primam rationem dubitandi reſpondetur multum inter eſſe inter Verbum noſtrum & Verbum Dei ; nos enim producimus Verbum,vt intelligimus,& illo formaliter intelligimus; Pater autem diuinus producit Verbum ex ſumma fęcunditate ſuæ naturæ; non quia illo indiget,vt intelligat.

Ad ſecundam rationem reſpondetur duplex eſſe Verbum mentale,& vocale, per hoc ſecundum fit propria prolatio, non per primum,per quod etiam aliquatenus, & impropriè prolationem fieri dicitur,quia per Verbum declaratur expreſsè quod prius latebat in mente.

Ad tertiam rationem reſpondetur vnam, & eamdem ſimplicẽ relationem eſſe Filij & Verbi ad Patrem generantem, & dicentem. Nam ſecundum Aug.7.de Trin.c.2.eo eſt Filius quo Verbum,& eo Verbum,quo Filius: ſecunda tamen perſona quatenus dicitur Verbum habet aliam relationem nimirum rationis,ſcilicet declaratiui,& expreſſiui tum ſui ipſius, tum omnium aliorum quæ ſunt ſiuè formaliter, ſiuè eminenter in Deo vt in ſequenti quæſtione explicabimus.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Verbum Diuinum dicat reſpectum ad Creaturas.

QVia dictum eſt Verbum diuinum eſſe notitiam genitam, cuius notitiæ proprium eſt declarare quod exiſtebat in memoria, & propterea Filium Dei dici propriè Verbum; nunc meritò inquirit Scotus in primo diſ.27.q. 3. propoſitã quęſtionem,& in quodlib.6.inquit hanc habere duplicem ſenſum. Primus ſenſus eſt vtrum Verbum taliter dicat reſpectum declaratiui

tiui ad creaturas declaratas exiſtentes in mente diuina, vt reſpectus ille ingrediatur eſſentialiter in eius proprietate conſtitutiua, ac perindè dici propriè Verbum. Secundus ſenſus eſt, eſto quod ille reſpectus non ingrediatur in eius conſtitutione. Vtrum ſaltem talis reſpectus, ideſt declaratiui importetur per hoc nomen Verbum, & quomodo importetur pro per ſe ſignificato, an pro connotato primario, an ſecundàrio ad hoc, vt propriè Verbum dici poſſit.

Ad huius quæſtionis deciſionis maiorem intelligentiam notãdum eſt, quod Verbum dicit reſpectum declarãtij ad declaratum, ſeù repreſentãtis ad repreſentatum, vt infra latius dicemus. Verbum enim cum ſit notitia ad quam pertinet declarare obiectum, quod prius latebat in memoria; Verbum diuinum ſeipſum Patrẽ, & Spiritum Sanctum, eſſentiam diuinam, cæteraque diuina, & etiam creaturas exiſtentes in Deo declarare oportet. Vtrum verò iſta declaratio pertineat ad conſtitutionem eſſentialem ipſius, nec nè, inquiritur.

Pro primo ſenſu quæſtionis, ſi talis reſpectus ingrediatur in conſtitutione Verbi eſt prima ſententia Henrici affirmatiua, qui probat à ſimili de dono; donum enim quia dicit reſpectum aptitudinalem pertinet ad proprietatem conſtitutiuam Spiritus Sancti, eodem igitur modo Verbum quatenus dicit relationem aptitudinalem, non actualem, nec potentialem pertinet ad ipſius conſtitutionem. Secundò Verbum eſt notitia per ſe declaratiua; igitur ad conſtitutionem Verbi ingreditur reſpectus declaratiui. Tertiò ars refertur ad artificiatum, ſed per D. Aug. 7. de Trinit. Verbum diuinum eſt ars omnipotentis Dei plena omnium rationum viuentium, igitur Verbum refertur ad res per ipſum repreſentatos quaſi artificiales. Quartò denique Aug. lib. 83. qq. quæſt. 63. ait, quòd grçcè logos dicitur, latinè Verbum, & rationem ſignificat, & hoc loco, ideſt in principio Euangelij Ioannis, melius Verbum interpetratur, vt ſignificetur non ſolum reſpectus ad Patrem, ſed ad illa etiam, quæ per ipſum facta ſunt operatiua potentia; igitur Verbum non ſolum dicit reſpectum ad Patrem, ſed etiam ad creaturas.

Oppoſita tamen ſententia, & nobis tenenda eſt Scoti loc. cit. vbi paucis verbis reſpondet ad vtrumque ſenſum queſtionis. Verbum diuinum cum ſit notitia expreſſa per memoriam dicit duplicem

cem

Digitized by Google

cem reſpectum,& expreſſi ad exprimentem, & declarantis ad declaratum, ſicut omne Verbum creatum, & intellectio refertur realiter vt expreſſa ad intellectum,ſeù memoriam exprimentem, & refertur ratione,vt declaratiua ad rem per ipſam declaratam. Quæ prius latebat in memoria; hoc prorſus modo Verbum diuinum refertur ad Patrem,vt exprimentem,& dicentem,& hęc relatio eſt realis,& etiam refertur ad Patrem,& Spiritum Sanctū, & eſſentiam diuinam,& creaturas,& ad ſeipſum, vt declaratum, quæ relatio eſt rationis cum ſit etiam ad ſeipſum ſecundum Aug. 7.de Trin.c.3. vbi inquit, Verbum declarat ſe, & cum ſit relatio ad creaturas nihil ad ſeipſum realiter referri poteſt, nec Deus ad creaturas realiter referri; & cum ex ente reali, & ente rationis non poſſit fieri aliquid per ſe vnum, non poteſt vterque reſpectus ingredi in conſtitutione Verbi,cum Verbum ſit ens per ſe vnum, & cum ſit ens reale debet conſtitui ex proprietate, ſecundum quā dicitur habere reſpectum realem; huiuſmodi eſt expreſſio paſſiua, ſiuè generatio paſſiua,vel filiatio,ſeù potius verbatio dicta,& abſtracta a verbo, & verbari,quod propriè eſt exprimi,& dici,& in propoſito eſt generari, & cum hæc generatio ſit per intellectum, connotat etiam notitiam, cuius notitiæ proprium eſt declarare obiecta,ad quæ dicit relationem rationis; vndè hic ordo ponendus eſt ex ſententia Scoti ad deciſionem præſentis quæſtionis.

Primò Verbum diuinum primo,& per ſe,& ex ſui conſtitutione dicit reſpectum originis,quę eſt expreſſio paſſiua intellectualis. Secundò connotat notitiam tamquam terminum formalem cōmunicatum per talem expreſſionem, & quamuis illa notitia ſit communis tribus,cum tamen approprietur Verbo, cuius appropriationis ratio eſt;quia Verbum ex vi ſuę proceſſionis habet talem notitiam,quam notitiam licet habeant Pater,& Spiritus Sāctus,non tamen Pater ex ea vi,qua producit,& conſtituitur in eſſe Patris eſt notitia, ſed eſt memoria, nec Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis eſt notitia,ſed amor; ſecunda verò perſona Trinitatis,ideſt Verbum diuinum ex vi ſuę proceſſionis eſt notitia,& propterea non tantum habet illam notitiam ingenitam ad modum,quo habent duæ aliæ perſonæ,quatenus per illam notitiam ingenitam omnes tres perſonæ intelligunt, ſed ſpeciatim habet eam ex vi ſuę proceſſionis;ideò illi ſoli appropriatur notitia. Tertiò, & vltimo dicit reſpectum declarantis ad res declaratas ſiuè

ad

ad ſeipſum,ad Patrem,ad Spiritum Sanctum,& ad cętera diuina, ſiue ad creaturas, & hoc pacto per nomen Verbi connotatur relatio declaratiui; ſiquidem notitia refertur ad cognoſcibilia, vt declarata per ipſam; vnde Aug.in lib.83.qq.in q.vlt.inquit Verbum ſignificat non ſolum ad Patrem reſpectum;ſed etiam ad illa, quæ per ipſum facta ſunt operatiua potentia. Ex his dictis duæ concluſiones colliguntur.

Prima concluſio. Relatio expreſſionis,qua Verbum dicitur exprimi à Patre eſt realis,& per ipſam Filius refertur ad Patrem,& conſtituitur Filius in eſſe Verbi, & eſt proprius illi talis reſpectus ideſt expreſſionis paſſiuæ.

Secunda concluſio. Relatio declaratiui ad omnia diuina declarata,& ad creaturas declaratas eſt rationis, & propterea nō pertinet ad conſtitutionem Verbi, nec eſt propria illius, ſed duntaxat appropriata, & propterea pro connotato tantum importatur talis reſpectus declaratiui per hoc nomen Verbum; vnde Nazianz.in orat.2.de Theolog.ait, Verbum dicitur, quod eamdem rationem habeat cum Patre,quam Verbum cum mente, non ſolum quia ſit à Patre citra omnem perfectionem geniti; ſed etiam quod Patri ſit connexum,& eum enunciet.

Prima concluſio iam probata manet in ſuperioribus vbi actum eſt de productione Verbi.

Secunda concluſio probatur primò. Nullum ens reale conſtituitur ente rationis,ſed Verbum eſt ens reale,igitur non conſtituitur relatione declarantis ad declaratum, quæ eſt reſpectus rationis pręſertim ad ſeipſum,& ad creaturas; ſiquidem nihil ad ſeipſum,nec Deus ad creaturas realiter referri poteſt. Secundò omnis reſpectus ad creaturas in diuinis habet pro fundamento aliquod commune,& eſſentiale,vt Dei intelligentis creaturas intellectum, & voluntatis voluntate; igitur hic reſpectus declaratiui ad creaturas declaratas habere debet pro fundamento quid commune non peculiare Verbo,per quod ab alijs perſonis diſtinguatur. Tertiò neceſſe eſſe à ſe non conſtituitur ex non neceſſe eſſe à ſe; ſed Verbum diuinum eſt neceſſe eſſe à ſe,reſpectus verò omnis ad creaturas minimè,ergo. Quartò denique probatur authoritate Aug.7.de Trin.c.4.dicentis per idem quod prius Filius non dicit reſpectum ad creaturas,ſed eò Verbum,quo Filius;igitur Verbum nec dicit talem reſpectum ad creaturas.

Ad rationes in oppoſitum reſpondetur ad primam. Relationem illam aptitudinalem diuinam pertinere ad Sp. Sanctum, vt proprietatem ipſius conſtitutiuam; ſiquidem nullus reſpectus ad extra ſufficit conſtituere aliquid ad intra. Ad ſecundam reſpondetur notitiam illam declaratiuam non eſſe propriam, ſed appropriatam Verbo, quia eam habet ex vi ſuæ proceſſionis, & propterea eſt etiam cõmunis tribus, tum enim Pater, tum S. Sanctus habent notitiam declaratiuam ſuimet ipſarum, & omnium quæ habent in diuinis ſicut inquit Aug. 7. de Trin. c. 14. Pater ſeipſum dicens, ideſt declarans genuit Filium.

Ad tertiam reſpondetur, quod ars eſt quid commune tribus; nã ſicut Pater dicitur formaliter ſapientia, & virtus, ita etiam formaliter dicitur ars; appropriatur tamen ſapientia, virtus, & ars Filio ſecundæ perſonæ, quæ eſt propriè Verbum; quia ex vi ſuæ proceſſionis eam habet, quippè qui producitur, vt ſapiẽtia, & ars. Ad quartam dicitur Auguſtinum dicere meliorem eſſe interpetrationem Verbi, quam rationis à verbo greco, logos, quia Verbum vtrumque ſignificat tùm reſpectum ad Patrem dicentem, & exprimentem, tùm reſpectum ad creaturas declaratas per ipſum; ratio autem nec proprium, nec appropriatum reſpectum dicit.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum Verbum Diuinum notionale tantum ſit, an etiam eſſentiale.

PRima fuit ſententia Durandi in 1. diſ. 27. qu. 4. aſſerentis; Verbum eſſentialiter tantum ſumendum eſſe, non notionaliter, cuius fundamentum eſt eius ſæpè lata ſententia, quod Verbũ diuinum non producitur per actum intellectus, ſed immediatè per naturam, igitur nomen Verbi non eſt proprium, ſed appropriatũ Filio ſecundæ perſonæ; cum autem hoc fundamentum falſum, & erroneum ſit, vt ſæpè ſupra probatum eſt, falſa, atque erronea eſt etiam hæc ſententia.

Secunda ſententia eſt D. Tho. in 1. diſ. 27. q. 2. a. 2. & Capreol. q. 2. a. 1. & Ferrar. 4. contra gentes c. 13. qui omnes aſſerunt Verbum tum notionaliter, tum eſſentialiter dici in diuinis, & probãt ſuam ſententiam, quia in diuinis eſt vnum Verbum productum quod eſt

Filius

Filius ſecunda perſona Trinitatis,& preter hoc eſt aliud Verbum improductum & ingenitum ipſamet intellectio,& notitia ingenita, quæ eſt actus vitalis intellectualis aliquo modo profluens à principio interno intellectuali, & propterea hæc etiam notitia ingenita propriè Verbum dicitur, quæ cum ſit communis tribus, & eſſentialis ſequitur in diuinis eſſe tum Verbum eſſentiale, tum notionale.

Tertia verò ſententia verior,& conformior Sac.Scripturæ eſt quæ ſupponitur a Scoto diſt.illa 27.q.3.in calce, quam tuetur D. Tho.p.p.q.34.ā.1.& ferè omnes Scholaſtici cum Magiſtro ſentē. diſ 27.quod Verbum notionaliter tantum dicitur,& probatur authoritatibus,& rationibus.

Authoritas eſt D.Aug.lib.5.de Trin.c.13.& lib.6.c.7.& lib.10. c.1.& lib.de conditione veræ vitæ c.14 in omnibus his locis docet Auguſtinus tres perſonas non dici vnum Verbum,ſicut dicuntur vna ſapientia, quia ſapientia, vt ſic non dicit relatiuum Verbum autem dicit relatiuum quod eſt Filius;ſed omne relatiuum in diuinis eſt notionale,non eſſentiale,igitur Verbum,non eſt eſſentiale, ſed notionale, & Cyrill.lib.5.theſau.c.1.dicit, Verbum eſt nomen proprium Filij,ſed quod eſt proprium in diuinis notionale eſt,non eſſentiale,ergo.

Rationibus etiam probatur primo. Cum illud propriè dicatur Verbum,quod per locutionem exprimitur, atque producitur, & nullum eſſentiale in diuinis produci poteſt, ſequitur quod Verbū ex eo quod producitur non poteſt eſſe eſſentiale, ſed ſolum notionale. Secundò amor,& Spiritus indifferenter in Sac.Scrip.tribuitur omnibus perſonis,& etiam vni ſoli,ideſt tertiæ perſonæ,Verbum autem vbique Sac. Scriptura vni ſoli ſecundæ perſonæ tribuit, vt in principio Euangelij Ioannis In principio erat Verbū, & Verbum erat apud Deum,vbi de ſecunda perſona eſt ſermo,& in Apocal.c.9.& nomen eius Verbum Dei.

Ad rationem autem D.Th.reſpondetur, quod intellectio illa, quæ tribus competit,& eſt eſſentialis non poteſt dici Verbum,ex eo quod eſt ingenita,ad Verbum autem propriè requiritur, vt ſit expreſſum,& productum; ea propter notionaliter tantum Verbū dicitur,non eſſentialiter.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum hæ propoſitiones ſint veræ Pater dicit Verbo, & Pater ſapit ſapientia genita.

PRo intelligentia huius quæſtionis primò notandum eſt, quod hoc Verbum declarare dupliciter ſumitur formaliter, & effectiuè. Speculum enim ſeipſo declarat formaliter imagines, ſed producens ſpeculum nõ formaliter, ſed effectiuè declarat eaſdem imagines illo ſpeculo à ſe producto, & non ſeipſo declarat illas, & hæc omnia applicari poſſunt ad Verbum diuinum, quod primò dicit reſpectum realem, & mutuum dicti, & expreſſi ad potentiam dicentem, & exprimentem, & è contra. Secundò dicit reſpectum ad res dictas, & declaratas per ipsũ formaliter ſiuè creatas ſiuè increatas; qui quidem reſpectus declaratiui cum ſit communis competit tribus perſonis, quo omnes tres ſeipſis formaliter daclarant ſeipſas, & omnia declarabilia, quia habent notitiam illam ingenitam in ſe formaliter, quæ eſt declaratiua omnium declarabilium, quam notitiam ingenitam, & infinitam, & omnũ declaratiuam cum habeat Filius ex vi ſuæ generationis, qui producitur, vt notitia genita cũ qua notitia illa ingenita maius ſymbolum habet, quam cum memoria poſita pro Patre, & cum amore poſito pro Spiritu Sancto, propter has rationes hic reſpectus declaratiui appropriatur Verbo diuino. Tertiò habet reſpectum declaratiui effectiuè ad rem declaratam, quo Pater dicitur declarare effectiuè res Verbo; & Pater, & Filius res declarare Spiritui Sancto, quatenus Pater producit Verbum, & vterque Spiritum Sanctum, in quo quidem Verbo, & Spiritu Sancto & in ſpeculo formaliter omnia declarantur, & ita cum Pater diuinus producẽdo Verbum communicet ei notitiam illam ingenitam declaratiuã omnium declarabilium Pater dicitur effectiuè declarare Verbo res declarabiles, & cum vterque producendo Spiritum Sanctũ communicent ei eamdem notitiam, vterque dicitur effectiuè Spiritus Sanctus res declarare; Pater autem cum non habeat principium ſui productiuum non ad eſt aliqua perſona in diuinis, quæ effectiuè ipſo Patri declaret res, & cum Spiritus Sanctus non producat perſonam ad intra, non habet quo res declaret effectiuè ad intra.

Secũdò notãdũ eſt, ꝙ ſicut ex dictis colligitur, Verbũ duplicem reſpe-

reſpectum dicere nimirum dicti, & dicentis, dicti ad Patrem dicentem,& producentem ipſum,dicentis ad res dictas,& declaratas per ipſum,ita vtrumque, ideſt dicere, & declarare dupliciter ſumitur: nam dicere,& eſt eſſentiale,& eſt notionale,& declarare etiam dupliciter ſumitur tum formaliter,tum effectiuè, ex quibus poſitis colliguntur aliquæ propoſitiones.

Prima propoſitio: dicere primo modo ſumptum idem eſt, ac intelligere,ideſt eſſentialiter, & ſicut omnes tres perſonæ diuinæ intelligunt,ita omnes tres dicunt,& ſicut nulla perſona diuina intelligit altera ablatiuè; quia nulla perſona poteſt eſſe alteri forma eſſendi,aut operandi in diuinis, ſic nulla perſona dicit altera ablatiuè,& in hoc ſenſu intelligit D. Anſelm. in Monol. c. 63. vbi ait,Pater,& Filius,& Spiritus Sanctus ſunt vnum dicens.i.intelligens, & quælibet perſona diuina dicit .i. intelligit, quia quælibet habet notitiam illam ingenitam, quæ eſt illi forma intelligendi, qua quæcumque perſona diuina ſuo modo dicit.

Secunda propoſitio: dicere ſecundo modo ſumptum, ideſt notionaliter idem eſt ac per intellectum producere, & ſic ſolus Pater dicit,non quidem Verbo, ſed Verbum, ſicut non Verbo, ſed Verbum producit,ita Riccar. 6. de Trin. c. 3. ait,ſolus Pater dicit, & Auguſtinus,Pater Verbum dixit,in quo omnia diſpoſuit.

Tertia propoſitio: declarare primo modo ſumptum, ideſt formaliter competit omnibus tribus,& ſic Pater ſeipſo, vt ſpeculo declarat ſeipſum Filium,& Spiritum Sanctum, eſſentiam diuinã, omnia diuina,& res creatas,& ſimiliter Spiritus Sanctus; ſed appropriatur Filio propter rationem dictam in ſecundo notabili,& propterea Aug. 7. de Trin. c. 3. dicit, ſi.n.verbum,quod nos proferimus,temporale,& tranſitorium,& ſeipſum oſtendit,& illud, de quo loquimur, quanto magis Verbum illud per quod facta ſunt omnia.

Quarta propoſitio,declarare ſecundo modo ſumptum,ideſt effectiuè competit Patri reſpectu Filij, & Patri, Filioque reſpectu Spiritus Sancti,& ſicut dicitur Pater dicit, ideſt declarat Verbo, ita dici poteſt Pater,& Filius dicunt Spiritu Sancto,quamuis hæc non ſit ita vſitata ſicut prior propoſitio, ex hac vltima reſolutione patet,quid ſit dicendum ad primam partem quæſtionis, quomodo Pater,& Filius dicunt alio,ideſt effectiuè; patet etiam non poſſe affirmari Spiritum Sanctum dicere Verbo, quia nec produ-

cit,nec dat illi formam,ideſt notitiam illã ingenitam,quæ eſt forma dicendi,& declarandi,ideſt formaliter; benè tamen dici poteſt Spiritum Sanctum effectiuè dicere,& declarare creatura;quia loquẽdo de manifeſtatione creaturæ,omnes tres eam producunt, & ſic omnes tres effectiuè ea declarant.

Ad ſecundam partem quæſtionis reſpondetur nullo modo illam propoſitionem eſſe veram, ratio eſt lata ex authoritate D. Aug.lib.7.de Trin.c.1.& 2. dicentis,Pater eo eſt,quo ſapit; quia idem eſt illi ſapere,& eſſe,ſi ergo ſaperet Verbo eſſet Verbo, ſed non eſt Verbo,ergo non ſapit Verbo,nec ſapientia genita, & ratio eſt,quia actus eſſentialis non poteſt eſſe alterius ſuppoſiti mediante aliquo principio, vt Quo, niſi ſit tali perſonæ principium eſſendi formale,& ſic dicitur Pater ſapit ſapientia ingenita ſecũdum Auguſtinum,quia Pater eo eſt,quo ſapit, vel ſecundo niſi ſit principium eſſendi principiatum, vt in ſententia illa quæ tenet Verbum produci ex notitia omnium, vel aliquorum, quæ ſunt in mente Patris, & ſic Magiſter inquit, Filium eſſe ſapientem ſapientia ingenita,à qua habet,vt ſapiat,quia ſapiẽtia eſt illi principium principiatum,cuiuſmodi non eſt Patri, nec Spir.Sancto, & propterea non dicitur Pater,& Spiritus Sanctus ſapit hoc modo ſapientia ingenita, vel tertio niſi ſit principium actiuum ſub auctoritatiuum talis actus, quomodo dicitur Pater creat Verbo; quia etiam Verbum creat ſubauctoritatiuè à Patre, à quo ſibi cõmunicatur principium creandi. Subinfertur minor: his omnibus præſuppoſitis;ſed Filius non eſt Patri principium eſſendi formale,nec principiatiuum, nec actiuum ſubauctoritatiuum reſpectu actus eſſentialis cuiuſmodi eſt intelligere, quia Filius non producit ipſum actum in ſe, ſed communicatur ſibi à Patre, & principium ſub auctoritatiuum reſpectu alicuius actus debet producere illum, ſicut dictum eſt, Pater Verbo creat, quia etiam Verbum creat; igitur Pater non ſapit ſapientia genita, ſed ſapientia ingenita, vt principio formali, & etiam Filius ſapit ſapientia ingenita,vt principio formali ſecũdum Scotiſtas,& etiam vt principio principiatiuo ſecundum Thomiſtas.

Contra hanc reſolutionem duplici auctoritate arguit Scotus in 1.diſ.32.q.2. Prima auctoritas eſt Aug.in 2.de Tri.c.1. vbi inquit Pater dicit Verbo. Secunda auctoritas eſt Anſel. in monol.c. 63. vbi dicit nihil aliud eſt ſummo ſpiritui dicere, quam cogitãdo intueri,

tueri,igitur Pater intuetur Verbo, igitur ſapit ſapientia genita. Reſpódetur quod dicere ſumitur aliquando pro intelligere eſſentialiter,& pro declarare effectiuè, de primo loquitur Anſelmus, quia Pater ſapientia ingenita,& eſſentiali intuetur, ideſt intelligit de ſecundo intellexit Auguſtinus,quia Pater Verbo dicit,ideſt effectiuè declarat, vnde non ſequitur conſequentia ex illo modo dumtaxat vario .i. dicere quod capitur aliquando pro intelligere eſſentialiter,& aliquando pro declarare effectiuè.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum Filius ſit,& generetur de ſubſtantia Patris,& eſſentia Diuina ſit formalis terminus generationis.

QVatuor membra continet iſta quæſtio. Primum membrũ eſt,vtrum Filius ſit de ſubſtantia Patris,& Spiritus Sãctus de ſubſtantia vtriuſque. Secundum membrum eſt, an, & quomodo eſſentia diuina ſit principium diuinarum productionum. Tertium membrum, quomodo ſit vera iſta Filius eſt de ſubſtantia Patris, & quid ſignificet illa particula ,De, vtrum ſolam efficientiam,& originem, vt voluit Mag. diſt. 5. an ſolam conſubſtantialitatem,vt voluit D.Thom.q.4.arti.3. ad 2. an verò ſignificet vtrumque nimirum originem, & conſubſtantialitatem ſimul. Quartum membrum, ſi vtrumque ſignificat, quæ nam ſit illa conſubſtantialitas materialis nè,vel quaſi materialis, an formalis, ad hoc vt eſſentia ſit terminus formalis productionis diuinæ.

PRIMVM MEMBRVM.

Vtrum Filius ſit de ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus de ſubſtantia vtriuſque.

RAtio dubitandi eſt authoritas D.Auguſt.lib.5.de Trin.cap. 6. dicentis, tres perſonas eiuſdem eſſentiæ, vel tres perſonas eamdem eſsẽtiam dicimus, tres autẽ perſonas ex eadem eſſentia non dicimus, quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia eſt, & aliud quod perſona; ſicut tres ſtatuas ex eodem auro dicere poſſumus;

aliud enim eſt eſſe aurum,aliud eſt eſſe ſtatuam. Tunc ſic arguitur, tres perſonæ non ſunt ex eadem eſſentia, igitur Filius non eſt de eſſentia Patris,antecedens eſt Auguſtini,ſequela probatur; quod enim eſt de aliquo eſt ex illo,& non è conuerſo; nam domus eſt ex artifice, non de artifice; igitur quod non eſt ex aliquo non eſt de illo, ſed Filius diuinus non eſt ex eſſentia ſecundum Auguſtinum, igitur non eſt de eſſentia, ac per conſequens non eſt de eſſentia, vel ſubſtantia Patris, & confirmatur; nam conſtructio cum ſuo genitiuo, non notat maiorem diſtinctionem conſtructibilium, quam propoſitio cum ſuo cauſali,quando additur eidem conſtructibili,igitur non notatur maior diſtinctio,hic Filius eſt Filius eſſentiæ Patris, qua hic Filius eſt Filius de eſſentia Patris, ſed illa non conceditur,ergo nec iſta.

His tamen non obſtantibus dicendum nobis eſt cum Scoto in 1.diſ.5.q.2. verè propriè Filium eſſe de ſubſtantia Patris,quæ aſſertio probatur pluribus authoritatibus,& rationibus.

Authoritates ſunt D.Aug.lib. 1. de fide ad Petrum c.2. dicentis,Deus ergo Pater de nullo genitus Deo, de ſua natura ſine initio genuit Filium ſibi æqualem,& lib.15.de Trin.c. 19. inquit, at per hoc Filius charitatis ſuæ, & nullus eſt alius, quam qui de ſui ſubſtantia eſt genitus,& lib.4.contra Maximin.c. 14. dicit, nullo modo verum Dei Filium cogitatis, ſi cum natum eſſe de ſubſtantia Patris negatis.

Prima ratio deſumitur ex authoritate Ioannis c. 10. dicentis, Pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt, ſed maius quod eſt in diuinis eſt eſſentia,& ſubſtantia diuina,igitur Filius habens hoc maius à Patre,habet ſubſtantiam Patris, igitur eſt de ſubſtātia Patris. Secundò vt dicatur quis Filius non ſufficit, vt ſit ex alio,vel ab alio,vti Adam fuit à Deo creatus, nō genitus;nec ſufficit, vt ſit ab alio ex materia aliena, ſicut ignis eſt ab igne ex ligno; ſed requiritur,vt ſit ab aliquo ex aliquo ſui, ſed Verbum diuinum, & Chriſtus eſt verè Filius Patris ex Ioan.c. vlti. vt ſimus in vero Filio ſuo Ieſu Chriſto;igitur eſt à Patre ex ſubſtantia Patris ſibi intrinſeca. Tertiò Filius Dei non eſt ex nihilo, quia eſſet creatura,nec eſt ex aliquo extrinſeco, & alieno à natura Patris, quia eſſet extra Deum,& creatura, igitur eſt à Patre ex ſubſtantia eius.

Ad rationes autem dubitandi reſpondetur, Auguſtinum ibi

ſuis

ſuis verbis addere, quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia, & aliud quod perſona; nã alietas, & diſtinctio realis debet eſſe inter illud quod eſt, & illud ex quo eſt, quæ tamen diſtinctio non eſt inter Filium, & eſſentiam diuinam, & propterea falſa eſt iſta ſic abſolutè enũciata, Filius eſt ex eſſentia, vel tres perſonæ ſunt ex eſſentia, quia ibi denotaretur diſtinctio realis perſonarum ab eſſentia diuina; eſt tamen iſta vera, Filius eſt ex eſſentia, & ſubſtantia Patris; quia ibi additur principium originans, ideſt Pater diſtinctus realiter ab originato, ideſt à Filio.

Ad confirmationem reſpondetur, omne correlatiuum conſtruitur cum ſuo correlatiuo in illa habitudine caſuali, in qua natum eſt conſtrui, vt Filius Patris, Filius in habitudine genitiui, ſimile ſimili ſimile in habitudine datiui; maius minore maius in habitudine ablatiui, ſi ergo eſſentia diuina conſtrueretur cum Filio in habitudine genitiui, ipſa eſſet correlatiua, ac per conſequẽs eſſentia eſſet relatiua, & ſic eſſet diſtincta realiter à Filio, quod eſt falſum, & hæreticum, igitur Filius non conſtruitur in habitune genitiui niſi cum ſolo Patre, à quo realiter diſtinguitur, vt dicendo Filius eſt Patris Filius, non autem eſſentiæ Filius, & quando Aug. lib. 15. de Trin. c. 19. & c. vltimo inquit. Filium eſſe Filiũ ſubſtantiæ Patris exponitur, ſicut ipſe exponit Filius charitatis ſuæ. i. dilectionis. i. Pater Filij ſui dilecti.

Sed contra hoc arguitur: diſtinctio realis requiritur inter illud quod eſt, & illud de cuius ſubſtantia eſt, ſed diſtinctio realis eſt inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, igitur ſicut iſta eſt vera Filius eſt de ſubſtantia Patris, eodem modo hæc erit vera Pater eſt de ſubſtantia Filij, vel Spiritus Sãcti. Reſpondetur quod illa particula, De, non ſolum ſignificat diſtinctionem realem, ſed etiam ſignificat principium, cuiuſmodi non eſt Filius, nec Sp. Sanctus reſpectu Patris, & propterea non benè dicitur Pater eſt de ſubſtantia Filij, ſed è contra Filius eſt de ſubſtantia Patris, quia Pater eſt principium Filij.

De ſecundo Membro iam actum eſt ſupra Diſput. ſecunda Sect. 2. quæſt. quinta.

MEM-

MEMBRVM TERTIVM.

Quid ſignificet illa particula, De,

DIcendum eſt tria ſignificare; diſtinctionem realem, rationem principij, qualecumque ſit, & conſubſtantialitatem. Propter primum non eſt vera iſta, Filius eſt ex eſſentia, vel de eſſentia, quia non diſtinguitur realiter ab illa. Propter ſecundum, non eſt vera iſta. Pater eſt de ſubſtantia Filij; quia Pater non producitur à Filio, nec Filius eſt principium Patris. Propter tertium non eſt vera iſta. Ignis eſt de ſubſtantia ignis, quia non generatur de materia ignis, ſed de materia ligni; eſt igitur iſta vera Filius eſt de ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus de ſubſtantia vtriuſque. Primò quia ſunt tres perſonæ realiter diſtinctę. Secundò quia Pater eſt principium Filij, & vterque Spiritus Sancti. Tertiò quia eſt vna eademque numero eſſentia tribus, & idem eſt dicere Filius eſt de ſubſtantia Patris, ac Filius generatur à Patre, vt conſubſtantialis illi, vel generatur à Patre per cõmunicationem naturæ Patris, nam per ly, de, denotatur conſubſtantialitas, per ly Patris, in genitiuo denotatur in obliquo diſtinctio realis.

MEMBRVM QVARTVM.

An iſta conſubſtantialitas ſit materialis, vel quaſi materialis, an ſit formalis. ideſt Vtrum Filius ſit de ſubſtantia Patris tamquam de materia, vel quaſi materia, an tanquam de forma, ita vt eſſentia ſit terminus formalis generationis Filij, & ſpirationis Spiritus Sancti.

DImiſſa opinione Gregor. Arimin. in 1. diſ. 5. & Gabrie. diſ. 2. non diſtinguentium inter rerminum formalem, & terminum totalem adæquatum, & integrum generationis diuinę, & ſpirationis, cuius fundamentum eſt non diſtingui abſtracta a concretis quod reprobatũ eſt q. 1. Sect. 3. diſp. 2. duæ ſunt hic opiniones, altera Duran. in 1. diſ. 5. q. 4. & ſecunda eſt Aureoli apud Capreol. & Henrici in ſum. a. 5. q. 3. & quodli. 8. q. 9. & Varronis diſ. 5. & Occam ibidem hi omnes tenent eſſentiam diuinam eſſe quaſi ma-

ſi materiam productionis diuinę,proprietatem verò perſonalem eſſe terminum formalem,qui probant ſic.

Primò illud quod præſupponitur alicui productioni eſt materia illius, ſed eſſentia diuina præſupponitur productioni diuinæ: ergo; Secundò quod recipit formam geniti eſt materia generationis,at eſſentia diuina recipit formam diuini Verbi, ideſt relationem originis,quæ eſt eius forma,& actus; ergo. Tertiò ille eſt terminus formalis alicuius productionis,qui habet eſſe per illam productionem, ſed eſſentia diuina non habet eſſe per productiones diuinas, ergo non eſt terminus formalis, ſed materia productionum diuinarum. Minor patet; maior probatur per exemplũ de anima rationali, quæ eſt terminus formalis generationis hominis,quia recipit eſſe in illa generatione. Rurſus probatur eadẽ maior ratione. Nam propter quod vnum quodque tale, & illud magis,ſed productum habet nouum eſſe per formam producti de nouo productam,igitur,& ipſa magis debet eſſe,vel habet eſſe de nouo productum.

Denique hi Auctores præcipuè Henricus probat ſuam ſententiam per excluſionem inconuenientiarum, quæ accidere poſſunt ex hac ſententia, nimirum multæ imperfectiones materiæ quæ ibi interuenirent,ſi daretur ibi materia,id enim quod perfectionẽ dicit non eſt negandum Deo, ſecluſa omni imperfectione, ſed ſecluſis imperfectionibus à materia, remanent multæ eius perfectiones, igitur non eſt deneganda in diuinis materia, vel quaſi materia;minor probatur Nam eſſe puram potẽtiam, poſſe amittere formam,vt recipiat alteram,actuari,& reduci ad actum per formam,eſſe partem compoſiti, & cætera huiuſmodi dicunt imperfectionem in materia; remanere autem in vtroque extremo productionis,eſſe intrinſecam producto,eſſe id,de quo aliud producitur,eſſe ingenerabilem,& incorruptibilem,& perpetuam dicit maximam perfectionem,igitur materia,vel quaſi materia admittenda eſt in diuinis,non quidem ea parte,qua imperfectionẽ, ſed qua perfectionem dicit.

Oppoſita tamen ſententia eſt communis in Scholis,& vera eſſentiam diuinam non eſſe materiam, nec quaſi materiam, ſed terminum formalem diuinarum productionum, & relationem perſonalem eſſe conditionem,& ipſam perſonam eſſe terminum totalem,& adæquatum productionis diuinæ ita Scot.loc.cit.

Primò

Primò probatur hæc ſententia, nam in illa ſola productione requiritur materia, vbi eſt mutatio, ſed in diuinis productionibus nulla eſt mutatio, igitur nulla materia, maior probatur. Cum enim mutatio ſit actus ſubiecti mutabilis, quod ex priuatione trãſit ad formam, vel ex vna forma tranſit ad aliam, materia ſola quę eſt tale ſubiectum mutabile productionis propriè, & verè mutatur, non ipſum productum quod eſt terminus, nec forma producti, quæ de nouo accipit eſſe quamuis iſta impropriè dici poſſit mutari, ideſt de non eſſe ad eſſe, igitur vbi eſt mutatio, ibi eſt materia, & è contra, minor probatur. Nam mutatio propriè dicta dicit duplicem imperfectionem tum potentiæ actiuæ, quæ requirit ſubiectum ad hoc vt producat, cum non poſſit producere ex nihilo, quod dicit imperfectionem in producente; tum potentię paſſiuæ, ideſt potentialitatem, qua ſubiectum dicitur in potentia ad recipiendum nouam formam; ſed in diuinis neutra harum imperfectionum eſt admittenda, nõ quidem pqtentię actiuę: quia Deus de nihilo creat, & ita non ſupponit materiam, nec potentiæ paſſiuæ, quia in Deo nulla potentia paſſiua inueniri poteſt; productio igitur in creaturis mutationi coniungitur, propter imperfectionem producentis, quod ex nihilo producere non poteſt, & propter imperfectionem producti, quod ſubiectum ideſt, materiam debet præſupponere: in diuinis autem tùm ad extra, vt in creatione, tùm ad intra, vt in generatione, & ſpiratione ſeiungitur productio ab omni mutatione, & conſequenter ab omni materia, & quaſi materia.

Secundò probatur. Ille eſt terminus formalis alicuius productionis, in quo productum conuenit, & aſſimilatur producẽti, ſed Filius diuinus aſſimilatur Patri in eſſentia diuina; igitur eſſentia eſt terminus formalis, nõ materia, nec quaſi materia; maior probatur. Quia vniuoca aſſimilantur, & conueniunt præciſè in forma, non in materia, nam in materia etiam æquiuoca conueniunt; ergo. Tertiò Auguſtinus lib. 3. contra Maſſimian. c. 14. ait Filius nõ de nihilo, nec de aliqua materia, ſed ex illo, ex quo eſt genitus, & Spiritus Sanctus non de nihilo, neque de vlla materia, ſed inde eſt, vnde procedit.

Ad rationes in oppoſitum reſpondetur ad primam, quod præexiſtere poteſt generationi id quod eſt terminus formalis, & forma non tantum vti de qua illud fit, ſed etiam vt principium talis gene-

generationis. Primum eſt verum de anima rationali,quæ prius natura creatur à Deo,quàm infundatur corpori, & generetur cõpoſitum,& eſt terminus formalis generationis,& tamen præexiſtit, vt id de quo fit homo; quinimò multo tempore præexiſtere poteſt. Secundum patet in propoſito de eſſentia diuina quæ non tantum præexiſtit primo modo, ideſt tamquam id de quo Filius, & Spiritus ſanctus producuntur, vt de ſubſtantia ſecundum Aug. nempè vt de forma,non de materia; ſed etiam præexiſtit productioni diuinę,vt principium illius,& ſic eſſentia diuina eſt principium productionum diuinarum, & ſimul terminus formalis illarum,ſed diuerſimodè. Nam eſſentia cum intellectu eſt principium generationis, & eſſentia cum notitią genita eſt terminus formalis,& eſſentia cum voluntate eſt principium ſpirationis, & eſſentia cum amore producto eſt terminus formalis ita Scot.in quodlib.q.2.a.3.§.tertiò modo conceditur; vtroque igitur iſto modo falſa eſt illa maior,quòd id quod præexiſtit generationi ſit materia,non forma,cum poſſit etiam præexiſtere,& ſimul eſſe terminum formalem.

Ad ſecundam reſpondetur eſſentiam diuinam recipere relationes non tamquam ſuos actus,& perfectiones. Nam relatio determinat hypoſtaſim,non naturam ſecundum Damaſc.lib.1.c.5. ſed tamquam actus quidditatiuus recipit actum perſonalem abſq; omni potentialitate; nam perfectior eſt actus quidditatiuus actu perſonali,& hoc habetur ex Scot.in.2.diſ.1.q.1.

Ad tertium reſpondetur falſum eſſe terminum formalem productionis habere eſſe ſimpliciter per eamdem productionem, vt patet de anima rationali,quæ habet eſſe per creationem,& tamẽ eſt terminus formalis generationis hominum; vnde patet, quod non omnis terminus formalis habet eſſe per productionem; quia poteſt illi præſupponi,& ſic patet ad probationem, quod illa regula non tenet in his quæ ſunt per accidens.

Ad vltimum reſpondetur. Illa quæ videntur dicere perfectionem in materia etiam includere imperfectionem, nam manere eamdem in vtroq; extremo dicit mutationem & mutabilitatẽ materiæ nimirum ex vna forma in aliam,& ex vno ente in aliud, & eſſe intrinſecam genito,& eſſe partem eius,quod etiam dicit imperfectionem.

Pro complemento huius quæſtionis, eiuſque exactiori intelli-

gentia

gentia quatuor difficultates explanandæ ſunt, quæ impoſſibilitatem præſeferunt præſentis reſolutionis, nimirum quod Filius ſit de ſubſtantia Patris, non tanquam de materia, ſed tamquam de forma, & quod eſſentia ſit formalis terminus generationis.

Prima difficultas eſt, quoniam fieri non poteſt per ſe vnum ex pluribus, niſi alterum illorum ſe habeat vt actus, alterum vt potentia ſecundum Ariſ. 5. met. igitur Filius non poteſt eſſe ex eſſentia, & relatione, niſi illa ſit materia, vel quaſi materia, hæc verò forma, & actus. Reſpondetur ad antecedens verum eſſe dictũ Phyloſophi loquẽdo de compoſitis tum Phyſicis, tum Metaphyſicis: perſona autem diuina nullo modo ex his eſt compoſita, ſed dicitur conſtituta ex eſſentia, & relatione tamquam ex duobus perfectiſſimis actibus.

Quod ſi arguas contra hoc, quomodo ſic duo poſſunt vniri ad conſtituendum vnum, niſi vnum ſit in altero, ac per conſequens illud in quo eſt aliud habet rationem potentiæ. Reſpondetur hos duos actus ideſt, eſſentiam, & relationem in qualibet perſona fieri vnam rem ſimpliciſſimam, omni compoſitione ſecluſa; quia eſſentia diuina per infinitatem ſuam formalem identificat ſibi realiter relationem ſibi additam, ex qua ſumma, & ſimplici identitate reſultat perſona ſimplex conſtituta non compoſita, quia ad compoſitionem requiritur diſtinctio realis partium componentium, qualis non eſt inter eſſentiam diuinam, & relationem, ſed eſt tantum formalis, quæ non ſufficit ad compoſitionem, ſed ad ſolã conſtitutionem etiam realem, huius modi eſt illa perſonarum diuinarum, contra Thomiſtas aſſerentes illam eſſe conſtitutionem rationis ad effugiendum inconueniens de actu, & potentia componentibus rem, quod quidem inconueniens in noſtra ſententia vitatur, dicendo eſſe conſtitutionem realem perſonæ diuinæ ex duobus actibus ſummè ſimpliciter identificatis realiter propter infinitatem formalem eſſentiæ diuinæ.

Vndè ſciendum eſt quod natura diuina, & relatio originis, ſiuè proprietas perſonalis habent cum natura, ſeù quidditate creata, & proprietate indiuiduali tum ſimilitudinem in illo, ſcilicet in quo quidditas creata dicit perfectionem, tum diſſimilitudinem in eo, in quo dicit imperfectionem: omnis enim imperfectio diluenda eſt in diuinis. Primò quidditas creata eſt illa, qua aliquod ens eſt tali quidditate tale ens, vt homo humanitate eſt homo, & ſic

iſta

iſta quidditas eſt actus,& habet rationem actus perfectionis, qui poſſit haberi increatis,quippè qui eſt actus quidditatiuus, ſic etiã eſſentia diuina,eſt qua Deus,ſeù perſona diuina eſt Deus. Secundò quidditas creata propter ſui limitationem eſt diuiſibilis,& cõtrahibilis ad indiuidua per differentias indiuiduales, & ſic habet rationem potentiæ reſpectu illarum,quæ ſunt actus actuantes, & contrahentes, & in hoc non eſt ſimile de natura diuina reſpectu relationum; quia illa propter illimitationem vna ſingulariſſima exiſtens eſt in tribus ſine ſui diuiſione. Tertiò quidditas creata eſt actus,& differentia indiuidualis eſt actus, illa eſt magis perfectus actus,iſta magis proprius actus. Ratio primi eſt; nam ſemper prædicatum ſe habet vt forma reſpectu ſubiecti,& cum natura ſit prædicatum,differentia verò indiuidualis ſit ſubiectum, vt dicendo. Petrus eſt homo,natura ſe habet, vt forma reſpectu differentiæ indiuidualis,& hęc ſe habet vt materia,vel vt minus perfecta forma. Ratio ſecundi,cum proprietas actus ſit actuare, & determinare,& differentia indiuidualis actu,& atque determinet naturam ad indiuiduum,ſequitur quod iſta ſit magis proprius actus;nã ex hac parte natura ſe habet,vt potentia determinabilis, ſublata igitur imperfectione ab eſſentia diuina,quod eſt actuari, & determinari,remanet, vt ſit puriſſimus actus quidditatiuus, & in relatione adhuc reſtat ſua proprietas,quod eſt actuare, & determinare,non tamen reſpectu eſſentiæ,ſed reſpectu perſonæ.Nam ſecũdum Damaſc.lib.1.c.5.relatio non determinat naturam, ſed perſonam ex his relinquitur tum eſſentiam,tum relationem eſſe puriſſimos actus,ex quarum identitate perfecta reali ſit vna perſona conſtituta, & ſimpliciſſima, cum ex his actibus non reſultet niſi actus purus, & ſimplex.

Secunda difficultas eſt,relatio eſt diſtinguens, eſſentia verò nõ diſtinguit perſonas,ſed omne diſtinguens eſt actus non diſtinguẽtis,ergo relatio eſt actus eſſentiæ diuinæ,& per conſequens eſſentia eſt potentia. Reſpondetur quod Relatio, vt ſupra dictum eſt, eſt actus diſtinguens perſonam, non naturam, & ſic eſt actus perſonę,non naturę;natura enim diuina eſt actus purus quidditatiuus ſine vlla potentialitate ad diſtingui,& diuidi,in quo non conuenit cum natura creata.

Tertia difficultas eſt; ſi relatio requirit ſemper fundamentum, & eſſentia eſt tale fundamentum, videtur ipſa eſſentia eſſe prior

rela-

relatione perfectibilis per ipſam ſicut quodlibet aliud fundamentum. Reſpondetur, quod diuerſus eſt ordo in creaturis, at qui in diuinis. In illis quod eſt prius origine eſt poſterius perfectione; quia proceditur ab imperfecto ad perfectum, à potentia ad actū; in diuinis autē prius origine, eſt ſimul prius perfectione, eſt enim ibi eſſentia diuina prius origine, non quod ab ipſa originentur, & producantur alia diuina, ſed quia quaſi emanant, & pullulāt vt ab infinito pelago, & ſic magis propriè dicitur eſſentia diuina prior emanatione, quam origine propriè dicta, & cum in illo priori ſit ipſa in vltima actualitate, & perfectiſſima ſubſiſtentia, ſic eſt etiā prior perfectione; ratio eſt quia in omni genere eſt deueniendum ad aliquod ſimpliciter primum quod ſit omni primitate primum in illo genere, & ordine, alioquin ipſum ad aliud primum ſimpliciter alia primitate reduceretur, & ſic non eſſet ſimpliciter primum, quod eſt contradictorium, quod dicitur in rerum natura eſſe ſimpliciter primum origine, ideſt à quo omnia alia originem dicūt; illud idem erit ſimpliciter primum perfectione quidem, quod à nemine perfectionem aliquam mendicare queat. Hæc eſt etiam doctrina Phyloſophi, ſi ergo eſſentia diuina eſt prima origine, eſt etiam prima perfectione, & relationes in ſunt illi non tanquā in fundamento potentiali & perfectibili, ſed tanquam ſubſiſtens in natura, qua natura illud tale dicitur, quod eſt illi dare eſſe, quod eſt perfectionis in natura.

Quarta difficultas, ſi quod communicatur præſupponit id, cui communicatur, & relatio præſupponit eſſentiam in productione diuina, & conſequenter relatio communicatur eſſentię, ex hoc ſequitur relationem eſſe terminum formalem productionis, eſſentiam verò eſſe materiam, quippè quę relationi pręſupponitur improductione; Reſpondetur quod aliqua duo dupliciter poſſumus conſiderare in ſe abſolutè, & in reſpectu ad tertium, in quo conueniunt. Primò modo vnum poteſt eſſe prius alio, ſaltem quantū ad ſine contradictione poſſe ſeparari, & eſſe ſine illo. Secundò modo eadem duo contingit nec poſſe ſeparari, nec vnum eſſe ſine alio, nec prius illo reſpectu illius tertij. Exemplum vtriuſque partis eſt, vt natura, & ratio ſingularis, ſiue hæcceitas Franciſci ita ſe habēt, vt natura in ſe abſolutè ſit prior hæcceitate, & ſeparabilis ab illa, quatenus autem concurrūt ad conſtitutionem Franciſci in eius generatione, cum ipſe ſit terminus totalis, & adæquatus

tus

tus generationis,natura terminus formalis,& hęcceitas conditio talis termini totalis,ſicut Franciſcus non poteſt conſiſtere ſine illis duobus, ſic vnum illorum in Franciſco, vel reſpectu Franciſci, ſeù generationis eius non poteſt eſſe nec ſeparari ab alio,nec eſſe prius alio,ſed ęquè ſimul concurrunt ad eius conſtitutionem in generatione, vnum, vt terminus formalis,alterum,vt conditio termini totalis, ſic etiam in productione perſonæ diuinæ, nec eſſentia præſupponitur relationi nec è conuerſo iſta præſupponitur illi,quamuis in ſe abſolutè eſſentia ſit prior relatione ad modum ſupradictum,ac per conſequens falſum eſt,quod dicitur in productione diuina præſupponi eſſentiam,& relationem communicari eſſentiæ,quinimò ipſa eſſentia communicatur,quippè quę eſt terminus formalis productionis, & nō obſtante tali communicatione eſſentia non præſupponit id cui communicatur,nempè perſonam,ſed in productione ſimul conſideratur eſſentia,& communicatio,& perſona producta,nec vna pręſupponit alteram,licet eſſentia abſolutè ſit prior perſona.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum Eſſentia Diuina generet,vel generetur,ſpiret,vel ſpiretur.

QVia diximus in præcedenti quæſtione eſſentiam diuinam eſſe terminum formalem productionum diuinarum, nunc inquiritur vtrum poſſit eſſe terminus totalis alicuius productionis. Anima enim noſtra licet ſit terminus formalis generationis hominis eſt etiam terminus totalis alterius productionis, ideſt creationis, an ſaltem eſſentia diuina poſſit dici aliquo modo generans,& genita,cùm ipſa ſit principium,& ſimul terminus formalis generationis diuinæ,vt patet ex ſupradictis.

Primò Gotfredus quodlib.9.aſſerit,eſſentiam diuinam generari ſubiectiuè,quia generationi ſubijcitur,quod probat primò. Illud generatur ſubiectiuè quod manet idem ſub vtroque extremo generationis, ſed eſſentia diuina manet eadem in Patre,& Filio, ergo.Secundò,in eodem eſt terminus,& tranſmutatio,ſicut diſpoſitio,& forma,cum ergo in eſſentia diuina ſit relatio,quæ eſt quaſi terminus generationis,erit etiam in ipſa generatio,ac per conſequens eſſentia generatur.

Hæc ſententia impugnatur à Scoto diſ.5.q.2.cum enim à diuinis omnis imperfectio auertēda ſit, & hoc quod eſt eſſe ſubiectum generationis ſit maximè imperfectionis,igitur à diuinis auertendum eſt. Probatur minor: nam eſſe ſubiectum generationis eſt ipſum tranſire de priuatione ad formam, vel ipſum mutari de vna forma in aliam; ſed in diuinis nullus eſt talis tranſitus,neque mutatio,cum generatio ſit ibi productio ſine mutatione,quia productio abſtrahi poteſt à mutatione, vt probauimus in ſuperioribus; igitur nullum eſt ibi ſubiectum generationis;differt enim generatio diuina a generatione naturali, & creata, quia in iſta termini ſunt priuatio,& forma,in illa generans,& genitum,& ſicut in iſta commune vtrique termino dicitur ſubiectum illorum;quia eſt materia, ita in illa generatione diuina commune vtrique termino, ideſt generanti, & genito, quia non eſt materia, nec quaſi materia,vt ſupra probatum eſt,ſed puriſſima forma,& actus; ideò non eſt ſubiectum vtriuſque,nec quaſi ſubiectum.

Ad primam rationem reſpondetur,quod quamuis eſſentia maneat eadem in Patre,& Filio,non manet in illis ſicut ſubiectum illorum,ſed ſicut actus,& forma,qua Pater, & Filius ſunt Deus,nimirum forma dans eſſe; in generatione autem naturali commune vtrique termino eſt ſubiectum illorum,ideſt materia recipiens illos. Ad ſecundam reſpondetur,relationem non eſſe in eſſentia, vt forma in materia, vel actus in potentia propter quod dicatur in ipſa eſſe generationem, & actionem, ſeu productionem talis actus; ſed eſt ſicut actus perſonalis in actu quidditatiuo ſicut forma hypoſtatica in natura,& per conſequens generatio diuina nō eſt nec recipitur in eſſentia,vt in ſubiecto.

Sed quamuis non ſit verum eſſentiam diuinam generari ſubiectiuè, ſiquidem hoc dicit imperfectionem; adhuc inquiri poteſt vtrum generetur terminatiuè nempè,vt terminus totalis, & vtrū ipſa generet productiuè,ſcilicet vt principium quod;vtrūq; enim hoc maximè perfectionis eſt; nam Pater generat,& Filius generatur,alias eſſet ſecus. Pręſens quæſtio dupliciter expedienda eſt. Primò quantum ad rei veritatem. Secundò quantum ad logicam veritatem,& modum loquendi.

Quantum ad primum ſenſum quęſtionis omnes Theologi conueniunt eſſentiam diuinam nec generare, nec generari; ſed duo ſunt modi explicandi hanc ſententiam oppoſiti; Magiſter enim

in 1.

in 1.diſ.5.q.1.affirmans in diuinis vltra tres perſonas eſſe eſſentiã diuinam,quę nec generat,nec generatur, habetur,vt hęreticus ab Abbate Ioachimo inferente ex opinione magiſtri quaternitatem in diuinis,ac ſi mag.ſentiret eſſentiam diuinam eſſe rem diſtinctã realiter a tribus perſonis,cum tamen pænitus diſtet a quaternitate opinio magiſtri,aſſerens illam rem quæ eſt eſſentia diuina non eſſe realiter diſtinctam a tribus, & ſic errauit Ioachim in ſimulãs magiſtrum hæreſis,vt declarauit Conc. Lateran. extra de ſumm. Trin.& fid.cath.& cap.damnam.dicens,nos autem Sacro approbante Concilio concedimus , & confitemur quod vna ſumma res eſt eſſentia,vel natura diuina,quę nec generat,nec generatur,non tamen ſequitur quod ſit quaternitas,quia illę tres res Pater,& Filius , & Spiritus Sanctus ſunt illa vna res , quaternitas autem eſſe non poteſt niſi eſſet quartum realiter a tribus diſtinctum: in oppugnando igitur opinionem magiſtri errauit Ioachim non intelligens ipſum, & quia ipſe negauit eſſentiam diuinam eſſe aliquam vnã rẽ,negauit etiã perſonas diuinas cõuenire in illa vna eſſentia ad hoc vt inferret in diuinis nõ eſſe aliquã eſſentiã vltra pſonas , quæ generet , vel generetur,ſpiret,vel ſpiretur , & quamuis iſta conſequentia vera,& catholica ſit,non tamen ſequitur ex eius illo antecedente, quia , ſcilicet in diuinis non eſt vlla vna eſſentia, quia hoc eſt hęreticum dicere,& negaretur in diuinis omnis eſſentia,ſed ex eo reuera infertur non eſſe aliquam generationem,actiuam,vel paſſiuam eſſentiæ diuinæ,quia quamuis ſit vna in tribus, non tamen eſt diſtincta realiter ab illis , quæ diſtinctio realis neceſſariò requiritur ad generationem actiuam,& paſſiuam.

Ex hoc igitur medio probatur communis illa ſententia . Primò diſtinctio realis neceſſaria eſt inter generans , & genitum ex Aug.1.de Trin.c.7.nemo ſeipſum generat,ſed inter eſſentiam diuinam,& perſonas non eſt diſtinctio realis ; igitur ipſa nec generat,nec generatur . Secundò Pater ipſa eſſentia diuina eſt formaliter Deus,ſed ſi ipſam generaret non eſſet formaliter Deus, quia diſtingueretur realiter ab ea ; ergo . Tertiò operatio non poteſt competere alicui , vt principio quod , quod eſt forma operandi ; ſed eſſentia diuina in diuinis eſt forma , igitur productio , quæ eſt operatio non poteſt competere eſſentiæ diuinę,vt principio quo. Vel aliter arguitur . Operatio quæ facit diſtinctionem realem inter producentem,& productum non poteſt in diuinis eſſe illius,

quod ibi eſt vt forma, ſed productio eſt operatio talis, & eſſentia eſt vt forma, ergo non poteſt competere eſſentiæ diuinæ productio, vt principio, quod; minor patet. Maior probatur, nam id quod eſt vt forma in diuinis non eſt diſtinctum realiter à producente, & producto, huius modi autem eſt eſſentia diuina, igitur non poteſt competere illi productio, nec vt principio, quod, nec vt termino totali productionis, quia eſſet relatiuè diſtincta, & conſequenter realiter diſtincta à ſuo producente, vel à ſuo producto.

Contra hanc veritatem arguitur primo ex authoritate Aug. qui 2. de Trin. c. 2. & 7. in vno loco ait, idem dici accipiamus cum dicitur Verbum, ac ſi dicatur nata ſapientia, & in alio loco inferius ait, in altero quod ex ſapientia demoſtratur eſſentia, ac per hoc ad ſe dicitur, vnde habetur ex priori loco ſapientiam dici natam, ſicut Filius naſcitur, & ex poſteriori loco ſapientiam eſſe eſſentiam, ac per hoc ad ſe dici, igitur ſapientia, quæ ad ſe dicitur naſcitur, & conſequenter eſſentia, quæ etiam ad ſe dicitur naſcitur, atque generatur.

Reſpondetur dupliciter. Primò quod vt mox inferius explicabimus eſt diſpar ratio de ſapientia, & de eſſentia ad propoſitum, cum enim eſſentia ſit vltimatè abſtracta, & conſequenter nō poſſit de illa prædicari natum, vel genitum; ſapientia verò licet ſit abſtracta à ſapiente concreto concernit adhuc potentiam operatiuam ſapiendi, ac per conſequens de illa poteſt aliquod formaliter prædicari, quod eſt extra rationem eius, vti eſt generari, & naſci. Secundò reſpondetur ſapientiam aliquando ſupponere pro ſuppoſito ſapiente, quia ſapientia non eſt vltimatè abſtracta, ſicut eſſentia, & propter hoc illa dici poteſt nata, vt Verbum, & Filius, qui eſt ſapientia, eſt natus, non tamen eſſentia poteſt dici, nata cum ſit vltimatè abſtracta, & ſic non ſupponens pro ſuppoſito.

Sed contra replicat Lichetus loc. cit. ſi ſapientia, quæ eſt principium operandi dici poteſt generans, & nata pariter diceretur memoria generās, & nata; quia etiam ipſa memoria eſt potentia generādi, hoc autem eſt falſum, ergo & illud. Reſpondetur diſparem eſſe rationem de ſapientia, & memoria, atque de eſſentia; nā ſapientia eſt potentia operandi, & memoria eſt potentia generandi, & ita concernunt ſuppoſitum operans, & generans, & ſic

ſuppo-

ſuppoſitum ſapientiæ,vel memoriæ,vt principio formali productiuo,ſiuè vt potentia generandi, verè generat, eſſentia verò vti eſt vltimatè abſtracta non dicitur potentia generandi.

Secundò arguitur. Eſſentia communicatur, ergo producitur, antecedens eſt Auguſtini 15.de Trin.c.26.vbi ait, eſſentiam præſtat Filio ſine initio generatio; ſequela probatur primò; quia cōmunicare,& communicari non dicunt relationes communes, ſed originis,igitur idem ſunt ac producere,& produci.Secundò quando ſunt duo relatiua cum ſuis correlatiuis,ſi vnum relatiuorum eſt idem alteri relatiuo,& correlatiuum eſt etiam idem alteri correlatiuo,ſed communicare,& producere ſunt relatiua,& ſunt idem, igitur & ſua correlatiua, ideſt communicari, & produci etiā ſunt idem. Maior probatur,nam ſecus vnum referretur ad duo correlatiua,quod probatur; quia communicare refertur ad communicari ſuum correlatiuum, & in quantum eſt idem cum producere, refertur etiam ad produci,vt correlatiuum,ſi ergo communicari, & produci ſunt diuerſa,communicare referretur ad duo correlatiua diuerſa,ſed hoc eſt impoſſibile,igitur communicari, & produci ſunt idem,ſed conceditur iſta eſſentia communicatur, ergo eſt etiam hæc vera eſſentia generatur.

Reſpondetur communicare, & producere ſunt relationes diſtinctæ tum in creaturis; quia ſunt ad terminos realiter diſtinctos nimirum ad terminum totalē eſt producere, & ad terminum formalem eſt communicare;tum etiam in diuinis,quia quamuis non ſint ad terminos realiter diſtinctos ſunt tamen relationes diuerſę, & ad terminos formaliter diſtinctos; quia producere eſt relatio realis terminata ad perſonam, quæ eſt terminus totalis productionis, & communicare eſt relatio rationis terminata ad eſſentiam vt ad terminum formalem productionis, & ideò quamuis eſſentia communicetur non tamen producitur.

Quantum ad ſecundum ſenſum quæſtionis de logica veritate videtur ſaltem logicè,& quo ad modum loquendi eſſe veram iſtā, eſſentia generat,& generatur.

Primò probatur. Quando prædicatum prædicatur per ſe de ſubiecto poteſt ſupponere pro illo, ſed iſta eſt prædicatio per ſe, Pater eſt eſſentia,non per accidens,quia vnum non accidit alteri, nec ambo accidunt tertio, ergo ſicut Pater generat, eſſentia ſupponens pro Patre generat. Reſpondetur quod hæc propoſitio

Pater eſt eſſentia, nec eſt per ſe, nec per accidens; ſed identica dũtaxat, ſic etiam in creaturis inuenitur prædicatio, quæ nec ſit per ſe, nec per accidens; quia non accidit illi, nec ambo accidunt tertio, ſed tantum identica, quia identificantur tertio, ideſt homini, ſic illa Pater eſt eſſentia eſt prædicatio identica, non quod identificentur tertio, vt in creaturis, ſed propter infinitatem formalem eſſentiæ; quæ infinitas identificat realiter eſſentię omnia illi addita, & eſt cauſſa prædicationis identicæ, & ſic facit prædicationem identicam.

Secundò Deus generat Deum; ergo eſſentia generat, ſequela probatur, primò quia Deus ſupponit pro Patre; igitur & eſſentia ſupponit pro Patre; ſecundò quia Deus non diſtinguitur à ſe & tamen Deus generat Deum, ergo etiam eſſentia licet non diſtinguatur a ſe poteſt generare Deum. Reſpondetur negando ſequelam primi entymematis. Ad primam probationem dicitur, Deũ poſſe bene ſupponere pro ſuppoſito Patris generantis, & Filij geniti, quia eſt concretum, & ſic vera eſt iſta Deus generat Deum, eſſentia verò cum ſit vltimatè abſtracta à ſuppoſitis non poteſt ſupponere pro illis, & ideò falſa eſt iſta eſſentia generat, vel generatur.

Pro intelligentia huius propoſitionis notandum eſt, primò triplicem eſſe gradum entium in rerum natura, nimirum ſubſtantiarum, accidentium abſolutorum, & accidentium relatiuorum. In ſubſtantijs fit vna tantum abſtractio, ſcilicet à ſuppoſitis, vt ab omnibus hominibus humanitas, ab equis, equinitas, quia ſubſtantia non concernit rem alterius generis, quia nulli accidit, ſed tantum ſua inferiora ſuppoſita. In accidentibus abſolutis fit duplex abſtractio, vna à re alterius generis, ideſt ſubſtantiæ, quam concernit, cuique accidit, & inhæret, & ita à pariete albo abſtrahitur albedo: altera abſtractio eſt à re ſui generis, ideſt à ſuis inferioribus ſingularibus, & indiuiduis, vt ab hac, & illa albedine abſtrahitur albedo in ſpecie, ideſt natura, & quidditas albedinis. In accidentibus autem relatiuis fit triplex abſtractio: quia tria concernunt nempè ſubiectum, fundamentum, & ſuum inferius indiuiduũ vt à generante abſtrahitur Pater vt à ſubiecto, à Patre, ideſt à potentia generandi abſtrahitur paternitas, vt à fundamento, & ab hac, & illa paternitate abſtrahitur quidditas paternitatis vt à ſuis inferioribus indiuiduis; vltima igitur abſtractio eſt illa, quæ fit à

ſuis

ſuis inferioribus,& ſingularibus ſiuè indiuiduis, & ſuppoſitis eiuſdem generis, & ita conſideratur quidditas abſtracta ab omni eo quod eſt extra rationem eius tum accidentaliter, vt quando eſt abſtractio à ſubiecto,vel fundamento, tum extraneè, vt quando eſt abſtractio ab indiuiduis,quæ non propriè accidentalia,ſed extranea dicuntur ſuis ſpeciebus, ſicut conſiderauit Auicen.5.m.c.1. equinitatem tantum eſſe equinitatem, & propter hoc in ſubſtantijs abſtractio a ſuppoſitis inferioribus dicitur vltima abſtractio; quia non eſt vndè fiat altera abſtractio,cum ſubſtantia nulli accidat,& inhæreat, cum hac tamen differentia, quod in ſubſtant'js eſt proprium nomen abſtracti,vt humanitas, & equinitas: in accidentibus verò vltimum abſtractum circumſcribitur per quidditatem illorum,vt albedineitas, quidditas albedinis, & quidditas paternitatis.

Secundò notandum eſt, quod nomina ſubſtantiua in diuinis prædicantur tum formaliter,vt Pater eſt Deus, tum identicè, vt paternitas eſt diuinitas, vel deitas; nomina autem adiectiua, & participia,& verbalia prędicantur ſolum formaliter,& non alio modo poſſunt prędicari;quia ſignificant formam per modum informantis,& inhęrentis, & cui nō competunt per modum informantis non poſſunt de eo prædicari.

His prænotatis Scot.diſt.5.q.1.§.ſed loquendo de logica, format regulam ex qua concludit,nequaquam eſſentiam diuinam dici poſſe generare,vel generari, dicens quando ſubiectum eſt vltima abſtractione abſtractum, & prædicatum ex ſua ratione non poteſt prædicari niſi formaliter, non poteſt propoſitio eſſe vera, niſi ſit per ſe in primo modo, ſed eſſentia diuina eſt vltimatè abſtracta, ideſt à tribus perſonis, & generare, vel generari cum ſit Verbum non poteſt prædicari niſi formaliter, igitur non poteſt eſſe vera,niſi ſit in primo modo dicendi per ſe,ſed hæc propoſitio eſſentia generat, vel generatur non poteſt eſſe vera per ſe in primo modo,ergo nullo modo eſt vera. Antecedens huius paraſyllogiſmi probatur; quia generare, & generari dicunt formaliter relationem,& eſſentia eſt abſoluta,ſed nullum relatiuum ingreditur eſſentialiter in primo modo in abſoluto, ergo illa propoſitio èſſentia generat,vel generatur non poteſt eſſe vera in primo modo.Minor primi ſyllogiſmi patet ex duobus notandis;maior probatur, & ſimul declaratur; nam quamuis de eſſentia ſic vltimatè

abſtracta poſſit fieri prędicatio identica,vt eſſentia eſt generatio, eſſentia eſt paternitas propter infinitatem formalem eius identificantem realiter omnia addita ipſi eſſentię,& è contra adiectiua non identicè,ſed formaliter ſolum prædicantur,& cum prædicatio ſit vnio extremorũ,ſcilicet ſubiecti,& prędicati, vltimatè abſtractum non poteſt vniri,& de eo prædicari niſi id à quo non eſt abſtractum, nempè id quod eſt de eſſentia eius & in primo modo ingreditur eius eſſentia à quo abſtrahi non poteſt, ſed generare, & generari non eſt de eſſentia,& quidditate eſſentiæ diuinæ, igitur non poteſt in primo modo prædicari de illa, nec identicè vt ſupradictum eſt,igitur nullo modo.

Sed contra dices. Iſta ergo erit vera,humanitas eſt animalitas, vel humanitas eſt animalitas, & rationalitas, quia ſunt de eſſentia humanitatis,quę tamen eſt falſa,ergo & regula Scoti falſa eſt. Reſpondetur quicquid dicat Lichetus,ꝙ illud quod prędicatur de vltimatè abſtracto nõ debet eſſe pars ſubiecti, vti eſt ſola animalitas,neque ſubiectum debet includere, vel dicere quid plus quam prædicatum,vt humanitas quæ includit,& dicit tertiam entitatē, ideſt compoſitum pręter animalitatem,& rationalitatem,ſed debet eſſe prædicatio adæquata,ergo vltimatè abſtractum pro nullo alio niſi pro adæquato ſupponere poteſt,non eſt ergo vera talis prędicatio,niſi ſit eiuſdem de ſeipſo,vt equinitas eſt equinitas, humanitas eſt humanitas.

Sed vtrum hæc propoſitio, hæc humanitas eſt humanitas, ſit vera nec nè. Aſſerit Lichetus eſſe falſam,& rationem reddit,quia vltimatè abſtractum non debet concernere,neque ſuum ſuppoſitũ inferius,& in dicta propoſitione humanitas concernit ſuum inferius,ideſt hanc humanitatem, & ita cum non ſit vltimatè abſtracta non eſt propoſitio de vltimatè abſtracto,& ſic illa non eſt vera; ſed verè Lichetus non intellexit Scotum,qui loquitur de ſubiecto vltimatè abſtracto, non de prædicato vltimatè abſtracto,dicens quãdo ſubiectum eſt abſtractum vltima abſtractione,& prædicatum ex ſua ratione non poteſt prædicari niſi formaliter, non poteſt propoſitio eſſe vera niſi ſit per ſe in primo modo,ſed in hac propoſitione hæc humanitas eſt humanitas,ſubiectum, ideſt hæc humanitas non eſt abſtractum à ſuis inferioribus ſuppoſitis,& ſingularibus,ſed eſt ipſummet ſingulare,igitur de illo prædicari poteſt ſuum proprium vniuerſale,quale eſt humanitas vniuerſalis,&

com-

communis ad hanc,& illam humanitatem, quæ verè poteſt de illis prædicari in primo modo,& ſic eſt vera iſta, hæc humanitas, eſt humanitas,de qua non loquitur Scotus in illa ſua regula.

Tertiò arguitur ad principale logicè, eſſentia eſt Pater ſicut Pater eſt eſſentia per conuerſionem ſimplicem, ſed Pater generat,ergo & eſſentia generat,ſic etiam poteſt argui de Filio, & de eſſentia,quod generetur, ſicut Filius generatur. Reſpondetur Patrem dupliciter ſumi adiectiuè, & ſubſtantiuè. Primo modo eſt falſa maior & ſequitur concluſio, ſed etiam concluſio eſt falſa propter falſitatem maioris, quia de vltimatè abſtracto ſi prædicatio eſt formalis, non prædicatur niſi formaliter, quia ſic ſignificat ipſam proprietatem denominatiuè, ſicut exponit Magiſter in 1.diſt.17. & cum Pater iſto modo ſumptus non poſſit prædicari niſi denominatiuè,& non eſſentialiter, & quidditatiuè in primo modo,propterea propoſitio eſt falſa. Secundò modo Pater prædicatur de eſſentia identicè,& ſic eſt vera maior, ideſt identicè; ſed concluſio eſt falſa,quia generare non poteſt prædicari niſi formaliter in concluſione de eſſentia, & ſic variatur ſuppoſitio ab identica ad formalem,& ita non ſequitur concluſio.

Quartò arguitur, eſſentia eſt Pater Filij, igitur eſſentia generat Filium,antecedens per conuerſionem ſimplicem, Pater Filij eſt eſſentia,ergo eſsentia eſt Pater Filij,ſequela probatur.Si Frãciſcus eſt Pater Petri,Petrus eſt Filius Franciſci, & ſic Petrus generat Franciſcum; ſed eſſentia eſt Pater Filij, vt probatum eſt per conuerſionem ſimplicem,ergo Filius,vel ſecunda perſona diuina eſt Filius eſſentiæ,& ſic eſſentia generat Filium. Reſpondetur eodem modo Patrem ſumi adiectiuè, & ſubſtantiuè. Primò modo eſt falſum antecedens; quia eſsentia Pater Filij genuiſset Filium; nam ſic idem eſt Patrem eſſe,& genuiſse, vnde non ſequitur concluſio vera,ſed falſa, nempè Filius eſt Filius eſſentiæ, ſiuè eſſentia generat Filium. Secundò modo antecedens eſt verum per identitatem, vel identicè dicendo eſſentia eſt Pater, & addendo,qui Pater eſt Pater Filij, vnde non ſequitur quod eſsentia ſit Pater Filij,vel ipſum generet.

Quintò denique arguitur genitum, vt genitum eſt aliquid ſed quicquid eſt in diuinis eſt eſſentia,ergo Filius in quantum genitus eſt eſsentia,ergo eſsentia generatur,ſicut Filius generatur, maior probatur; quia generatio non terminatur ad nihil,ſed ad aliquid,

& il-

Digitized by Google

& illud aliquid in diuinis eſt eſſentia, ergo. Reſpondetur quod genitum eſt aliquid dupliciter, vel aliquid abſolutum, vel aliquid relatiuum, & abſolutum ſimul. Primò modo nõ eſt vera, niſi identicè, & ſic non ſequitur illa concluſio, ergo eſſentia generatur; quia eſt formalis, nam ſic mutatur propoſitio identica in formalem, quod eſt impoſſibile. Secundò modo eſt vera maior, ſed neque ſequitur concluſio, quia eſſentia tantum eſt abſolutum, & nullo modo relatiuum.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum Verbum Diuinum ſit vera & naturalis imago Patris, & quid requiritur ad hoc.

COmmunis opinio Theologorum tenet verè, & propriè, & ſinè vlla metaphora Verbum eſſe imaginem Patris ità Bonau. in 1. diſ. 31. 2. p. ar. 1. q. 1. D. Tho. in 1. p. q. 35. Enric. quodlib. 4. q. 2. & probant primo ex Sac. Scrip. ad Coloſſen. primo vbi de Verbo dicitur, qui eſt imago Dei inuiſibilis, ad hæbr. 1. figura, ſeù character ſubſtãtię, ſeù hypoſtaſis eius, & iſta loca ſecundum proprietatem non metaphoricè explicant Patres, vt Athanaſ. ſer. 4. contra Arrianos, Cyrill. lib. 1. Theſau. c. 1. Ambroſ. 1. de fid. c. 4. & alij.

Secundò probatur ratione; nam propria imago eſt ſimilitudo ab aliquo expreſſa, ſed Verbum diuinum eſt huiuſmodi, ergo; maior eſt Auguſtini in lib. qq. in Deuteronom. q. 4. & lib. 83. qq. q. 74. & in lib. imperfecto in Geneſ. c. vltimo, vbi ait ſine ſimilitudine non poſſe eſſe perfectam imaginem: minor probatur, quia Verbum diuinum procedit à Patre, vt ſimilis in natura; igitur eſt vera imago.

Suppoſita ergo prima parte quæſtionis: quantum ad ſecundam partem duo requiruntur ad veram, & naturalem imaginem propter quæ competit Verbo diuino vera, & propria ratio imaginis naturalis. Primum eſt ſimilitudo. Secundum eſt proceſſio ab eo cuius eſt imago, de quibus primo notandum eſt, ſimilitudinem duplicem eſſe, vna eſt, per conuenientiam veram, ſiue vnitatem in forma, vel in natura, altera eſt ſimilitudo repreſentationis, ſiuè tali vnitate, & conuenientia. Prima eſt in imagine naturali,

rali, vt in Filio reſpectu Patris, & aliqualiter etiam in imagine artificiali,ſaltem quantum ad exteriorem figuram, ſeu formam, ſecunda eſt in Verbo mentis noſtræ, quod ſolet vocari imago obiecti,quia repreſentat illud ſicuti eſt,& idem poteſt conſiderari in ſpecie intelligibili,& etiam in ſpecie ſenſibili, ad propoſitum ergo applicando, aliqui dicunt Verbum diuinum eſse imaginem Patris poſteriori modo,quia,ſcilicet repreſentat illum, ſed re vera eum repreſentet etiam multa alia, vt diximus q. 5. non ſolum ſecundum hanc proprietatem dici debet Verbum diuinum imago Patris, vt ſibi ſoli conueniat vera ratio imaginis, ſed etiam ſecũdum ſimilitudinem naturæ quam in ſui generatione accepit à Patre,ſic intelligitur Lucas 22. vbi ait, ſolus Chriſtus eſt plena imago Dei propter expreſſam paternæ claritudinis vnitatem,& Cyrill.in Conc. Alexandrino epiſ. 10. approbata à Conc. Epheſino dicit,propter eamdem,quam cum illo habet eſſentiam, & imago & character, & ſplendor eſt gloriæ eius idem habet Aug. in libr. imperfecto Geneſ.c.vltimo.

Ratione etiam probatur, quia ad verum Filium requiritur, vt ſit ſimilitudo in natura,ſed Chriſtus eſt verus Filius Dei, vt in ſuperioribus probatum eſt,ergo non tantum ſecundum repreſentationem,quatenus ipſe per modum intellectus,& vt Verbum procedit à Patre, ſed etiam ſecundum naturæ vnitatem eſt ſimilis Patri.

Secundò notandum eſt, quod ſecundum requiſitum ad rationẽ imaginis, quod eſt proceſſio duplex eſt,vel enim imago procedit ab eo,cuius eſt imago,tanquam ab obiecto exemplari cognito, vel tanquam à principio producente. Primus modus inuenitur in imagine artificiali,& pertinet ad imperfectionem eius,quia quatenus liberè fit, & ſic poteſt per participationem transferri ad imaginem illam naturalem,quæ liberè etiam fit, quamuis ſit naturalis, cuiuſmodi homo dicitur factus ad imaginem Dei, quia Deus cognoſcendo naturam ſuam intellectualem voluit imprimere homini participationem ipſius, & ita fecit hominem ad imaginem ſuam: iſte tamen modus non pertinet ad veram, & propriam imaginem naturalem, vti eſt Filius imago Patris tum in humanis,tum in diuinis, quia ſine talis exemplaris cognitione producuntur vt ſimiles naturalirer in natura. Secundus ergo modus neceſsarius eſt ad propriam rationem imaginis, quod debet

pro-

procedere ab eo,cuius eſt imago,vt à principio producente, ſicut Filius procedit à Patre: duo ergo requiruntur ad rationem imaginis naturalis,& ſimilitudo præcisè in natura,vel forma,& proceſſio à principio productiuo, quæ duo reperiuntur in Verbo diuino,quare.

Ex dictis colligitur triplicem eſſe imaginem, vna eſt intentionalis,quæ eſt Verbum mentis,ideſt intellectio,vel ſpecies intelligibilis,& ſpecies etiam ſenſibilis: altera eſt artificialis, quæ eſt quæcumque figura tranſlata à ſuo exemplari;& altera naturalis, qualis eſt Filius in diuinis,& in humanis.

QVÆSTIO NONA.

Vtrum ſolius Filij ſit eſſe veram,& naturalem imaginem,& non Patris,& Spiritus Sancti,& quare eſſe imaginem alteri perſonæ non competat.

QVod Pater diuinus non ſit imago indè conſtat,quod ad rationem imaginis duo requiruntur,ſimilitudo,& proceſſio, & quamuis Pater ſit ſimilis Filio, & Spiritui Sancto, cum tamen ab illis non procedat,illorum imago eſſe non poteſt. Difficultas ergo ſupereſt de Spiritu Sancto, qui eſt ſimilis Patri, & Filio,& ab illis etiam procedit,igitur vtrumque requiſitum inuenitur in Spiritu Sancto,quod requiritur ad propriam rationem imaginis. Rurſus, quia PP. Græci vocant Spiritum Sanctum imaginem Filij,vt Athan.in ep. ad Serapionem; Baſil. lib.5. cōtra Eunom. c. 12. & lib.de S.Sancto; Damaſc.lib.1. de fid.c. 18. & Gregor. Nyſſen. in libr. de vita Gregor. Thaumaturg. refert iſtum Gregorium ex diuina reuelatione accepiſſe quoddam ſymbolum fidei,quod in eius Eccleſia retētum eſt, in quo Spiritus Sāctus vocatur imago Filij,& ex Scholaſticis etiam Aureol. in 1.di. 27.q.2. & Dur.ibidem.

Oppoſita tamen ſententia vera eſt, quæ aſſerit nequaquam Spiritum Sanctum eſſe imaginem Patris, aut Filij, ex quo ſequitur imaginem eſſe ſoli Filio propriam, & ita omnes Scholaſtici cum D.Thom.in p.p.q.35.ar.2. & ex PP. Anſel.in monol. c. 37. Rupertus lib.2.de Trin.cap.2.Riccar.de S.Victore lib.6.de Trin. cap. 16.

Ratio

Ratio etiam hoc idem probat aſſumpta ex authoritate negatiua, quæ licet non ſemper conuincat aliquando tamen, vel conuincit, vel ſaltem ex magna coniectura: quando, ſcilicet in Sacra Scriptura de vno eſt frequens affirmatio, & de alio nullum verbũ fit; ſic enim Filius ſæpè ſæpius vocatur imago in Scripturæ, & Spiritus Sanctus nunquam, præſertim quia PP. ita exponunt, igitur Spiritus Sanctus non eſt, nec dicitur imago. Secundò quia ſi Spiritus Sanctus eſſet imago, eſſet etiam Filius, ſed non eſt Filius, ergo non eſt imago.

Quantum ad ſecundam partem quęſtionis. Quare ſit proprium Filio hoc quod eſt eſſe imaginem & non competat Patri, nec Spiritui Sancto; de Patre reddita fuit ratio in principio quæſtionis, de Spiritu Sancto diuerſi varias rationes reddunt, quare non ſit imago Patris, vel Filij.

Primò Riccardus de Sancto Victore loc. cit. rationem reddit, quia vel Spiritus Sanctus non procedit ita ſimilis ſicut Filius, quia Verbum procedit à Patre cum virtute producendi ad intra, in quo eſt ſimilis Patri, & Spiritus Sanctus ſine vlla virtute producendi ad intra, in quo eſt diſſimilis Patri, & Filio, & ideò non eſt imago illorum, hæc tamen ratio non tenet, tum quia Filius non eſſet perfecta, & completa imago Patris, quippè qui non recipit à Patre virtutem generandi, in quo eſt diſſimilis Patri habenti talem virtutem; tum quia ſimilitudo inter perſonas diuinas non eſt attendenda ſecundum proprietates notionales, ſed virtus ſpirandi notionem inuoluit, igitur ſecundum illam non eſt attendenda ratio imaginis; ac per conſequens licet Spiritus Sanctus illam non habeat non minus poteſt eſſe imago Patris, quam Filius, quia imago eſt ſimilitudo in natura, non in aliquo notionali.

Secundò Rupertus loc. ſupra cit. aſſerit, ſolum Filium eſſe imaginem, & Spiritum Sanctum eſſe tantum ſimilitudinem cuius ratio eſt, quia imago eſt vnius, & ſimilitudo poteſt eſſe plurium, cum ergo Filius à Patre ſolo procedat, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, illa imago, iſta ſimilitudo dicitur.

Sed contra hoc eſt id quod in de Spiritu Sancto probabimus nempè ipſum procedere à Patre & Filio, non vt à duobus, ſed vt ab vno, & ita ex hac ratione eſſe poteſt imago vtriuſque vt vnum ſunt, eodem modo, quo à duobus hominibus completè ſimilibus depingeretur imago ex intentione repreſentandi vtrumque & eſ-

ſet

ſet verè imago vtriuſque artificialis; quia vtrique eſſet ſimilis,ſed repreſentaret eos ſub ratione vnius, ſcilicet in quantum conueniunt in eadem forma,& figura, & ſic eſſent plures materialiter, & vnum formaliter; ſimiliter Spiritus Sanctus ex hac parte repreſentaret duos materialiter, ſed vnum formaliter,quod requiritur, & ſufficit ad veram imaginem; ſic etiam homo eſt imago totius Trinitatis.

Tertiò igitur dicendum eſt cum D. Tho. vbi ſupra,quod ad rationem imaginis pertinet,vt recipiat ſimilitudinem, & ſit ſimilis ex vi ſuæ productionis & ita Filius diuinus ex vi productionis dicitur Verbum, de cuius ratione eſt ſimilitudo ſpeciei ad id, a quo procedit ideò Filius dicitur imago, non autem Spiritus Sanctus, qui ex vi ſuæ productionis eſt amor ad quem non pertinet ratio imaginis.

Sed contra hoc arguitur. Deus eſt amor, & charitas ex Ioan. c. ergo Spiritus Sanctus qui ex vi productionis ſuæ eſt amor,eſt ſimilitudo, & imago Patris a quo procedit, & etiam Filij. Reſpondetur quod differentia eſt inter Verbum diuinum, & Spiritũ Sanctum, nam de ratione eſſentiali Verbi, vt Verbum eſt, tum creatum,tum diuinum eſt eſſe ſimilitudinem & imaginem illius à quo procedit, non autem de ratione amoris, vt amor eſt; ſed in Spiritu Sancto eſt ſimilitudo amoris eſſentialis in quantum eſt amor diuinus perſonalis, nimirum eſt ſimilitudo materialiter in quantum inuenitur ſimilis in natura diuina, nõ autem formaliter, ſcilicet ſub ratione amoris,& ideò non eſt imago.

Sed contra hoc replicatur; ſicut Verbum, vt Verbum eſt imago Patris, ſic Spiritus Sanctus,vt Spiritus Sanctus eſt imago Patris,& Filij,ergo nulla differẽtia. Probatur antecedens nam Spiritus Sanctus, vt amor diuinus eſt ſimilis Patri, & Filio, qui ſunt amor, & charitas; igitur vt Spiritus Sanctus eſt imago illorum; quia Spiritus Sanctus vt amor diuinus eſt Spiritus Sanctus.

Reſpondetur,quod licet Spiritus Sanctus, vt Spiritus Sanctus ſit ſimilis,non tamen eſt imago; quia ratio imaginis attenditur pænes illud,quod aſſimilatur in primaria,& eſſentiali ratione, quod recipitur ab imagine ex vi ſuæ productionis. Primaria autem ratio naturę diuinę eſt ipſam eſſe intellectualem,& ſecundum iſtam rationem, ex vi ſuæ proceſſionis Verbum eam recipit a Patre; quippè quod Verbum eſt intellectio,& notitia genita, & producitur

citur per intellectum; Spiritus Sanctus autem recipit naturam diuinam ſub ratione amoris, quæ quidem ratio non ita formaliter, ac per ſe, & primò conſtituit eſſentiam Dei, & ſic non procedit ſimilis in natura ex vi ſuæ proceſſionis; quia vt ſic non recipit eſſentiam, vt intellectualem, ſed vt amorem.

QVÆSTIO DECIMA.

Vtrum Verbum Diuinum ſit imago ſolius Patris, an etiam aliorum, & qua ratione ſit imago Patris.

IN ſententia Thomiſtarum aſſerentium Verbum produci ex cognitione creaturarum poſſibilium & perſonarum, & eſſentiæ diuinæ poteſt eſſe dubitatio, ſi Verbum propter iſtum modum procedendi ſit etiam imago non ſolius Patris, ſed eſſentiæ diuinę, Spiritus Sancti, & creaturarum eo modo, quo vna imago procedit ex aliquo tamquam ex obiecto, & exemplari cognito; ſed cum ratio huius modi imaginis ſit tantum artificialis, & Verbum diuinum ſit imago naturalis etiam in tali ſententia nequaquam ſequitur Verbum eſſe imaginem eſſentiæ diuinæ, & Spiritus Sancti, & creaturarum cognitarum, ex qua cognitione naſcitur, hęc tamen difficultas nempè de imagine diuinitatis, Spiritus Sancti, & creaturarum non habet locum in ſententia Scotiſtarum negantium proceſſionem Verbi fieri ex cognitione aliqua, quæcumque ſit.

Supereſt tamen difficultas ſi poſſit dici Verbum imago Dei, & diuinitatis, nam & eſt ſimile illi, & procedit ab illa, quamuis non tanquam ex obiecto cognito, tamen procedit tāquam ex principio productiuo, vt in ſuperioribus probatum eſt, quod requiritur ad imaginis naturalis rationem; igitur Verbum eſt imago naturalis Dei, vel deitatis, quæ eſt principium quo productiuum illius; hoc idem confirmant teſtimonia Sac. Scripturæ, vt ad Coloſſ. 1. dicitur Chriſtus imago Dei inuiſibilis, & ad hębr. 1 dicitur imago ſubſtantiæ Dei.

His non obſtantibus dicendum eſt ſolius Patris Verbum eſſe imaginem non Dei, vel deitatis; quia requiritur diſtinctio realis inter imaginem, & illum cuius eſt imago, vel ex parte proceſſionis; quia non ſufficit, vt imago procedat ab alio, vt principio, quo, ſed neceſſe eſt, vt ſit principium quod, ac per conſequens realiter

liter diſtinctum, vel ex parte ſimilitudinis, quæ debet eſſe inter extrema realiter diſtincta; nemo enim dicitur ſimilis ſibi; quia non eſt a ſe realiter diſtinctus; cum igitur Verbum diuinum procedat ab eſſentia, vt principio, quo, & non ſit ab ea realiter diſtinctum, ideò non eſt ſimilis illi, nec imago illius, & per hoc reſponſum eſt ad rationem.

Ad auctoritates verò reſpondetur, ad primam ibi eſſe ſermonem de Patre; nam in principio Epiſtolæ dixerat gratia vobis, & pax à Deo Patre, de quo proſequitur loqui Paulus in tota Epiſtola, ſicut etiam fecit ad Hębreos, multifariam, multiſque modis olim loquens Deus Patribus Prophetis nouiſſimè loquutus eſt nobis in Filio, igitur ibi Deus accipitur pro Patre.

Ad ſecundam reſpondetur, quod ſubſtantia ſæpè in gręco ſumitur pro hypoſtaſi, & perſona & ſic eſt imago perſonæ Patris, vel capitur ſubſtantia adiectiuè, ideſt ſubſtantialis, quod pertinet ad id quod ſignificatur ſignificatione imaginis.

Quantum ad ſecundam partem quæſtionis breuiter dicendum eſt Filium eſſe imaginem Patris, vt Deus eſt formaliter loquendo, nam illa particula, vt dicit formalem rationem terminandi relationem imaginis, ſed paternitas non eſt formalis ratio, ſed tantum conditio neceſſaria vt Pater ſit terminus illius relationis, tria enim conueniunt ad imaginem, ſeù ad perſonam, quę dicitur imago. Primum eſt ipſum ſubiectum relatum quod eſt perſona producta. Secundum eſt fundamentum talis relationis ſimilitudinis, quod eſt natura. Tertium eſt conditio talis ſubiecti, vt referatur, quæ eſt modus habendi illam ſimilitudinem, ad hoc vt illa ſimilitudo dicatur, vel conſtituatur in eſſe imaginis, qui modus habendi ſimilitudinem eſt proceſſio naturalis, & realis & productio paſſiua, quæ dicatur filiatio requiſita ad conſtitutionem imaginis naturalis; ſic ergo Verbum diuinum eſt ſubiectum relatum per relationem ſimilitudinis quod eſt ipſamet imago, quæ diſtinguitur à ſimilitudine, quia ſimilitudo eſt relatio communis, & rationis, imago verò eſt relatio notionalis, & realis, & fundamentũ talis ſimilitudinis eſt eſſentia, & natura diuina in Verbo & denique conditio ſimilitudinis ſeù imaginis eſt proceſſio paſſiua, ſcilicet filiatio Verbi, tria etiam requiruntur in termino talis imaginis, ſiuè in eo cuius Verbum eſt imago. Primum eſt ipſe terminus totalis, quod eſt Pater. Secundum eſt terminus formalis, quod eſt

natura

natura diuina. Tertium eſt conditio termini totalis, ſcilicet modus dandi naturam imagini, quod eſt productio actiua, ſcilicet paternitas; illud ergo quod eſt formale in ratione talis imaginis naturalis, vel relationis ſimilitudinis eſt ipſa natura diuina in vtroque extremo relationis; proceſſio verò eſt tantum conditio neceſſaria, ac per conſequēs Filius eſt imago Patris, nō vt Pater eſt, ſed vt Deus eſt. Opinio eſt patris Vulpes in p.p. diſp. *66.* art. vlt. nu.8. aſſerentis, nomen imaginis non conuenire Filio ratione ſolius naturæ, nec ſolius proprietatis perſonalis, ſed ratione vtriuſque ſimul. Probatio autē eius (vltra quāquod excludendo in antecedente vnam, & alteram, ex quo neceſſario ſequitur neutrā eſſe, & non vtramq; ſimul, niſi aliam rationem addat) patitur fallaciā conſequētis, etenim arguit à termino imaginis ad rationem formalem eius, vt videri licet loc.cit. Ratione igitur notæ ſolius conuenit Filio nomen, ac ratio imaginis, quod confirmatur a Scoto in 1. diſt. 7. §. Ad iſta, vbi ait, Ergo ad propoſitum cum generatio ſit aſſimilatiua quatenus eadem natura communicatur, & diſtinctiua quatenus eſt geniti diſtinctum à generante diſtinctio, ſequitur, quod pęnes naturam gignentis, & geniti ſit vniuocatio, & non pęnes diſtinctionem eorum, ideſt gignentis, & geniti. Cum autem ratio imaginis fundatur in ſimilitudine naturæ, hæc autem ſimilitudo conſiſtit in identitate naturæ, neceſſario ſequitur, identitatem naturæ ſolam eſſe rationem imaginis; proprietatem vero perſonalem eſſe conditionem imaginis ex vna parte, & eius cuius eſt imago ex altera.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Vtrum Verbum Diuinum producatur de cognitione eſſentiæ Diuinæ, & Attributorum, & perſonarum, & creaturarum, vel ſaltem eius productioni præſupponatur.

PRænotandum eſt præſentem quæſtionem habere duplicem ſenſum nimirum de cognitione naturali, & habituali, ideſt de obiecto actu cognito, & intellecto, & de obiecto actu intelligibili, & de vtraque hac cognitione quæritur dupliciter. Primo

vtrum Verbum producatur de cognitione ſiue actuali, ſiue habituali tamquam de principio producendi, vel actu productiuo, an tamquam de aliquo, non vt principio, vel actu, ſed de neceſſario præſuppoſito ad gignitionem Verbi propter aliam neceſſitatem, & denique inquiritur de quibus, quæ ſunt in diuinis his varijs modis Verbum diuinum producatur, & non producatur.

Prima opinio eſt Thomiſtarum conſequenter ad ſuam doctrinam aſſerentium, Verbum diuinum procedere tamquam ex principio productiuo ſecundum aliquos, aut tamquam ex actu productiuo ſecundum alios à Patre ex cognitione omnium actuali, quæ ſunt in diuinis tùm formaliter cuiuſmodi ſunt omnia diuina ad intra, tùm eminenter cuiuſmodi ſunt creaturæ nimirū in eſſe poſſibili, quia in tali eſſe neceſſitatem habent, non autem in eſſe futuro, aut eſſe reali; Pater ergo cognoſcendo eſſentiam diuinam, attributa omnia, omnes perſonas. ſ. ſeipſum, & Filium, & Spiritum Sanctum, & creaturas in eſſe poſſibili ſcientia dumtaxat ſimplicis intelligentiæ, quę neceſſaria eſt, non autem ſcientia viſionis producit Filium ſuum Verbum diuinum, quia talis ſcientia Dei neceſſariò repreſentat creaturas vt poſſibiles.

Probant ſuam ſententiam ſic, Verbum diuinum producitur à Patre per cognitionem perfectiſſimam, & compręhenſiuam, ſed hæc extenditur etiam ad creaturas poſſibiles, vt poſſibiles ſunt, quia vt ſic ſunt obiectum omnipotentiæ diuinæ, quæ quidem nō poteſt compręhendi niſi cognito omni ſuo obiecto; igitur Verbum diuinum ex cognitione omnium producibilium producitur. hic eſt Achylles Thomiſtarum, & præcipuum fundamentum, ad quod omnes aliæ rationes reducuntur, & confirmant ſuam ſententiam auctoritate D. Auguſt. lib. 15. de Trin. c. 13. & 14. dicentis, Verbum diuinum gigni de omnibus, quæ ſunt in ſcientia Dei: nam ſi aliquid minus eſſet in Verbo, quam in ſciētia Dei non eſſet Verbum adæquatum, ſed creaturæ ſaltem vt poſſibiles, & in eſſe poſſibili ſunt neceſſariò in ſcientia Dei, ergo.

Loquendo autem de ſcientia viſionis creaturarum inquiunt, Verbum diuinum non procedere ex ipſa, quippè quæ contingens eſt, & ex contingenti neceſſarium oriri non poteſt; deinde ſcientia viſionis eſt poſt productionem Verbi, & Spiritus Sancti, nam reſpicit res, vt futuras, quæ vt ſic procedunt à decreto libero voluntatis diuinæ, quod decretum non eſt prius quam Filius, & Spiritus

ritus Sanctus producātur,& denique ſicut actiones ad extra in diuinis ſunt indiuiſæ,ſic voluntas , & decreta earumdem actionum ſunt indiuiſa; ſicut ergo omnes tres perſonæ creant ad extra, ita omnes tres volunt,& ſemper ab æterno voluerūt creare, ſed ſciētia viſionis eſt poſt decretum voluntatis diuinæ;ergo.

Hæc tñ opinio Thomiſtarū quoad priorē partē in multis deficit (nam poſterior pars de ſcientia viſionis verum dicit) primo deficit in eo quod dicit Verbum diuinum produci ex cognitione,cuius oppoſitum probauimus ſupra diſp.3.ſect.2. q.6. Secundò deficit in eo quod,in ipſa cognitione, ex qua producitur Verbum diuinum dicit includi creaturas poſſibiles tamquam id quod requiritur ad perfectam, & eſſentialem comprehenſionem Dei, cuius oppoſitum vidimus in materia de viſione Dei,nempè ad comprehenſionem perfectam,& intrinſecam Dei,quæ eſt intenſiua, non pertinere creaturas, etiam in eſſe poſſibili, ſicut nec ad eſſe Dei pertinet,quia nihil minus eſſentialis, & comprehenſiua eſſet cognitio Dei,ſi ſe cognoſceret quoad ſua eſſentialia,& perſonas nō cognoſcendo creaturas in eſſe poſſibili quacumque ſcientia, ſiuè ſimplicis intelligentia, ſiuè viſionis, quamuis ad comprænhenſionem Dei extenſiuam ipſæ creaturæ poſſibiles pertineant, vt tenet Scot. in 1.diſ. 35.q.2. lit. R. ſed hæc non eſt eſſentialis comprænhenſio. Tertiò deficit in eo quod inquiunt neceſſariò ſcientiam Dei repreſentare creaturas tanta neceſſitate, quanta neceſſitate procedit Verbum à Patre, quod requiritur ad hoc, vt producatur Verbum ex cognitione creaturarum; ſiquidem ex minus neceſſariò non producitur magis neceſſariū. totum hoc inquit Suar.lib.1.c.6.§.8. quinimò ibidem ſubdit, quod ſcientia Dei, vt actu repreſentans creaturas poſſibiles eſt prior origine ipſo Verbo diuino,& talem poſſibilitatem ipſas habere à Deo, non minus neceſſariò quam Verbum exiſtat,& habeat ſuum eſſe; quæ omnia abſurda profectò ſunt, nam, vt vidimus ſupra diſp.3.ſect.2.q.4. creaturæ habent eſſe cognitum,& poſſibile ab intellectu, vt eſt in tribus,& ſic productis iam perſonis Verbi,& Spiritus Sancti,atq; peracta actione ad intra & idem probat Scot.quodlib.q.p. & 14. & quamuis ipſum eſſe poſſibile creaturarum ſit neceſſarium non tamen formaliter,ſed effectiuè,ideſt non in ſe,& ex ſe,ſed ex parte intellectus diuini, qui neceſſariò videndo eſſentiam producit creaturas in tali eſſe poſſibili. Verbum autem diuinum formali-

ter, & intrinſecè habet eſſe neceſſarium, ac per conſequens non tanta neceſſitate repreſentantur creaturę, vel habent eſſe poſſibile, ſicut Verbum diuinum eſt productum, ac proindè ex ipſarum cognitione non producitur. Sententia ergo Scoti pluribus cõcluſionibus explicanda eſt, & colligitur ex diuerſis locis, præſertim ex 1. diſ. 2. & diſ. 18. & ex 2. diſ. prima q. 1. & ex quodlib. q. 1.

Prima concluſio Verbũ diuinũ nõ producitur ex vlla cognitione actuali eſſentiæ diuinæ vel aliorũ, quę ſunt in Deo, ſiue formaliter, ſiue eminẽter, tãquã ex actu ꝓductiuo, vel principio ꝓducẽdi.

Rationes, quibus probari poteſt iſta concluſio intellectionem non eſſe actum productiuum nec principium producendi Verbi, nec diuini, neque creati adduximus ſupra in diſp. 3. ſect. 2. q. 6. & multo latius in de Viſione Dei. In pręſentiarum autem hac ratione Scotica vtar qui in 2. diſ. 1. q. 1. arguit ſic, nõ tantum Pater nouit creaturas formaliter, ſed etiam Filium nouit formaliter, igitur ſi de omnibus, vt notis Patri gignitur Verbum, de Verbo, vt noto Patri gignitur Verbum, & ita Verbum gignitur de Verbo, ex his quæ dicit Scotus neceſſariò ſequitur Verbum fore principium ſui ipſius, quod pro inconuenienti ab omnibus habetur.

Secunda concluſio cognitio eſſentiæ diuinæ, & totius Trinitatis. i. Patris, & Filij, & Spiritus Sancti prǽſupponitur ad gignitionẽ Verbi diuini. Prima pars huius cõcluſionis probatur, nã Pater eſt perfectè beatus antequã generet Filiũ, & eſt propoſitio Scoti in 1. diſ. 1. q. 2. ar. 2. & in 2. diſ. p. q. 1. §. quantũ, & in Reportatis diſ. 6. q. 2. igitur tunc eſt perfectè intelligẽs eſſentiam diuinam obiectũ beatitudinis. Secundò intellectus diuinus eſt prius operatiuus, quam productiuus; igitur prius Pater intelligit eſſentiã quã producat ꝑſonas. Tertiò eſſẽtialia abſoluta. i. ad intra sũt priora notionalib. vt ſup. probatũ eſt; prius ergo Pater intelligit, q̃ ꝓducat.

Secunda pars concluſionis de cognitione totius Trinitatis nõ eſt expreſſa à Scoto, in nullo tamen repugnet eius doctrinæ (quãuis Pater Rada controu. 11. ar. 2. oppoſitum teneat) vnde ſic probatur; & primo de cognitione ſui ipſiuſmet Patris nõ eſt difficile probare, nam Pater antequam intelligatur producere Filium intelligit eſſentiam diuinam, & quicquid eſt in ipſa, ſed in illo tunc antequam intelligatur Filius productus eſt Pater in eſſentia; igitur tunc ſeipſum cognoſcit. Rurſus probatur à Scoto in q. quodlibet. §. contra ver. ex; nam Pater, vt eſt prior origine Filio, nouit

nouit ſeipſum non tamen per memoriam ſiuè actu primo, ſed per intelligentiam, ſiuè actu ſecundo, quod probatur, quod conſimilis eſt ordo originis Patris ad Filium in habendo intelligentiam perfectam, qualis eſt in habendo memoriam perfectam, quia vniuerſaliter eiuſdem per ſe eſt habere intelligentiam perfectam, cuius eſt habere memoriam perfectam; ſicut ergo Pater non præcisè in Filio nouit ſeipſum, quaſi per memoriam, ſed per ſeipſum, vt eſt prior Filio; ita & de notitia actuali per intelligentiam, & tunc vltra: ſicut ergo actuali notitia, ſiuè intellectione per intelligentiã nouit in ſeipſo, Pater ſeipſum prius origine, quam in Filio: ita actuali intellectione per intelligentiam ingenitam nouit omnia diſtinctæ in ſe prius, quam in Filio. Secundo de Filio quomodo ſit poſſibile ipſum intelligi intellectione intuitiua antequam producatur; quæ quidem cognitio intuitiua reſpicit rem præſentem, & exiſtẽtem, qua Pater eſt intelligens eſſentiam diuinam, & eſt beatus; non eſt autem hic ſermò de cognitione abſtractiua, quæ imperfecta eſt, & multo magis difficile erit probare de Spiritu Sancto, quomodo vt exiſtens intelligatur à Patre antequam ſit Filius productus, cum Spiritus Sanctus ſit poſterior Filio in ſui eſſe, & productione, nec eſt dicendum, quod cognitione abſtractiua intelligatur à Patre; nam vel Spiritus Sanctus abſtraheret à ſui exiſtentia in illo tunc, & ſic eius perſona erit poſſibilis, vt roſa in hyeme, & conſequenter non eſſet neceſſaria, quod non eſt dicendum; vel ſi Spiritus Sanctus nõ abſtrahit ab actuali exiſtentia, ad hoc vt cognoſcatur abſtractiuè à Patre debet cognoſci imperfectè; quia non cognoſcitur ſicuti eſt; nimirum vt exiſtens; quæ cognitio imperfecta non poteſt attribui Patri; igitur ſi ipſum cognoſcit intuitiuè, & actu exiſtentem cognoſcere debet antequam producat Filium, & quod cognoſcat probatur ſic.

Primò auctoritate Scoti in 1. diſ. 10. q. vn. in fin. vbi inquit, poſſe dici quod in illo priori ſigno originis antequam intelligatur Spiritum Sanctum ſpirari, Pater, & Filius cognoſcunt Spiritum Sanctum intuitiuè: ſimiliter igitur dici poteſt, quod antequam intelligatur Verbum gigni in illo priori ſigno originis Pater cognoſcit illum intuitiuè. Secundò probatur rationibus. Pater antequam producat Filium intelligit eſſentiam diuinam perfectè, & comprehenſiuè; igitur tunc, & eadem cognitione intelligit omnia attributa, & tres perſonas diuinas, alioquin non comprehenderet

eſſentiam. Tertiò licet poſſit eſſentia diuina cognoſci à beatis ſine perſonis,& vna perſona ſine alia, vt probauimus in de viſione Dei,hoc eſt quia cognitio beatorum eſt contingens, & dependens à concurſu voluntatis Dei potentis ſuſpendere concurſum circa perſonas, & non circa eſſentiam; perſonæ tamen diuinæ non poſsunt videre eſſentiam ſine perſonis; quia Deus eſt obiectũ neceſsarium ſui intellectus, & non concurrit ad ſui cognitionem niſi naturalirer; ergo quandocumque Pater cognoſcit eſsentiam diuinam,cognoſcit omnia ſimul intuitiuè, & ſicuti ſunt in actuali exiſtentia etiam perſonas; ſed Pater antequam producat Filium cognoſcit eſsentiam diuinam; igitur tunc etiam cognoſcit omnes perſonas.

Sed contra ſecundam partem concluſionis arguitur. Si cognitio actualis Filij, & Spiritus Sancti preſupponitur gignitioni verbi diuini; ergo Pater antequam gignat Verbum cognoſcit eſsentiam communicatam tribus; ſed eſsentiam eſse communicatam tribus eſt eſse ſecundam, & tertiam perſonam productas; igitur antequam Filius generetur ipſe,& Spiritus Sanctus ſunt producti, & ita ſunt antequam ſint quod eſt contradictorium, & confirmatur ex eodem Scoto in 1.diſ.1.q.2.ar.2.vbi ait,quod in illo priori eſsentia non cognoſcitur communicata tribus,ſed vel in ſe abſolutè, vel eſse præciſè in vna perſona; quando,ſcilicet Pater cognoſcit eſsentiam, & eſt perfectè beatus antequam generet Filium.

Reſpondetur Scotum in illo loco facere diſtinctionem inter obiectum primarium, & ſecundarium beatitudinis. Cum autem eſsentia ſe ſola ſumpta ſit obiectum primarium, & perſonæ ſecundarium neceſse eſt conſideretur,vt non communicata tribus, ſed vel in ſe abſolutè, vel in vna tantum perſona, vt ait Scotus; alioquin non eſset differentia inter obiectum primarium,& ſecũdarium. Cæterum cum Verbo diuino præſupponi debeat cognitio actualis eſsentiæ,& intuitiua, & ſic perfecta, atque compræhenſiua in Patre,debet includere dicta cognitio omnia, quæ ſunt formaliter in Deo,& ſic etiam ipſas perſonas diuinas; ſicut ergo Pater eo dicitur eſse perfectè beatus,antequam generet Filium; quia non habet eſse beatum à generatione Filij,vel à Filio genito, cum nullam perfectionem ſibi intrinſecam habeat à perſona producta,vt ait Scotus eodem loco,ſic idem Pater videt intuitiuè

non

non ſolum eſsentiam; ſed etiam & cætera diuina,& perſonas diuinas antequam generet Filium: quia ſcilicet illam viſionem, cũ ſit perfectio ſimpliciter,non habet a generatione Filij,ſiue a Filio genito,& ita antequam generet Filium cognoſcit eamdem eſsẽtiam communicatam tribus;nec indè ſequitur contradictio,quod duæ perſonæ diuinæ eſſent antequam ſint productæ; quia non eſt ſignum in quo ſit cognitio illarum, & non ſint ipſæ perſonæ productæ: ſed eſt ſignum à quo; propter quod rectè dicitur Pater cognoſcere perſonas productas a ſe nõ a generatione Filij,vel prius Patri competit cognitio perſonarum, quippè quæ eſt eſſentialis, quam gignitio Verbi,quæ eſt notionalis.

Secundò arguitur,quamuis poſſit dici,quod non prius producatur Filius,quam intelligatur à Patre; ſed quod ſaltem ſimul intelligitur,& producitur præcipuè in ſententia Thomiſtarum dicentium,eadem cognitione,qua Pater cognoſcit eſſentiam producere Filium; ſed non poteſt dici,quod prius,vel ſimul quando Pater producit Filium cognoſcat Spiritum Sanctum perfectè intuitiuè, & actu exiſtentem, quod requiritur ad intuitiuam cognitionem; nam in illo ſigno Spiritus Sanctus non eſt productus, ergo non cognoſcitur vt productus,& præſens; ſed vt producendus, & futurus; quas omnes illationes non værentur concedere aliqui Scotiſtæ;non tamen indè ſequitur,inquiunt,non fore illam cognitionem intuitiuam; nam etiam Deus cognoſcit intuitiuè creaturas nondum exiſtentes, ſed futuras,& idem dici poteſt de cognitione Spiritus Sancti in illo ſigno,& rationem reddunt; quia licet creaturæ non ſint Deo pręſentes in ſeipſis,ſunt tamen illi pręſentes in eſſentia diuina, in qua eminenter continentur, ex hoc idem contingit in propoſito; nam Spiritus Sanctus pro tunc concipitur. Vt eminenter contentus in eſſentia diuina, & ideò intuitiuè cognoſcitur antequam producatur,ita Pater Carouinca tra. de Tr. lib. 3.diſ.2.q.7.num. 18. ſed quando, quæſo Scotus vnquam ſomniauit perſonas diuinas contineri eminenter in eſſentia diuina, quod ſolius eſt creaturæ proprium, non igitur ſatisfaciunt argumento prædicti auctores. Reſpondetur igitur quod in diuinis tũ eſſentia,tum eſſentialia,tum perſonæ ſunt in eodem ſigno in quo: quapropter nullum habere poteſt rationem futuri, vel poſterioris,ſed reſpectu alterius, in eodem tamen ſigno in quo ſunt plura ſigna à quo,quæ vocantur ſigna originis, propter quæ vnum po-

teſt dici prius,vel poſterius alio; exiſtetes igitur ſimul omnes tres perſonæ diuinæ actuali exiſtentia in eodem ſigno in quo; propter quod non dicitur vnam perſonam eſſe priorem alia; ita quod ſit in aliquo inſtanti Pater,in quo non ſit Filius: adhuc in eodem inſtanti in quo Pater dicitur eſſe, & operari prius Filio, & Spiritu Sancto nimirum in inſtanti a quo; quia in eodem ſigno in quo ſunt plura ſigna a quo; in eodem igitur inſtanti in quo Pater dicitur eſſe, & operari a ſe,Filius a Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque eſt,& operatur: ſicut igitur Pater actualiter exiſtens ſimul cum Filio,& Spiritu Sancto dicitur eſſe antequam ſit Filius, & Spiritus Sanctus; quia eſt a ſe, ita exiſtens ipſe ſimul cnm illis dicitur cognoſcere illos antequam illi ſint,aut producantur: quia cognoſcit illos a ſe,& non ab illis,ideſt non propter exiſtentiam, vel productionem illorum illos cognoſcit intuitiuè; ſed a ſe, quia vt ait Scotus loc. cit. Pater non recipit aliquam perfectionem à productione Filij,ac per conſequens rectè dici poteſt Patrem cognoſcere actu præſentes, & productos Filium, & Spiritum Sanctum antequam producat illos, ſicut verè dicitur Pater actu exiſtens ſimul cum Filio exiſtente actu, & producto eſſe antequam Filium producat quatenus eſt a ſe.

Sed contra,ſicut ly eſſe à ſe, & ab alio, & etiam cognoſcere à ſe facit, vt Pater dicatur cognoſcere Spiritum Sanctum actu exiſtentem,& productum antequam ipſum,& Verbum producat; ſic etiam ly producere à ſe facit, vt Pater exiſtens ſimul cum Filio producat Filium antequam Filius ſit; quia Pater producit a ſe, & Filius eſt ab alio; in eodem igitur inſtanti originis à quo eſt cognoſcere Filium,& Spiritum Sanctum, & eſt producere Filium; ac per conſequens non prius cognoſcit,quam producat, ergo cognitio Filij,& Spiritus Sancti nō præſupponitur gignitioni Verbi. Reſpondetur duplicem eſſe ordinem originis proprium, & improprium,ſeu ſimpliciter, & ſecundum quid. Proprium eſt inter perſonas diuinas. Secundum eſt inter eſſentiam,& eſſentialia, & originationes. primum eſt quando verè vna perſona originat, & producit,& alia producitur. Secundum eſt quando eſſentia dicitur à quo omnia emanant,& fluunt ab illa,& ipſa à nullo, & eſſentialia emanant,& pullulant ab ipſa prius quam notionalia,& vna notio,vel originatio prius quam alia, vt generare prius quā ſpirare. Ad propoſitum igitur,in Patre producere à ſe, & intelligere

gere à ſe ſunt in diuerſis ſignis à quo,ſcilicet improprijs; propter quod prius competit Patri intelligere quam producere,quia prius actus eſſentialis pullulat ab eſſentia quam actus notionalis.

Sed contra eſſe a ſe in Patre eſt notionale; quia opponitur ipſi eſſe ab alio,quod eſt etiam notionale, inter quæ tantum cadit oppoſitio,& tamen eſſe a ſe in Patre eſt prius quam intelligere a ſe: nam iſta ſequitur Pater intelligit, ergo eſt; ſed non ſequitur iſta conſequentia eſt, ergo intelligit: quia ſi non intelligeret adhuc eſſet; igitur notionale eſt prius eſſentiali illo ſigno originis improprio. Reſpondetur verum eſt eſſe a ſe in Patre eſſe prius quã intelligere à ſe; ſi accipiamus eſſe ſimpliciter non autem eſſe incommunicabile,& hypoſtaticum ſecundum Scot.in quodl. q.4.§. argumentum principale. Contra ibi Scotus ait,quod agere,ideſt producere non præſupponit eſſe hypoſtaticum, quia ꝑ producere in tali eſſe conſtituitur,ſed intelligere non conſtituit eſſe hypoſtaticum,ergo præſupponit ſuppoſitum Patris, & conſequenter præſupponit dicere. Reſpondetur negando ſequelam,vtramque etenim nec intelligere præſupponit ſuppoſitum, quia Pater ipſo agere actuali ſiue dicendo,ſiue intelligendo eſt primo potens agere,ſed præſupponit illud,quo,vt principio formali eſt aliquid potens agere,ſcilicet memoriam fœcundam,& hoc eſt quod ait Scotus non intelligere præſupponit eſſe ſimpliciter non autem eſſe hypoſtaticum.

Sed contra, Pater conſtituitur in eſſe hypoſtatico per dicere, ſeu producere generando, non per intelligere; igitur prius in Patre eſt dicere,quam intelligere. Reſpondetur conferendo intelligere,& dicere in Patre,prius eſt illud,quam iſtud; quatenus Pater non habet intelligere à dicere; ſed potius habet iſtud ab illo, ideſt Pater non ideo intelligit; quia dicit; ſed è conuerſo, ideò dicit, quia intelligit: nam Verbum diuinum cum ſit Verbum perfectum produci debet à memoria perfecta ad quam neceſſariò prærequiritur intelligere,per quod repreſentetur clarè obiectum, & ſic ex obiecto actu cognito, & intellectu cognoſcente conſtituitur memoria perfecta, qua immediatè producitur Filius diuinus, qui eſt Verbum perfectum hæc doctrina magis explicabitur in quæſtione ſequenti.

Tertia concluſio Verbum diuinum gignitur ex habituali cognitione eſſentiæ diuinæ tamquam ex principio quo, producen-

di,&

di,& etiam trium perſonarum,non autem creaturarum. Iſta concluſio habet tres partes.

Prima pars probatur,quod Verbum gignatur ex habituali cognitione eſſentiæ diuinæ vt ex principio quo quoniam memoria Patris eſt principium quo producendi Verbum diuinum; ſed cognitio habitualis aut pertinet ad memoriam, aut eſt ipſa memoria: igitur iſta cognitio eſt principium gignendi Filium: maior probatur pluribus auctoritatibus D.Aug.nam 15.de Trin.c.26.& 10.& 18.inquit,Verbum noſtrum de noſtra ſcientia eſt,de noſtra ſcientia in quam memorabili, quod interpetratur de memoria noſtra Verbum noſtrum eſt,& c.10.ait ex ipſa ſcientia,quam memoria tenemus naſcitur Verbum, & c. 12. ait, animus humanus theſauro memoriæ condita tenet, ex quibus gignitur Verbum noſtrum,& D. Anſelm.in monolog.c.26. inquit, Verbum eſt cogitatio de memoria facta; ex quibus auctoritatibus ſequitur,Verbum non procedere immediatè de cognitione actuali,ſed de memoria; idem autem iudicium eſt de Verbo noſtro, atqui diuino, ergo, &c.

Ad has auctoritates reſpondere poſſet aduerſarius, quod benè verum eſt Verbum produci immediatè de memoria,vt de principio producendi; ſed per intellectionem tamquam per actionem, & actum productiuum.

Sed contra hoc; nam præterquamquod in ſuperioribus probatum eſt, intellectionem non eſſe productionem, memoria non eſt niſi intellectus fecundus obiecto ſibi præſente non actu intellecto,ſed intelligibili, quando autem obiectum eſt actu intellectum, intellectus non vocatur amplius memoria, ſed intelligentia, ſiue intelligens,ſi ergo Verbum producitur ab intellectu quatenus eſt memoria,producitur ſine aliqua intellectione actuali, ac per conſequens alius eſt actus producendi Verbum,quam intellectio,qui quidem actus dicitur dictio,& dicere.

Secunda pars probatur. quod Verbum producatur ex prædicta cognitione trium perſonarum, cum enim cognitio actualis perſonarum præſupponatur ad productionem Verbi,vt patet ex ſuperiori concluſione, & ipſa actualis cognitio conſtituat memoriam perfectam, qualis requiritur ad Verbum perfectum, cuiuſmodi eſt diuinum, vt etiam patet eadem concluſione, ſequitur Verbum etiam ex cognitione perſonarum actuali non quidem

vt

vt actuali,ſed vt habituali, (quia vt ſic eſt de conſtitutione memoriæ perfectæ) produci,& gigni. Et confirmatur ex eod. Aug. 15.de Trin.c.13.vbi ait,Verbum eſt viſio de viſione: ſicut igitur viſio, ſiuè notitia actualis in nobis eſt de notitia actuali præſuppoſita,quæ manens in intellectu dicitur habitualis,vel habitus,& cum intellectu facit memoriam perfectam; ſic etiam Verbum perfectum ſiuè noſtrum, ſiuè diuinum præſupponit notitiam actualem,& viſionem, quæ cum intellectu facit memoriam perfectam,ex qua gignitur Verbum perfectum; ita Scot.in 1.diſt.2.q. 7.§. Contra iſta, inquit, nihil igitur aliud vult dicere viſionem de viſione,notitiam de notitia,niſi actum ſecundum,qui eſt viſio,vel cogitatio in intelligentia,naſci de actu primo, qui eſt in memoria, quæ eſt viſio habitualis, vel ſcientia ſecundum Auguſtinum ipſum; D.Aug.eod.lib.c.14.inquit,Verbum naſci de omnibus,quę ſunt in ſcientia Patris, & non eſt intelligendus Auguſtinus, quod loquatur de ſola ſcientia habituali,vt aliqui exponunt; ſed etiam de ſcientia actuali priori pręſuppoſita,non quidem vt actualis eſt, ſed vt habitualis eſt; qua propter Scotus in.2.diſ.1.q.1.lit.f.notãter addidit illud Verbum ſi de omnibus vt notis Patri gignitur Verbum,gignitur Verbum de Verbo,& ita erit Verbum de Verbo,quod eſt falſum,& incoueniens, intelligendum eſt igitur Verbum naſci de omnibus, quæ ſunt in ſcientia Patris, vt inquit Auguſtinus, non quidem de omnibus notis vt notis, ideſt actualiter notis; ſed de omnibus notis vt noſcibilibus,ideſt habitualiter notis. Quapropter Aug.15.de Trin.c.7.& 18.meritò dixit,Verbum produci non ex intelligentia,ſed ex memoria,quę eſt verum principium, & proximum conſtitutum ex intellectu, & obiecto non quidem vt actu intellecto;ſed vt actu intelligibili producendi Verbum. Hæc autem memoria cum ſit perfecta, quippè quæ Verbũ perfectum producere debet,ſit ex ſcientia actuali ad modum,quo memoria perfecta noſtra ſit ex ſcientia,ſeù actuali cognitione rerum,non ex ſpecie intelligibili earum, quæ ſcientia actualis cum intellectu conſtituit memoriam perfectam;ſicut ſpecies intelligibilis cum intellectu conſtituit memoriam imperfectam: ſic igitur dicendo Auguſtinus in locis modo citatis, Verbum produci diuiſione,& ſcientia,intelligit de illa, quæ facit memoriam perfectã, ex qua memoria immediatè producitur Verbum perfectum, ad hoc autem vt talis viſio,& ſcientia conſtituat memoriam, oportet

et vt obiectum huius ſcientiæ non ſe habeat vt cognitum, ſed vt cognoſcibile, quamuis verè fuerit, vel ſit cognitum: quia obiectum, vt cognitum non eſt ſub memoria, ſed ſub ſcientia, vel intelligentia, ſeu cognitione actuali, vt patet in nobis; quando .ſ. obiectum phyloſophiæ eſt actu cognitum eſt ſub cognitione, & ſcientia actuali, quando verò poſt talem cognitionem actualem obiectum non eſt actu cognitum manet in intellectu vt cognoſcibile, at ſic facit memoriam perfectam, ex qua inde fit alia cognitio actualis, & Verbum; Pater igitur diuinus ex verbo noto, ſeu cognito producit Verbum non tamen vt noto, quia vt ſic non eſt memoria; ſed eſt notitia actualis; quæ quidem in diuinis vel eſt ingenita, & ſic ex illa produceretur Verbum, quod eſt falſum in via Scoti, vt in ſuperioribus probauimus; vel eſt genita, quæ eſt ipſummet Verbum, & ſic Verbum produceretur de Verbo, & cõſequenter de ſeipſo, quia ly vt ſtans reduplicatiuè in propoſito dicit rationem formalem producendi quod eſt inconueniens. Producitur ergo Verbum diuinum de omnibus, quę ſunt in ſcientia Patris, vt ait Auguſtinus, & de omnibus notis Patri, non vt notis, vt ait Scotus: quamuis dicant alij, vt Carouinca loc. cit. n. 24. etiam vt notis nimirum virtualiter, quod eſt falſum; quia ſermo Auguſtini hoc loco eſt de ſcientia actuali, non de habituali; quæ ſcientia actualis eſſentiæ, & perſonarum eſt in Patre antequam producat Filium ad modum, quo ſupra probatum eſt; nempè quæ conſtituit memoriam perfuſam, quæ vt dicit ſcientia habitualis a qua immediatè producit verbum, quæ eſt notitia actualis producta. Rurſus idipſum quod inquit Verbum produci ex notis Patri vt notis virtualiter, ſiue habitualiter contradictionem inuoluit, nam ly vt notis ſignificat Verbum produci de illis, vel de ſeipſo ſub ratione cogniti, vt ipſe ſe declarat num. 24. quod profectò repugnat ſcientiæ habituali, quia res nota vt nota non eſt ſub ſcientia habituali, ſed actuali dumtaxat producente ergo Verbum ex notis Patri non vt notis, ideſt ex ſcientia actuali non vt actualis eſt, ſed vt habitualis, ſcilicet quatenus ex ſciẽtia actuali conſtituitur habitualis ſcientia, quæ eſt memoria perfecta, ex qua memoria ſcientiaque habituali immediatè producitur Verbum ſolum præſuppoſita ſcientia habituali pro conſtituenda perfecta memoria; ea propter D. Thomas modo inquit Verbum naſci à memoria, ſiuè ex ſcientia habituali, modo etiam ait abſolu-

tè ex

tè ex ſcientia,& viſione; quę quidem viſio non poteſt intelligi niſi actualis; quia verè vtroque modo Verbum gignitur ad modum explicatum.

Tertia pars probatur. Nulla cognitio creaturarum nec actualis, nec habitualis præſupponitur ad gignitionem Verbi; igitur multo minus poteſt ex illa gigni,& produci. Sequela patet. Antecedens probatur in ſequenti concluſione.

Contra iſtam concluſionem, & modum dicendi arguit Caietanus; per intellectiones actuales, vt per frequentatos actus producitur habitus; igitur Pater diuinus per intellectionem actualem, & cognitionem omnium quæ ſunt in eſſentia diuina producit Verbum. Huic reſpondent,& occurrunt Scotiſtæ, alij negantes actus producere habitus, vt Fauenti.in 1.diſ.21.c.1.& 8.quod tamen eſt contra communem,& ab omnibus receptam propoſitionem, nimirum ex frequētatis actibus generari habitum,& à Scot. acceptatam in 1.diſ.3.q.6.lit.V.& q.9.in fine; alij verò affirmantes in nobis hoc eſſe verum non autem in diuinis cuius differentiæ rationem reddunt; quia nimirum intellectio quamuis ſit forma actiua,& productiua habitus, non tamen eſt per modum potentię vitalis, quod tamen requiritur in diuinis, vt, ſcilicet Verbum producatur à potentia vitali, & ideo quamuis in nobis intellectio ſit productiua; in diuinis autem minimè, hoc inquit Vulpes tom. 3. de Trin.diſp.52.ar.5.n.12.Sed contra hoc eſt. Nam ad vitalitatē actus producti ſufficit, vt facultas, ſeù potentia productiua ſit vitalis forma autem, qua dicta potentia producit, non requiritur vt ſit vitalis ſecundum Scoti placitum in priori loco cit.vbi ait. Dico breuiter, quod actus eſt generatiuus habitus, ſicut forma aliqua eſt cauſſa, vel ratio cauſſandi aliam formam, & ſic intellectio paterna in diuinis eſſet principium quo producendi Verbum,& non ſe haberet per modum potentię; quia ſolus intellectus paternus eſt potentia vitalis,& ex hac parte poſſet producere Verbum per intellectionem, tamquam per formam; quamuis ipſa non eſſet potentia vitalis quod eſt contra Scotū denique reſpondet Carouin. tom.2.lib.3.diſp.2.q.8.n.10.quod tum in diuinis, tum in humanis intellectio, ſiuè actus intelligendi eſt principium productiuum; quia hoc dicit perfectionem, quæ neganda non eſt in diuinis; non tamen ibi de facto producit, quia iam præhabetur ante ipſam intellectionem id, quod eſt perfectum, & radicale principium pro-

ductiuum,quod eſt memoria fęcunda cōſtans ex intellectu in actu primo vna cum diuina eſſentia in ratione obiecti intelligibilis in actu primo, & inferius inquit ipſam notitiam ingenitam eſſe poſteriorem memoria Patris,& conſequenter non ſibi, ſed memoriæ competit producere.

Sed contra hoc eſt. Nam memoria perfecta ad differentiam memoriæ imperfectæ tum in nobis,tum in Deo non conſtituitur niſi ex notitia actuali,& conſequenter præhabetur notitia, & intellectio actualis,& eſt prior, quam memoria tamquam conſtitutiua ipſius in ratione memoriæ perfectæ; ſi igitur propter talem proprietatem tribuenda erit ipſa productio actualis,intellectioni vtrique; non memoriæ tribuenda eſſet, quod eſt contra D. Aug. 15.de Trin.c.7.& 10.& 18.dicentem, Verbum gigni nō ex intelligentia,ſed ex memoria. Dicendum igitur eſt ad argumentum Caietani, in diuinis nullo pęnitus modo notitiam,ſeù intelligētiā actualem vt ſic eſſe principium quò, nec actum producendi Verbum diuinum, licet præſupponatur ad productionem Verbi pro conſtituenda memoria perfecta,qua immediatè producitur Verbum; eapropter inquit Scot.loc.ſupra cit. igitur ſi de omnibus, vt notis Patri gignitur Verbum gignitur Verbum de Verbo, & ita erit Verbum Verbi; quod pro inconuenienti habet Scotus cuius tamen oppoſitum ait Carouin.n.24.dicens,negari non poteſt etiam Verbum ſub ratione intellecti,& præconcepti concurrere ad productionem ſui,quamuis 21.n.1.dicat, Scotum negare produci Verbum de ſui eſſe tantum nimirum actuali; nō autem negare de virtuali,ex cuius eſſe virtualis cognitione actuali producitur Verbum; Sed profectio hoc eſſe virtuale Verbi ante actuale omnino negandum eſt,& aſſerendum nullo modo produci ex ſui eſſe nec actualis nec virtualis cognitione actuali,vt actuali,vt ſaluentur dicta Scoti, & Auguſtini: quamuis cognitio etiam actualis omnium eſſentialium.& notionalium,& etiā ſui ipſius eſſe actualis præſupponatur eius productioni, & non ſolum hoc, ſed etiam ex ſui cognitione actuali, non tamen vt actuali; ſed vt habituali producitur Verbum ſicut ex cognitione præhabita Papæ actuali non vt ſic,ſed vt habituali conſeruata in memoria mea produco nouam eius cognitionem actualem, & ita cognitio & Verbum Papæ fit ex Papa actualiter noto, non tamen vt noto; propter quod notanter dici Scotus ſi Verbum ex Verbo vt noto gigneretur

tur, eſſet Verbum Verbi, & Verbum de Verbo, & ſic eſſet principium ſui ipſius, quod eſt inconueniens.

Secundò poſſemus reſpōdere ad Caietanũ, quod actus ſunt productiui habituum, vt ipſe dicit, & ita intellectio actualis, vt actualis replicata producit non niſi habitum nimirum ſcientię, & vt ſic non producit nouam intellectionem actualem; in diuinis autem non eſt producibilis habitus; quia habitu Deus non indiget: & ita argumentũ Caietani probans Verbum diuinum produci ex cognitione actuali vt ſic non eſt ad propoſitum; quia nec Verbum eſt habitus, ſed notitia dicitur genita actualis, & alioquin vt diximus Deus habitu non indiget.

Contra ſecundam partem concluſionis arguit Pater Rada loc. citat. controu. 11. Verbum, & Spiritus Sanctus non poſſunt præſupponi ante Verbi productionem; igitur neque præintelligi, antecedens patet, ſequela probatur; nam hæc intellectio debet eſſe intuitiua, ſcilicet cum actuali exiſtentia rei cognitæ.

Reſpondetur aliud eſt eſſe Verbi, & Spiritus Sancti, & aliud eſt cognitio illorum: nam eſſe eorum eſt in ipſis, & ideo non poteſt eſſe ante ipſos, nec in inſtanti in quo, nec à quo; quia tam Verbũ, quam eſſe Verbi eſt ab alio, & ſic eſt in ſecundo ſigno originis, & tam Spiritus Sanctus, quam eſſe Spiritus Sancti eſt ab vtroque, & ſic eſt in tertio ſigno originis; ex quo ſequitur quod eſſe Verbi, & S.S. non eſt in primo ſigno originis nec in quo, nec à quo quando eſt Pater ante productionem illorum, cognitio tamen Verbi, & Spiritus Sancti non eſt in ipſis, ſed in Patre; & [illegible] eſt in primo ſigno, & ideò exiſtens ipſa cognitio in eodem ſigno originis in quo cum illis, & reſpiciens Verbum, & Spiritum Sanctum intuitiuè & exiſtens actu, & vt ſic eſt prior Verbo, & Spiritu Sancto in inſtanti originis à quo; quatenus Pater à ſe habet cognitionem illorum, & non ab ipſis; quia cum talis cognitio ſit perfectio ſimpliciter, quam perfectionem non recipit Pater ab illis, nec à productione exiſtentiæ illorum, & hoc modo dicitur præſupponi in Patre cognitio Verbi & Spiritus Sancti ad productionem vtriuſq; & quãdo dicimus, Pater antequam producat Verbum cognoſcit intuitiuè Spiritum Sanctum actu exiſtentem idem eſt, ac ſi diceremus Pater à ſe, ideſt nõ per productionem Verbi, nec à productione Verbi habet, vt cognoſcat Spiritum Sanctum, ſed à ſe cognoſcit ipſum, & amplius declaratur. Nam illud antequam, non determi-

nat

nat exiſtentiam Spiritus Sancti, vt ipſe ſit ante Verbum productum, vel ante productionem Verbi; ſed determinat cognitionem Patris, ideſt Pater cognoſcit ante, ideſt a ſe Spiritum Sanctum actu exiſtentem in tertio ſigno, non autem exiſtentem in primo ſigno, in quo eſt Pater ante productionem Verbi.

Quarta cõcluſio. Cognitio creaturarum poſſibilium nec actualis, nec habitualis præſupponitur gignitioni Verbi diuini, & proceſſioni Spiritus Sancti.

Pro intelligentia huius concluſionis notandum eſt, quod in creatura duplex eſſe conſideratur. Primum eſt eſſe in ſua cauſſa, & hoc non eſt proprium creaturæ, vt roſa in hyeme eſt in planta, & eius eſſe eſt ipſa ſubſtantia plantæ; quia de eius ſubſtantia gignitur, & tunc non conſideratur aliquod eſſe proprium ſuum diſtinctum à ſubſtantia plantæ; ſecundum eſſe creaturæ eſt propriũ diſtinctum a ſua cauſſa, & hoc duplex eſt, in eſſe cognito, & in eſſe reali. His poſitis probatur concluſio.

Primò, creaturæ nedum non habent eſſe reale ante Verbi, & Spiritus Sancti productionem, ſed nec habent eſſe cognitum, & obiectiuum; igitur nulla cognitio illarum præſupponitur ad productionem eorum, ſequela patet: quia eſſe cognitum obiecti eſt ipſa cognitio eius paſſiua, cui correſpondet cognitio actiua. Vna igitur ceſſante, ideſt cognitione paſſiua, ceſſat & altera, ideſt actiua. Antecedens probatur, illud eſſe cognitum, & obiectiuum, quod eſt proprium, & formale eſſe creaturarum diſtinctum ab eſſe ſuæ cauſſæ, ideſt eſſentiæ diuinæ non eſt a ſe, ſed ab alio; alioquin eſſet ens improductum, & independens, & ita eſſet ex ſe neceſſe eſſe, quod eſt impoſſibile; igitur illud eſſe cognitum ab alio producitur, ſed actiones, & productiones diuinæ ad extra ſunt indiuiſæ, igitur illud ab omnibus tribus producitur, & per conſequens non eſt ante productionem Filij, & Spiritus Sancti.

Ad hanc rationem reſpondere poſſet aduerſarius, quod illud eſſe cognitum & obiectiuum creaturarum proprium non eſt realiter diſtinctum ab eſſentia diuina; igitur in illo primo ſigno, quo eſſentia videtur cognoſcuntur, & creaturę etiam ante Verbi productionem. Sed contra hoc eſt. Nam licet illud eſſe cognitum creaturarum nõ ſit realiter diſtinctum ab eſſentia diuina, tamquã res à re, eſt tamen diſtinctum formaliter ab illa; quia ſic creaturæ conſiderantur non vt ſunt omnino intra ſuam cauſſam; ſicut quã-

dò

do conſiderantur contineri in ſua cauſa eminenter, & virtualiter, & non habent aliquod eſſe actuale, & proprium, ſed cum illud eſſe cognitum ſit actuale eſſe, & proprium creaturarum diſtinctum ab eſſe ſuę cauſæ, ſic aliqualiter ſunt extra ſuam cauſam, non quidem in eſſe reali exiſtentiæ; ſed in eſſe cognito, & obiectiuo, quod eſt primum proprium, & formale eſſe, quod accipiunt creaturæ diſtinctum ab eſſe ſuæ cauſæ, ſiuè non idem formaliter, quæ non identitas eſt magis propria inter ens, & non ens, quam diſtinctio propriè dicta, quæ eſt inter ens reale, & reale; creaturæ autem, vt in eſſe cognito non ſunt entia realia, ſed potius entia rationis; ideo potius dicenda eſt inter ipſas, & ſuam cauſam non identitas, quam diſtinctio, & hæc non identitas ſufficit in propoſito.

Secundò probatur concluſio. Motio, qua mouetur diuinus intellectus ab eſſentia diuina ad terminum infinitum eſt prior motione, qua mouetur ad terminum finitum, ſed motio ad gignitionem Verbi eſt ad terminum infinitum, & motio ad cognitionem creaturarum eſt ad terminum finitum; igitur prior eſt productio Verbi, quam cognitio creaturarum. Maior probatur à Scot. in quodl. q. 6. ex eo quod infinitum ſimpliciter non poteſt præexigere finitum.

Ad rationes autem pro contraria ſententia reſpondetur, falſum eſſe Verbum produci ex cognitione eſſentię, & ad confirmationem ex Aug. dicimus, ipſum accepiſſe ſcientiam pro habitu intelligendi, non pro actu, ſiuè pro ſcientia habituali, non actuali, & ideo ſubdidit de ſcientia, inquam, memorabili, quod eſt idem, ac de memoria, ideſt ante actum intelligendi, in qua quidem memoria pro tunc, & vt ſic non ſunt niſi ea, quæ ex natura rei ſunt in eſſentia diuina ante actualē cognitionē; huiuſmodi autem ſunt ipſa eſſentia diuina, & eſſentialia, & perſonæ, & omnia quæ de intrinſeca ratione Dei ſunt, cuiuſmodi non ſunt creaturæ quantum ad proprium, & formale, ſeu actuale eſſe ſiuè reale, ſiuè cognitum; quia tale eſſe non eſt in Deo ex natura rei; ſed per actum intellectus in eſſe cognito, & voluntatis diuinæ in eſſe reali.

Sed contra arguitur. Perſona Filij, & Spiritus Sancti non ſunt in Deo niſi per actum intellectus, & voluntatis diuinę, eodem igitur modo, quo creaturæ non ſunt in eſſe cognito ante productionem Verbi, ſic Verbum, & Spiritus Sanctus non cognoſcuntur ante productionem Verbi.

Reſpondetur,quod eſſe in Deo ex natura rei eſt eſſe formaliter actualiter,& realiter in ipſo,& ſic ſemper ſunt perſonæ diuinæ in Deo, & non eſt aliquod inſtans in quo omnes tres perſonæ non ſint actualiter in Deo,creaturę verò quoad ſuum formale,& proprium eſſe nō ſunt formaliter, & actualiter in Deo ex natura rei, ſed ſolū eminenter,& virtualiter ſunt in ipſo ex natura rei,& poſtea ſunt in eſſe cognito per actum intelligendi diuini intellectus, quia verum eſt dicere in aliquo inſtanti naturæ ſunt diuina eſſentia,& perſonæ,in quo inſtanti naturæ non ſunt creaturæ, quoad ſuum eſſe proprium formale,& actuale tàm reale,quam cognitū, quod non eſt verum de eſſentia,& perſonis; vt in aliquo inſtanti in quo naturæ ſit eſſentia,& non perſonæ; & quia perſonæ includantur intrinſecè in eſſentia diuina,quæ eſt obiectum intellectus; ideò poſſunt aliquo modo dici, vt ſupra explicauimus ipſas eſſe ante actum intelligendi; ſiquidem obiectum naturaliter præcedit actum,creaturę verò,quia non includuntur intrinſecè in eſſentia, vt in obiecto quoad eſſe proprium ſiuè cognitum,ſiuè reale, ideò non præcedunt,ſed ſequuntur cognitionem, ex qua creaturæ recipiunt proprium eſſe ſui,nempè cognitum.

Sed contra replicatur; ſi creaturæ habent eſſe cognitum ex cognitione diuinæ eſſentiæ à perſonis producentibus illas in tali eſſe cognito, igitur cognitio eſt productio, quod eſt contra doctrinam Scoticam, & ita Verbum diuinum ſimiliter ex cognitione eſſentiæ diuinæ produceretur,quod eſt etiam contra Scotum.

Reſpondetur quando aſſerit Scotus per intellectionem produci creaturas in eſſe cognito, non dicit intellectionem eſſe actum producēdi,& productionem, ſed intellectus diuinus in tribus perſonis nimirum completa omni productione ad intra videt eſſentiam diuinam, & in ipſa videt creaturas non ſub aliquo eſſe proprio formali,& actuali illarum,ſed ſub eſſe eminentiali,& virtuali in eſſentia,& ſic poſt talem viſionem exprimit ad extra id,quod prius viderat intra eſſentiam diuinam; & hæc expreſſio eſt productio,ſiuè dictio,qua intellectus diuinus dicit,exprimit,& producit creaturas in eſſe cognito; quia intellectus id,quod producit ad extra in eſſe cognito producit,non in eſſe reali. Exemplum huius ſupra tradidimus de vidente plantam roſæ in hyeme virtualiter continentem florem roſæ, ex qua viſione plantæ exprimit, & dicit hic eſt flos roſæ, vel melius dicamus, quod eſſe cognitum

crea-

creaturarum,& floris roſæ in hyeme non propriè, & immediatè producitur,ſed ſolum reſultat ex viſione eſſentiæ diuinæ eminenter, & virtualiter continentis creaturas; ex qua viſione reſultat eſſe cognitum creaturarum ſiuè recipiant tale eſſe cognitum ad modum quo intentiones ſecundæ non propriè, & immediatè à noſtro intellectu producuntur; ſed ex collatione facta à noſtro intellectu reſultant, & recipiant eſſe, ex eo enim quod intellectus videndo Petrum, & Franciſcum conuenire in aliquo communi,& Petrum, & Brunellum etiam in aliquo communi, reſultant intentiones ſecundæ horum terminorum viſorum, & ſe inuicem collatorum,nimirum quod Petrus, & Franciſcus ſint indiuidua,& illud idem commune ſit ſpecies, & Petrus, & Brunellus non conueniunt in ſpecie, ſequitur illas conuenire in alio communiori nempè in genere. eſſe autem indiuiduum,& eſſe ſpeciem & eſſe genus ſunt intentiones ſecundæ,quæ reſultant ex prædictis collationibus terminorum, ad eumdem modum intellectus diuinus cognoſcendo eſſentiam diuinam virtualiter continentē creaturas ſequitur,atque reſultat eſſe cognitum creaturarum, quod eſt proprium,& actuale, & proprium eſſe illarum diſtinctum ab eſſe ſuæ cauſæ,ita Scotus in 2.diſ. 1.q. 1. artic. 2. aſſimilat productionē creaturarū in eſſe cognito productioni ſecundarū intentionū.

Ad formam argumenti reſpondetur, dupliciter intelligi produci creaturas per intellectionem in eſſe cognito,vel præſuppoſitiuè,vel formaliter,nempè tamquam actu, vel principio producendi. Primo modo verum eſt; quia præſupponi debet cognitio ipſarum in eſſentia diuina, & ita non in eſſe proprio; ſed in eſſe eſſentiæ. Secundò modo intellectus diuinus formaliter per dictionem,ſeù per actum dicendi, & producendi producit ipſas in eſſe proprio diſtincto ab ipſo eſſe eſſentiæ diuinæ,ideſt in eſſe cognito, vel potius dicamus ex ipſa viſione, & intellectione eſſentiæ diuinæ, vt eminenter continentis creaturas reſultare ipſum eſse cognitum creaturarum.

Contra principale arguitur. Filius habet cognitionem creaturarum in eſſe cognito à Patre; quicquid, enim habet Filius habet à Patre; talis ergo cognitio præſupponitur in Patre ante Verbi productionem, quia nihil poteſt dare aliquid,quin prius ſit in ſe.

Reſpondetur benè verum eſt,quod quicquid Filius habet à Pa-

tre eſt in Patre, priuſquam in Filio, ſed hoc dupliciter intelligitur, vel ante generationem Filij, vel poſtea; omnia eſſentialia abſoluta ſunt in Patre ante generationem Filij, vt intellectus volũtas, intellectio, & volitio eſſentiæ diuinæ, & perſonarum, & cætera abſoluta ad intra, eſſentialia verò, quæ dicunt reſpectum ad extra, vt intellectio, & volitio prout terminantur ad creaturas ſunt poſt generationem Filij prius in Patre, quam in Filio; quia Pater à ſe, Filius à Patre intelligit illas; ſicut poſt productionem Spiritus Sancti prius eſt creatio in Patre, quam in Filio, & in vtroque quam in Spiritu Sancto.

Sed contra, quicquid Filius habet, à Patre habet ex vi generationis ſuæ, ſed quicquid habet ex vi generationis prius eſt in Patre, quam in Filio ante generationem Filij; talis ergo cognitio creaturarum, quæ habetur ex vi generationis eſt in Patre ante generationem Filij. Reſpondetur falſum eſt, quicquid habet Filius a Patre, habet ex vi generationis; nam Filius etiam creat in tempore, & tale creare à Patre habet, non tamen ex vi generationis ſuæ; quia hæc eſt æterna, illa temporalis; habet igitur à Patre Filius ex vi generationis ſuæ omnia eſſentialia non dicentia reſpectum ad creaturas, & iſta præſupponuntur eius generationi; eſſentialia verò dicentia reſpectum ad extra habet Filius à Patre, non ex vi generationis, ſed ex vi communicationis principij talis actionis, ideſt quia Pater communicauit per generationem Filio intellectum, & voluntatem; ideò à Patre Filius intelligit, & vult.

Sed contra, ergo Filius non habet ex vi ſuæ generationis intellectionem, & amorem eſſentiæ, & perſonarum ex eo quod à Patre fuerunt ſibi communicata ſolum eorum principia, hoc tamen eſt falſum, ergo, & illud. Reſpondetur, quod intellectio, & volitio reſpiciunt duplicem terminum, infinitum, ideſt eſsentiam diuinam, & finitum, ideſt creaturas. primum habet Filius ex vi generationis; quia præhabetur à Patre ante generationem Filij, ideſt non ſolum intellectus, qui eſt principium intelligendi; ſed ipſamet intellectio actualis. Secundum non habet ex vi generationis; quia non præhabetur à Patre intellectio creaturarum ante eius generationem.

QVÆ-

QVÆSTIO DVODECIMA.

Vtrum in diuinis detur aliquis ordo cum prioritate, & poſterioritate à parte re: ſecluſo omni opere intellectus, & vtrum intelligere in Patre ſit prius quam dicere, & ſit ipſe Pater perfectè beatus antequam generet Filium.

TAmetſi D. Thom. in 1. p. q. 42. a. 3. admittat in diuinis ordinem ſecundum originem, quam etiam vocat ordinem naturæ, ipſum tamen inquit eſſe ſine prioritate motus auctoritate D. Aug. lib. 3. contra Maximin. c. 14. dicentis non enim genitorē ab eo, quem genuit, ſed genitum a genitore mitti oportebat; verū hoc non eſt in æqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ, non quod alter eſſet prior altero; ſed quod alter eſſet ab altero; è contra in 2. 2. q. 26. ar. 1. idem ipſe D. Th. ait, ordo autem includit in ſe aliquem modum prioris, & poſterioris, vbi Caiet. in Commentario huius loci probat ordinem ſemper eſſe cum prioritate, & poſterioritate dicens, ex hoc ipſo quod aliquid ponitur habere rationē principij in actu, ponitur ordo inter ipſum principium prius, & principiatum poſterius. Et concludit; ordo igitur licet includat prius, & poſterius eſt tamen effectus proprius principij in actu. Subinfero, ſed in diuinis eſt proprię principium, ſcilicet Pater, & principiatum, ſcilicet Filius (ſaltem vt ſupra diximus in diſp. de Patre q. 5. de mente PP. Gręcorum, quamuis apud Latinos non ſit in vſu propter hæreticos Arrianos, ne detur occaſio credendi Filium eſſe creaturam, reuera tamen dici poteſt principiatus, ideſt productus, & genitus) in diuinis igitur eſt prioritas, & poſterioritas, ſiue dicatur originis, ſiuè naturæ hic tamen ordo non dicit durationem ſecundum quam is, qui hoc modo eſt prior, eſt in aliquo inſtanti in quo non ſit poſterior, & hanc prioritatem, & poſterioritatem durationis negauerunt Auguſtinus, & Diuus Thomas, nō autem eam, quæ ſine duratione dicitur, de qua in præſentiarum loquimur.

Hoc igitur ordine cum prioritate, & poſterioritate originis, vel naturę præſuppoſito in diuinis, Scotus varijs locis ſuæ doctrinæ videtur ſibi à parte contradicere, quando loquitur tum de or-

dine naturæ,tum de ordine originis tàm ad intra,quàm ad extra, & omiſſo pro nunc ordine ad extra ea parte,quę pertinet ad concurſum cauſſæ primæ cum ſecunda, de quo in ſeq. quæſtion. nunc ſermo eſt de ordine naturæ,& originis ad intra,& ad extra ſolius Dei,eiuſque operationem ſine concurſu cauſſę ſecundæ,in quibus videtur ſe confundere ſibique contradicere Scotus. Prius igitur eſt eius explicanda mens,& contradictiones tollendę,de inde quęſtio expedienda cum dubijs propoſitis de mente etiam eiuſdem Scoti: Pro quorum intelligentia.

Primo notandum eſt quod ordo naturæ multipliciter dicitur, vt colligitur ex Scoto ex pluribus locis ſuæ doctrinæ, vt in 3.diſ. 3.q.p.§.ſi autem,& in 1.diſ.5.q.2.§.tertia difficultas,& alibi,& ex Ariſt.in met.& vocatur ordo naturę; quia eſt realis non intentionalis,& ſecundum noſtrum modum intelligendi,primus ordo naturæ eſt proprijſſimus. Secundus proprius. Tertius improprius. Quartus magis improprius; & quintus improprijſſimus.

Primus ordo, qui dicitur proprijſſimus eſt quando prius poteſt eſſe ſine poſteriori,& iſtud non ſine illo, vt inquit Ariſtoteles lib. 5.met.c.10.vbi exponit Scotus, quod ſic prius eſt à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, & ſuperius poteſt eſſe ſine inferiori,non autem hoc ſine illo; quia ab illo non neceſſariò conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, ſed ab iſto, vbi dat exemplum de animali,& bipede, quod poteſt eſſe ſine homine nimirum in gallo,non autem homo ſine illo,& dicitur proprijſſimus ordo,qui eſt eſſentialis,& neceſſariò dicit imperfectionem in poſteriori,vt ait Scotus in quodl.q. 4. §. de prima vbi dat exemplũ de ſubiecto,& accidente, quod per ſe ſtare nõ poteſt,ſed à ſubiecto ſubſtentatur, & dependet in exiſtendo,& 7.met.q.2.§.ideò dicitur,inquit,quod autem poſſit ſic præcedere,ideſt natura oſtenditur dupliciter, vel quia non dependet ab illo,ſed illud ab eo,vel quia non eſt neceſſaria cauſſa illius,vti eſt in ſubiecto,& accidente. Ad hunc autem ordinem requiruntur quatuor conditiones. Prima conditio eſt quod illa ſint entia abſoluta ad differentiam relatiuorum, quorũ quamuis cauſſa vt ſic ſit prior natura,vel origine effectu,non tamẽ poteſt cauſſa in actu vt ſic eſſe ſine effectu in actu, quinimmò nec intelligi ſecundum quod Philoſophus inquit relatiua eſſe ſimul in eſſe,& cognitione;quę quidem ſimultas eſt extrema non poſſe eſſe ſine ſe inuicem, & eſt propria relatiuorum,vt ait Scotus in quod-

libet.

libet.q.4.§.contra iſtam; ſi autem cauſſa poſſet eſſe in eſſendo ſine effectu tunc ſimul eſſet cauſſa, & non cauſſa,& ita in illo inſtanti, in quo eſt cauſa,& non eſt effectus,vel cauſſaret non effectum,vel non cauſſaret effectum; quæ ambo ſunt contradictoria. Secunda conditio eſt, quod hic ordo ſit inter realiter diſtincta ad differentiam ſubiecti,& propriæ paſſionis, quorum quamuis ſubiectũ ſit prius naturaliter ſua paſſione, non poteſt eſſe ſine illa propter identitatem realem,& ſic de cæteris huius generis. Tertia conditio eſt,quod iſte ordo ſit inter illa, quorum vnum non dependet eſſentialiter ab altero,licet ſit diſtinctum realiter ab illo,vt totum licet ſit diſtinctum realiter a partibus non poteſt eſſe ſine illis vnitis,nec partes vnitæ poſſunt eſſe ſine toto, cum hoc dependeat eſſentialiter ab illis, & tamen partes etiam vnitæ ſunt priores naturaliter toto,& ſic de alijs huiuſmodi. Quarta conditio eſt quod poſterius nõ neceſſariò ſequatur eſſentialiter poſito priori, vt extremis poſitis in rerum natura non poteſt non ſequi relatio, & ſic extrema relationis non poſſunt eſſe ſine relatione, & tamen ſunt priora naturaliter illa. Ita Scotus in 1.diſ.3.q.5.§.ad 2.in fine, & in 2.diſ.1.q.2.§.reſpondendo,& in 1.diſ.28.q.3.§.quoniã ad iſtam quæſtionem inquit,ad abſolutum in cauſſa,ſequitur abſolutum in effectu,& poſtea ſequitur relatio cauſſati ad cauſſam,deindè relatio cauſſæ ad cauſſatum in relatiuis creatis,& mutuis,& ita cauſſa & effectus quantum ad abſolutum,quod includunt, ſunt naturaliter priora relatione;quamuis ipſis poſitis non poſſint eſſe ſine illa; ſi quidem neceſſariò,& eſſentialiter ipſis poſitis ſequitur.

Poſitis igitur his quatuor cõditionibus,nimirum quod duo ſint entia abſoluta & realiter diſtincta, & poſterius nõ depẽdeat eſſẽtialiter à priori,nec ad illud neceſſariò eſſentialiter conſequatur, & ſic vnum poteſt eſſe ſine alio, & ſic prius poteſt eſſe ſine poſteriori;hoc modo propriјſſimè ordo naturalis dicitur cũ vera prioritate, & poſterioritate naturæ, ſicut eſt inter ſubiectum,& accidens,inter materiam,& formam,& cætera huiuſmodi; quæ poſſunt eſſe,aut ſeparari à poſteriori; quamuis in nullo inſtanti prius ſit ſine poſteriori,de quibus loquitur Sco.in 3.diſ.3.q.1.§.ſi autem; & reddit rationem;quia prius naturaliter eſt vnum quodque quod eſt in ſe,quam ſit,vel non ſit aliquod,quod eſt in aliquo,vbi oſtenditur ſeparabilitas,quæ præciſè requiritur ad hunc ordinem,non ſeparatio actualis; vndè concludit dicens, & licet materia prius

naturaliter ſit priuata, quam formata, non tamen ſequitur, quod iſta aliquando ſit non ſub forma, & in 2.diſ. 12.q.2.§. reſpondeo ad quæſtion.inquit, materiam eſſe priorem forma, ſicut fundamētum eius, hic autem ordo ſolum eſt in creaturis, & non poteſt eſſe in diuinis ad intra, vbi vnum nec eſt, nec poteſt eſſe ſine alio.

Secundus ordo naturæ, qui dicitur proprius, eſt quando vnum naturaliter præſupponitur, ſeù præexigitur alteri, licet nec aliquando ſit, nec poſſit eſſe ſine illo, vt ſubiectum eſt prius naturaliter ſua paſſione; quamuis non poſſit eſſe ſine illa; de quo ſubiecto reſpectu paſſionis eſt Scotus 7.met.q. 2. §. ideò dicens, ſubſtantia comparata paſſioni eſt ſeparabilis, & prior vno modo; quia non dependet, ſed in quantum cauſſa; quia habet neceſſariam cauſſam huiuſmodi intra eſſentiam ſuam, ideò non eſt ſeparabilis ab ea, cuius oppoſitum accidit in accidentibus ſeparabilibus, quibus ſubiectum eſt prius vtroque modo; Primo quia non dependet ab illis; Secundo quia non habet neceſſariam cauſſam, & intrinſecā illarum; ideò de facto ſubiectum poteſt ſeparari, & eſſe ſine accidente communi, & eodem modo partes vnitæ ſunt priores toto, & extrema relatiua ſunt priora relatione vno tantum modo nēpè; quia non dependent ab illis, & non altero modo cum habeāt neceſſariam cauſſam, & intrinſecam illorum: & ideò dicitur hic ordo naturæ proprius; quia quamuis aliunde repugnet priori eſſe ſine poſteriori, vel ex identitate reali; vel ex dependentia eſſentiali; vel ex neceſſaria, & eſſentiali conſequutione, tñ prius qua ratione eſt prius nō repugnat ſibi eſſe ſine poſteriori inquit.n.Sco. in meth.l.5.c.10.in fine, Prius enim in ſuo priori, & vt prius eſt nō dependet à poſteriori, ſed è conuerſo, & ideò priori non repugnat eſſe ſine poſteriori, ſed poſteriori repugnat eſſe ſine priori.

De partibus quod ſint priores toto eſt Ariſtot.lib.7.metaph. ca. 15. & ibi Scot. Ad hunc ordinem reducitur ille, de quo Scot. in 2.diſ 1 q.2.§, reſpondeo, prius natura dici poteſt; quia ipſum ineſt alicui & prius natura eſt entitas eius, quam illa quæ dicitur poſterius natura in eſſe illi, ſicut eſt de animali, & rationali in homine, de ſubſtantia, & accidente in compoſito per accidens, de materia & forma reſpectu compoſiti per ſe. Ad hunc ordinem naturæ reducitur etiam ille ordo, qui eſt inter duo oppoſita priuatiuè reſpectu tertij, quorum quamuis in nullo inſtanti ſit illud tertium ſine poſteriori oppoſito alteri priuatiuè; alterum tamen quod non

ineſt

ineſt eſt prius naturaliter altero oppoſito, quod ineſt reſpectu tertij, cui ineſt; quatenus ipſum ineſſet illi tertio, ſi non impediretur ab agente extrinſeco præueniente ipſum per ſuum oppoſitum; vt ordo quem habent priuatio, & forma in materia, quæ prius naturaliter eſt non habens formam, quam habens, non quod in illo inſtanti, in quo habet formam realiter non habeat eam; quia tunc contradictoria eſſent ſimul: ſed quia materia tunc quãtum eſt ex ſe dimiſſa ſibi non haberet formam, ſi aliud agens nõ daret. Hæc Scot. in 3. diſ. 3. quæſt. 1. §. ſi autem. Ad eundem ordinem reducitur alius ordo naturæ, qui eſt inter vnum tertium ex vna parte, & duo oppoſita priuatiuè ex altera, quorum quamuis illud tertium in nullo inſtanti ſit, nec poſſit eſſe, nec ſine neutro, nec ſine alterutro, illud tamen tertium eſt prius naturaliter illis ambobus, quatenus ſecundum propriam rationem eius, qua dicitur prius, neutrum illorum includit, vt ordo inter materiam ex vna parte, & priuationem, & formam ex altera parte, quarum neutra includitur in conceptu quidditatiuo materiæ, & ſic materia eſt prior naturaliter vtraque hæc etiam Scotus eodem loco citato; vnde ipſemet in met. lib. 8. q. 4. §. ad alias duas, notanter dixit, Prioritas enim naturæ non eſt aliqna prioritas ſecundum eſſe, ſed tantum in intelligi, ſiuè in per ſe ratione quidditatiua rei, nimirum non quod ſit aut poſſit eſſe de facto prius in aliquo inſtãti, in quò non ſit poſterius; ſed quia poſterius non ingreditur in quidditate prioris, & ſic non ſecundum noſtrum modum tantum intelligendi eſt prius; ſed reipſa, ſine exiſtentia tamẽ actuali priori exiſtentia alterius; quia ſic eſſet prioritas durationis, non naturæ ſi exiſteret vnum in inſtanti, in quo nõ exiſteret alterum, quod eſt inconueniens.

Tertius ordo naturæ improprius dicitur ex eo, quod ſic prius non poteſt eſſe ſine poſteriori vllo modo, nec illi præſupponitur; ſed eſt ordo naturalis originationis, ſeù cauſſalitatis vnius ab alio, ſecundum quem id quod ab alio cauſſatur, aut originatur eſt poſterior origine, aut cauſalitate illò à quo cauſatur, aut originatur, quamuis ſint ſimul natura ſimultate oppoſita ordinibus duobus ſupradictis; quia cum hi ordines, ſcilicet hic tertius, & duo priores ſint diſtincti, quorum alter non includit alterum, nec neceſſariò præexigit alterum poteſt vnus ordo ſtare (vt ait Scot. in quodlib. qu. 4. §. contra iſtam) cum ſimultate oppoſita alteri ordi-

ordini, ſic eſt (ſubdit) de ordine originis, quo quis eſt ab alio, & de ordine naruræ, quo prius poteſt eſſe ſine poſteriori, aut præſupponitur illi; quia quod dat eſſe perfectè alteri, ex hoc neceſſariò eſt prius origine, & ſimul natura cum illo, & concludit, non eſt igitur repugnantia inter prius origine, & ſimul natura, ſed neceſſaria concomitantia, quando eſt perfecta origo; vndè non ſolum Socrates eſt prior origine Platone, ſed Socrates pater eſt prior origine Platone filio; quia paternitas eſt per ſe cauſſa prioritatis originis, ergo Socrates pater prout includit paternitatem, quæ eſt cauſa prioritatis, adhuc eſt prior origine Platone filio; vbi includitur ratio poſterioritatis orginis, & tamen Socrates, vt pater eſt ſimul natura cum Platone filio, ſicut correlatiuum cum correlatiuo, in vno igitur inſtanti naturæ proprijſſimè, vel propriè ſumpto conſiſtit ordo naturæ impropriè dictus, nimirum naturalis cauſalitatis, aut originationis; qui quidem ordo non præcisè dicit eſſe a ſe, & non ab alio, ſed præcisè à quo alterum eſt, vt recte dicitur in additione apud Scotum in 2. diſ. prima q. 1. §. intellige, hoc idem habet Scotus in 1. diſ. 28. q. 3. §. ad quæſt. iſtam; vbi adducit Auicennam, & ipſemet Scot. 9. met. q. 5. qui volunt, quod cauſa, vt cauſa ſit prior natura cauſato in quantum cauſatum, & tamen cauſa in quantum cauſa eſt etiam ſimul natura cum cauſato, & ſimultate requiſita ad correlatiua, ſecundum quam vnum nō poteſt eſſe ſine alio, vel præſupponi ad aliud, quod eſt dicere cauſam eſſe ſimul natura cum cauſato ſimultate in quo; quatenus nō poteſt eſſe aliquod inſtans, in quo ſit cauſa, & non ſit cauſatum propter contradictionem in primo ordine dictam; & etiam eſt prior cauſato naturaliter, ideſt naturali cauſalitate, & originatione nimirum prioritate à quo, & hāc doctrinam applicat Scotus in diuinis loc. cit. ſecluſa tamen cauſalitate, quæ non inuenitur in diuinis; nam Pater licet ſit principium Filij, nō tamen eſt cauſa eius, vt in diſp. de Patre q. 5. diximus, quod ſicut cauſa, vt cauſa non poteſt eſſe ſine cauſato, & ſic ſunt ſimul natura in inſtanti in quo; cauſa tamen vt cauſa eſt prior natura cauſato prioritate à quo; ita Pater diuinus non poteſt eſſe ſine Filio, qua parte ſunt ſimul natura; tamen cum prima perſona ſit conſtituta in eſſe perſonali per relationem ad ſecundam eſt prior origine illa; quatenus prima perſona eſt à qua originatur ſecunda, & concludit; & ita prioritas originis non repugnat ſimultati relatiuorum; ſic etiā

in

in creaturis eſt prioritas cauſalitatis cum ſimultate naturæ requiſita ad relatiua, ſic idem Scotus in 1.diſ.2.qu.7.§. obijcitur, ponit hanc maximam principium nõ eſt principium in quantum principiatum iam intelligitur poſitum in eſſe,ſed in quantum eſt prius principiato hoc autem non intelligitur niſi de prioritate à quo, ideſt originis, vel cauſalitatis. Hic autem tertius ordo naturæ ex eo dicitur improprius; quia priori ſecundum hanc prioritatem omninò repugnat eſſe ſine poſteriori, cum ex eo dicatur relatiuũ ad poſterius,quia eſt cauſalitate,aut origine prius,&alioquin implicat vnum relatiuum eſse, & etiam intelligi ſine correlatiuo,& talis ordo non ſemper dicit imperfectionem in poſteriori niſi in cauſis æquiuocis, non autem in vniuocis; ſiquidem ſecundum Philoſophum in indiuiduis eiuſdem ſpeciei non eſt prius, & poſterius ſupple in perfectione & Scot.in quodlib. 4.§.de prima inquit,ordo autem originis non reſpicit, niſi quod hoc ſit ab hoc; hoc autem eſse ab hoc neceſsariò non includit imperfectionem eius, quod eſt ab hoc; quia non includit neceſſariò, quod procedens ſit imperfectius natura illo,à quo procedit; proceſsio enim non includit per ſe quod ſit æquiuoca,nec per conſequens, quod forma imperfectior ſit in producto,quàm in producente.

Quartus ordo naturæ, eſt magis improprius, quatenus non eſt inter cauſam, & cauſatum, nec inter originans,& originatum; propter quam cauſationem, & originationem vnum producitur ab alio in eſse ſimpliciter; ſed ex eo quod vnum cauſans, & agẽs cum alio prius naturaliter agit, quàm illud: de quo ordine Scot. in 1.diſ. 13.q.1.§.de 3.art.verſ. ſed hoc; loquitur dicens cauſa ſecunda dicitur mouens motum,non quia recipiat motionem à prima, per quam moueat; ſed quia in motione ſua dependet ab alia prius naturaliter actu mouente, vel eſt, vt ait Scot.in 4.diſ. 1.q. 1.§. ad vltim. vnam cauſam agere in virtute alterius cauſæ,quod eſt habere ordinem inferiorem ad illam cauſam tamquam ad primam,vel eſt vt ait idem Scot.in eod.4.diſ.12.quæſt.3.§.hic eſt opinio. Habere ſubordinationem ad primam cauſam in cauſando,& hic ordo inuenitur etiam in diuinis,quatenus Filius operatur,& producit tàm ad intra,quàm ad extra à Patre,& Spiritus Sanctus à Patre,& Filio.

Quintus ordo naturæ dicitur improprijſſimus ex eo, quod non eſt dependentia vnius ab alio in eſse ſimpliciter ſecundum quam.

vnum

vnum producitur ab alio;nec eſt dependentia in agendo ab alio, vel in virtute alterius ſecundum quam prima cauſa prius naturaliter agit,quam ſecunda; vel etiam prius origine: ſed eſt ordo quidam, ſecundum quam vnum pullulat ab alio per quamdam emanationem naturalem ſine vlla cauſatione,& productione; & ſic quod pullulat ab alio eſt poſterius naturaliter illo; ſicut propriæ paſſiones pullulantes a ſubiecto, ſiuè a principijs ſubiecti sũt poſteriores naturaliter illo, vel vnum poſterius natura pullulat ab alio, quam aliud, vt in paſſionibus ordinatis, quarum vna eſt prior altera naturaliter; quia ſecundum naturalem ordinem vna prius pullulat,quam altera: ſicut in ente prior eſt vnitas veritate, & veritas bonitate, & ſimiliter de alijs paſſionibus ordinatis; etiam in diuinis eſſentia diuina eſt primum a quo cætera diuina emanant, atque pullulant,& vnum prius alio pullulat. Ex quibus primi ſunt modi intrinſeci tamquam intimiores eſsentiæ, quam cætera, deinde potentiæ intellectus, & voluntas,indè attributa, quaſi quædam qualitates, & paſſiones, denique notionalia, ita Scot.in 1. diſ. 5. q. 2. §. tertia difficultas,vbi habet,quod eſſentia diuina dat eſſe omnibus,quæ ſunt in diuinis, non quidem effectiuè producendo illa; ſed formaliter nempè, vt forma dans eſse, ſic dicens: iſti ergo eſsentiæ abſtractiſsimæ conſideratę,vt priori omnibus perſonalibus conuenit eſse per ſe, & in iſto priori occurrit nõ vt aliquod receptiuum alicuius perfectionis; ſed vt infinita perfectio potens in ſecundo ſigno naturæ communicari alicui,non vt forma informans materiam, ſed vt quidditas communicatur ſuppoſito tamquam formaliter exiſtenti per eam, & ita pullulant relationes ex ea,& perſona in ea,& ex ea,non quaſi formæ dantes eſſe ſibi,vel quaſi quædam ſuppoſita, in quibus recipiat eſſe,cum ſit ſimpliciter ens; ſed quibus ſuppoſitis dat eſse, & quo formaliter illa ſuppoſita ſunt,& quo ſunt Deus.

Secundò notandum eſt, quod ordo originis in diuinis triplex eſt,proprius,ſeu ſimpliciter,& improprius,ſeu ſecundum quid, de quibus Scotus in 2.diſ. 1. qu. 9. §. quantum ad ſecundum articuli, & magis improprius. Primus ordo originis eſt vbi cadit non quidem cauſatio,& dependentia,ſiuè alteritas naturæ,quæ dicũt imperfectionem, ſed originatio vera, & propria productio ſecũdum quam is qui originatur ab alio,ſeù producitur in eſſe ſimpliciter poſterior dicitur origine illo, à quo producitur. Secundus

ordo

ordo originis eſt quando poſterius non producitur, vel originatur à priori in eſſe ſimpliciter, ſed in aliquo alio eſſe; & eſt quaſi originatio ſecundum quid, ſiuè conſequens perſonas conſtitutas, & iam productas; ſecundum quem ordinem is qui eſt poſterior origine operatur, & agit ab eo, quo dicitur poſterior. Tertius ordo originis magis improprius eſt ſecundum quem id quod eſt poſterius nec producitur in eſſe ſimpliciter ab alio, nec agit ab alio; ſed eſt emanatio quædam, ſeù pullulatio, quę origo, & originatio dici etiam poteſt, ſicut aqua riuuli dicitur originari à fonte; non quia ab ipſo producitur, aut cauſatur in eſſe aquæ, ſed ex eo quod ab ipſo emanat, & pullulat, atque originem ducit, & ſic fons dicitur origo riuuli. Secundum primum ordinem originis vna perſona diuina producitur ab alia, & iuxta ſecundum ordinem vna perſona agit, aut operatur ab alia, & iuxta tertium ordinem omnia quæ ſunt in diuinis pullulant, & originem ducunt ab eſſentia, & eſſentialia priuſquam notionalia, & vnum eſsentiale priuſquam aliud. Vndè patet quod primus ordo originis aſſimilatur tertiò ordini naturæ ſupradicto, & ſecundus quarto ordini, & tertius quinto ordini naturæ.

Tertiò notandum eſt, quod ordo originis, & ordo naturæ aliquando confunduntur, & pro eodem accipiuntur, vt patet non ſolum ex ſupradictis, ſed ex D. Aug. & ex noſtro Scoto. Nam Aug. lib 3. contra Maximin. c. 14. inquit, non genitorem ab eo quem genuit, ſed genitum à genitore mitti oportebat: verum hoc non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ, non quod alter eſset prior altero, ſed quod alter eſset ab altero. Subinfero, ſed vnum eſse ab altero dicit ordinem originis proprium, & ſimpliciter, quatenus ab illo originatur, producitur, & ponitur in eſse ſimpliciter, & hunc vocat Auguſtinus ordinem naturæ; igitur idem ſunt ordo originis, & ordo naturæ, & ſic aliquando pro eodem ſumuntur, & quamuis hoc loco neget Auguſtinus prioritatem in diuinis, non aliam negat, niſi durationis, quæ dicitur temporis, aut æui, aut etiam æternitatis, quæ non inuenitur in diuinis. Hic igitur ordo naturæ qua parte non dicit imperfectionem, neque dependentiam, nec alietatem naturę; ſed præſuppoſitionem naturalem cum vera originatione ſine cauſalitate eſt proprius ordo originis in diuinis; hoc etiam modo ſumpſit Scotus aliquando confundēdo iſtos ordines. Nam in 1. diſ. 13. q. vn. §. ad arg. principal. verſ. reſpon-

reſpondeo, inquit, eſſentialia cum ordine naturali pullulare ab eſſentia. Hæc autem pullulatio non eſt niſi quædam originatio impropria, ſecundum quam ab eſſentia illa originem ducunt. Sic etiam in 1. diſ. 6. q. 1. §. de quarto dico ait, Pater in primo ſigno originis intelligit formaliter, & in ſecundo ſigno originis gignit Filium. Hic autem nō ſumit Scotus ordinem originis proprium, & ſimpliciter, vt patet; ſed improprium: quatenus intelligere pręſupponitur ad gignere, & illud prius pullulat ſecundum naturalē ordinem ab eſſentia, quam iſtud, & ſic eſt ſimul ordo naturæ, & originis, & in eod. 1. diſ. 12. q. 2. §. contra verſ. reſpondeo inquit, vndè non eſt intelligendum, quod Pater ſpiret antequam Filius ſpiret, ſicut prius origine Pater generat, quam ſpiret; in quibus verbis videtur Scotus ponere ordinem originis inter originationes, quorum tamen vna non originatur, aut producitur ab alia, vt inter generationem, & ſpirationem in Patre, & ita conſtat Scotum hoc loco nō loqui de ordine originis proprio, & ſimpliciter, ſed de improprio & ſecundum quid; ſecundum quem prius competit Patri generare, quam ſpirare, ſiuè prius in Patre ab eſſentia pullulat generare, quam ſpirare, ſicut prius pullulat intellectus, quam volūtas, & etiam quia in Patre naturaliter generatio pręſupponitur ſpirationi, ſicut intellectus voluntati; & ſic idem eſt ordo originis, atque vi naturæ. Ad hoc propoſitum ſimiliter in Patre eſt eſſe genitum, & eſſe genitorem, illud eſt notio in Patre prior iſta; quatenus prius naturaliter in quocumque eſt eſſe à ſe, quam eſſe à quo alius. Hæc autem prioritas eſt ſecundum naturalem pręſuppoſitionem, non quod in aliquo inſtanti Pater ſit ingenitus, & non genitor.

Quartò notandum eſt, quod propriè loquendo iſti ordines non ſolum non confunduntur, nec ſunt idem; ſed ſunt tam diuerſæ rationis, quod cum ordine prioritatis, & poſterioritatis vnius ſtat ſimultas alterius: itaque in vno inſtanti temporis, vel æui, aut æternitatis, poſſunt contineri plura inſtantia naturæ propriæ dicta, & in vno inſtanti naturæ propriè dicto plura inſtantia, ſeù potius ſigna originis propriè dicta, & ſimiliter in vno inſtanti originis propriè dicto plura inſtantia originis impropriè dicta. Ita Scotus in 2. diſ. 1. q. 1. §. quantum ad 2. inquit, duo ordines poſſunt intelligi in diuinis, ſcilicet ordo naturæ, & ordo originis, qui ſunt diuerſę rationis, & in quocumque gradu vnius ordinis poteſt

totus

totus alius ordo aſſignari, vt in creatura vbi eſt ordo naturæ, originis, & ordo durationis, qui ſunt alterius, & alterius rationis, & totus vnus ordo poteſt aſſignari in vno gradu alterius ordinis. Accipiatur enim vnum inſtans durationis in illo inſtanti poſſunt aſſignari omnia ordinata ſecundum originem, & naturam. Accipiatur etiam vnum inſtans naturæ, in eo poſſunt aſſignari omnia ordinata ſecundum originem quapropter ſtatim ſubdidit primũ inſtans naturæ ad intra, in quo eſt ordo originis ſimpliciter, ſecũdum quem vna perſona eſt, & producitur ab alia, quem vocauit primum ordinem originis, & deinde poſuit ſecundum inſtans naturæ, in quo aſſignauit ſecũdum ordinem originis ſecundum quid; ſecundum quem vna perſona operatur, & agit ab alia, & in quolib. q. 4. §. de prima dicens, quando ſunt aliqui ordines alterius rationis, quorum vnus non includit alium, nec pręexigit, nec coexigit neceſſariò illum poteſt iſte ordo eſſe ſine illo, imò cum ſimultate oppoſita illi ordini, & dat exemplum de ordine durationis, & ordine naturæ, quod ille, qui eſt naturæ non includit illum, qui eſt durationis, nec neceſſariò præexigit, ſiuè coexigit; ideò poteſt eſſe ſine illo; deinde loquitur ad propoſitum præſentis quæſtionis dicens, nunc autem ordo naturę ſiuè eſſentialis, & ordo originis ſic ſe habent, quod ordo originis non ſemper includit ordinẽ eſſentialem naturæ; nec ipſum neceſſariò præexigit, nec coexigit ergo poteſt ſtare ſimultas oppoſita ordini eſſentiali & naturæ cum ordine originis; ſed ſimultas oppoſita ordini naturæ ſufficit ad ſimultatem correlatiuorum, quæ eſt ſimultas eſſentialis, & naturæ, & tamen eſſe ordo originis inter ea, & probat; quia ordo naturæ ſiuè eſſentialis, & propriè dictus neceſſariò includit imperfectionem in altero extremorum, ſcilicet in poſteriori; ordo autem originis non neceſſariò requirit imperfectionem in poſteriori, vt probauimus in tertio ordine naturæ in fine ex eodem Scoto, & eodem loco. Ex quibus ſequitur, quod ordo naturæ, & originis quandoq; confunduntur, & ſunt idem, quandoque verò ſe excludunt, & ſunt diuerſi.

Quintò notandum eſt ex Scot. in 2. diſ. 1. q. 2. §. quantum ad 2. art. quod conferendo illa, quæ ſunt in diuinis ad intra ad ea, quæ ſunt ad extra duo ſunt inſtantia naturæ propriiſſima. Primum eſt inſtans naturæ ad intra, in quo fiunt productiones diuinæ; ſecundum eſt inſtans naturæ ad extra, in quo fiunt productiones crea-

tura-

turarum in eſſe cognito,& hic eſt ordo naturæ eſſentialis,quæ intercedit inter Deum,& creatura cum vera dependentia eſſentiali & alietate naturæ,& imperfectione in poſteriori, ideſt in creatura,ſecundum quem ordinem Deus poteſt eſſe ſine creatura, creatura vero nō poteſt eſſe ſine Deo,ne quidem in eſſe cognito; quia etiam in tali eſſe dependet eſſentialiter à Deo, & ſecundum hunc ordinem eſt Deus in aliquo inſtanti, in quo nō eſt creatura etiam in eſse cognito, vt probat Scotus loc.cit. quia prima cauſalitas reſpectu cauſabilium in eſse cognito neceſsariò eſt in tribus perſonis,& alioquin in illo primo inſtanti naturæ, in quo fiunt productiones ad intra nullum eſse proprium habent, neque cognitū formale, & actuale diſtinctum ab eſsentia diuina, ſed ſolum eſse eminentiale,& virtuale,quod non eſt eſse ipſarum creaturarum, ſed eſsentiæ diuinæ; vel quamuis Deus nec ſit, nec poſſit eſse in aliquo inſtanti naturę poſitiuo ſine creaturis in eſse cognito;quia in omni inſtanti neceſsariò producit illas in tali eſse, & omnes hæ productiones tam ad intra, quam ad extra ſint ſimul in omni inſtanti poſitiuo æternitatis; cum tamen creaturæ non producātur a Deo neceſsariò ſimpliciter, ſed ſecundum quid in tali eſse, ſic Deus poteſt ſimpliciter, & eſsentialiter eſse ſine illis etiam in eſse cognito, & ſic eſt prior naturaliter illis, vel melius dicamus cum eodem Scoto in 2.diſ.1.q.1.§.ad ſolutionem,vbi ait, principium duarum productionum neceſsariæ,& contingentis, neceſſariò eſt prius principium neceſsariæ, quā contingentis; non .n. poteſt effectus neceſsarius pręſupponere contingentem,ſed è cōtra; ſed aliquid in diuinis eſt principium productionis intrinſecę, quæ eſt neceſsaria,& aliquid eſt principium productionis extrinſecæ, quæ eſt contingens, igitur prius neceſsariò eſt in Deo aliquod principium productionis neceſsariæ, & ad intra, quam in eo ſit aliquod principium productionis contingentis,& ad extra, & ſic illa eſt prior naturaliter iſta. Vel iterum dicamus, quod licet intellectus diuinus neceſsariò producat creaturas in eſse cognito, eiuſque cognitio neceſsariò terminetur ad illas hoc eſt ex ſui perfectione,hoc idem tamen quod dicitur, intellectum diuinum neceſsariò producere creaturas in eſse cognito ſonat, quā non præexigit, nec coexigit illas, ſicut quælibet alia potentia, eiuſque actio ſuum obiectum, & ſic eſt prior naturaliter illis etiā in eſse cognito,vti à ſe producto.

In pri-

In primo inſtanti naturæ eſt primus ordo originis proprius,& ſimpliciter ſecundum quem prima perſona eſt a ſe, & a qua eſt ſecunda,in quo quidem eſſe a qua eſt ſecunda, præcisè conſiſtit hoc primum inſtans originis,& non in eſſe a ſe, quod potius dicit negationem quam poſitionem,ita Scot.in 1.diſ.28.qu.3. §. ad quæſtionem,vbi ait, prima perſona conſtituta in tali eſſe eſt a qua originata eſt ſecunda,&ſecundum inſtans originis eſt ſecūdum quē ſecunda perſona eſt,& producitur a prima,& tertium inſtans,ſiue ſignum originis eſt ſecundum quem perſona producitur a duobus. Et in vnoquoq; etiam horum ſignorum originis propriè,& ſimpliciter dictorum conſtitui poſſunt ordo originis , & naturæ impropriè , & ſecundum quid , ſiquidem Patri in ſuo primo ſigno prius competit eſſentia , quam paternitas , & prius actus eſſentiales , quam notionales , & prius in ipſo ab eſſentia pullulant illi,quàm iſti , ſic etiam in Filio , & Spiritu Sancto in ſuo quiſque ſigno.

In ſecundo etiam inſtanti naturæ,in quo fiunt productiones ad extra eſt ordo originis,qui ſecundus ordo dicitur à Scoto in reſpectu ad primum illum ordinem originis primi inſtantis naturæ ad intra,& iſte ſecundus ordo dicitur ordo originis improprius,&ſecundum quid,ſecundum quem perſonæ diuinę,vt ait Scot.loc.cit. non ponuntur in eſſe naturæ diuinæ ſimpliciter , ſed eſt quaſi originatio ſecundum quid,ſiue conſequens perſonas iam conſtitutas, & productas,quia iuxta hunc ordinem nō producitur, aut ponitur poſterius in ſuo eſſe ſimpliciter à priori , ſed in aliquo alio eſſe .ſ. in operari , & agere,& ſecundum hunc ordinem Pater in hoc ſecundo inſtanti naturæ prius origine intelligit lapidem, quam Filius,quia Pater intelligit à ſe , & Filius non à ſe , ſed hoc habet à Patre,& Spiritus Sanctus a Patre,& Filio.

Sextò notandum eſt,quod in hoc differunt relatiua creata à relatiuis increatis , quod in illis cauſa non ſolum eſt prior naturaliter cauſato prioritate a quo , quæ eſt prioritas tantum cauſalitatis,ſecundum quam cauſa, vt cauſa nō poteſt eſſe ſine cauſato,ſed etiam prioritate in quo , quæ dicitur prioritas naturæ proprijſſima , & eſſentialis ſecundum quam prius quantum eſt de ſe poteſt eſſe ſine poſteriori ,& non è contra ; nam licet cauſa , & effectus formaliter ſumpta nempè ſub ratione relatiui ſint ſimul natura , ita quod vnum vt ſic non eſt in aliquo inſtanti naturæ , in quo

aliud non ſit; fundamentaliter tamen ſumpta, ideſt ſecundum eſſe abſolutum cauſa eſt prior effectu tum tempore, ideſt antequam cauſet, tum natura, ideſt quando cauſat, vt habet Scot. in ſecundo diſ. prima quæſt. ſecunda §. ad primum dicens, abſolutum in cauſa præcedit naturaliter cauſatum, & in illo inſtanti, in quo cauſa cauſat, adhuc cauſat vt prius ipſa cauſatione, & conſequenter ipſo cauſato, intellige de abſoluto eſſe cauſæ, quod quidem vt ſic poteſt eſſe ſine cauſato; illud enim idem abſolutum, ſubdit Scotus, quod in cauſa præceſſit tam natura, quàm duratione ipſum effectum productum, vel cauſatum eſt in ea in illo inſtanti prius naturaliter, quam cauſet, & ſecundum illud abſolutum, ſecundum quod fuit prius cauſatiuum eſt nunc cauſans, & non ſecundum aliquod additum, neque abſolutum, neque relatiuum, & paulò ſuperius dixerat de cauſis creatis, quod prius eſt abſolutum in cauſa, etiam quando cauſat, deinde abſolutum in effectu, poſtea relatio effectus ad cauſam, denique relatio cauſæ ad effectum; in diuinis autem cum prima perſona ſit eſſentialiter relatiua, & in ſuo eſſe perſonali ſit conſtituta eſſentialiter per relationem ad ſecundam perſonam productam non poteſt nec etiam fundamentaliter ſumpta eſſe prior, ideſt in aliquo inſtanti priori, in quo non ſit ſecunda perſona producta; ita quod ſimpliciter nec ſit, nec poſſit eſſe ſine ſecunda etiam ſecundum eſſe abſolutum; quia in prima perſona diuina non poteſt fieri diſtinctio relatiui fundamentaliter, & formaliter, ideſt in eſſe abſoluto, & relatiuo; quia illa perſona ſecundum eſſe abſolutum neque producit, neque producere poteſt, cum conditio generandi, ideſt ſuppoſiti generantis ſit ipſamet relatio, ſcilicet generatio, & paternitas, qua Pater diuinus conſtituitur non ſolum in eſſe Patris, ſed in eſſe perſonæ, & ſic in diuinis non poteſt dici, quod Pater ſecundum eſſe abſolutum producat Filium, neque quod prius in Patre ſit abſolutum, poſtea in Filio ſit abſolutum, & deinde reſultet relatio inter illos, ſicuti ſit in creaturis ad modum ſupradictum, in quibus conditio cauſantis, aut generantis non eſt relatio aliqua, ſed eſt aliquod abſolutum nempe exiſtentia, ſiue ſubſiſtentia, aut ſingularitas, ſiue ſuppoſitalitas, quæ ſunt abſoluta; quapropter ſecundum eſſe abſolutum cauſa creata cauſat: quod quidem abſolutum in cauſa non ſolum eſt prius abſoluto in effectu prioritate à quo, ſecundum

quam iſte dicitur produci ab illa, ſed etiam prioritate in quo, ſecundum quam poteſt eſſe ſine effectu; ſed in diuinis perſona Patris eſt eſſentialiter relatiua, & eſſentialiter conſtituta per relationem generationis actualis, & paternitatis, & ſic formaliter, ideſt ſecundum eſſe relatiuum producit ſecundam perſonam, & vt ſic non poteſt eſſe ſine ſecunda perſona ſibi correlatiua, vt contingit etiam in relatiuis creatis hoc modo ſumptis; eſt igitur in diuinis ſola prioritas à quo, ſcilicet originis inter perſonam producentem, & productam, non autem prioritas in quo, vti eſt in cauſis, & effectibus creatis nimirū ſecundū eſſe abſolutum cauſæ.

Denique notandum eſt, quod ordo naturæ non eſt menſura aliqua, ſecundum quam prius realiter ſit in aliquo inſtanti, in quo non ſit poſterius, etenim menſura exiſtentię rerum ſolum eſt tempus, vel æuum, vel æternitas ſecundum exigentiam rerum menſuratarum, ſed ſolum eſt ordo quidam ſecundum quem, vel vnum poteſt eſſe ſine alio, licet non ſit ſine illo, & poſterius nec ſit, nec poſſit eſſe ſine priori, vel quamuis prius non poſſit eſſe ſine poſteriori, præſupponitur tamen naturaliter ad illud.

His ita notatis, ac rectè intellectis facilè erit mentem Scoti intelligere, & loca quæ contradictoria videntur concordare, & denique ad quæſtionem, & dubia propoſita reſpondere.

Prima contradictio, quæ poteſt opponi, erit, quod in 2. diſ. 1. quæſt. 1. §. quantum ad 2. art. ſtatuit Scotus in diuinis in reſpectu ad intra vnum ſolum inſtans naturæ dicens, in primo igitur inſtanti naturæ, ſtādo in illo primo habetur totus ordo originis primus, & paulò inferius ponit ſecundum inſtans naturæ in reſpectu non ad intra, ſed ad extra, in quo eſt ſecūdus ordo originis; ex quo ſequitur Scotum hoc loco vnum tantum inſtans naturæ ponere ad intra; & è contra in 1. diſ. 5. qu. 2. §. tertia difficultas ponit duo inſtantia naturæ ad intra dicens, ita in diuinis incipiēdo à primo ſigno naturæ omninò primo occurrit eſſentia diuina, vt eſt eſſe per ſe, & de ſe, & paulò inferius dicit, quod eſſentia diuina eſt infinita perfectio potens in ſecundo ſigno naturæ communicari alicui; vbi clarè ponit duo inſtantia naturæ ad intra, eſſe autem vnū inſtans, & ſimul duo inſtantia naturæ reſpectu eiuſdem, ideſt in reſpectu ad intra contradicit ergo.

Pro tollenda hac contradictione Pater Martinus Meuriſſe recentior Scotiſta in tract. de Trin. cap. 10. quæſt. prima, conſide-

rat inſtantia naturæ duobus modis, vel ſimpliciter, vel comparatè; ſimpliciter conſiderata ſunt, inquit, reſpectu eorum, quæ sũt ad intra, nulla facta mentione eorum, quæ ſunt ad extra, & hoc modo inquit, aſſignari poſſunt duo inſtantia naturæ, vnum in quo ſpectabitur eſſentia tamquam obiectum primarium, & aliud in quo conſiderantur perſonæ, & relationes tamquam obiectum ſecundarium, comparatè autem, ſcilicet conferendo ea quæ ſunt ad intra cum rebus ad extra hoc modo ijs, quæ ſunt ad intra aſſignabitur vnũ inſtans naturæ comprehendens duo inſtantia ſimpliciter, & aliud ijs, quæ ſunt ad extra.

Hæc tamen reſponſio non quadrat dictis Scotiſtis, primò in eo quod inquit in diuinis ad intra conſtitui poſſe duo inſtantia naturæ ſimpliciter. nam Scotus in dicto loco cit. 2. ſent. quando loquitur de ordine naturæ ſimpliciter, ſumit illum ordinem propriè quatenus id quod eſt prius natura ſimpliciter eſt, vel poteſt eſſe in aliquo inſtanti, in quo non eſt poſterius; & ideò ibi poſuit duo inſtantia naturæ ſimpliciter, in quorum primo fiunt productiones ad intra, & non productiones ad extra; quia hæ fiunt in ſecundo inſtanti naturæ, vt inquit ibi Scotus: hoc autem dici non poteſt de illis, quæ ſunt ad intra, ſcilicet quod vnum ſit, vel poſſit eſſe in aliquo inſtanti, in quo non ſit aliud. Secundò non quadrat in eo, quod conſiderat eſſentiam diuinam vt obiectum primarium, & perſonas vt obiectum ſecundarium, de quo quidem obiecto primario, & ſecundario, nec verbum quidem dicit ibi Scotus, ſed ſolum in vtroque loco agit de productione diuinarum perſonarum dando modum, quomodo producatur, & conſiderando in aliquo priori eſſentiam diuinam, & in aliquo poſteriori ſigno omnia quæ ſunt in diuinis, quatenus ab illa pullulant, de qua pullulatione ibi clarè loquitur.

Ad contradictionem igitur reſpondetur, in priori loco fuiſſe Scotum loquutum de inſtanti naturæ propriè dicto, & ſimpliciter, quod eſt omnino vnum ad intra prius ſecundo inſtanti naturæ ad extra propriè, & ſimpliciter ſumpto; quia in illo priori inſtanti Deus eſt, & tota Trinitas, & omnes productiones diuinæ, in quo non ſunt creaturæ, nec à Deo producuntur etiam in eſſe cognito, & intelligibili; quia in ſecundo inſtanti fiunt iſtæ productiones ad extra, in quo quidem primo inſtanti naturæ ſimpliciter eſt ordo naturæ ſecundum quid, & ſic in illo primo inſtãti

ſunt

ſunt duo ſigna naturæ, in quorum primo eſt eſſentia abſtractiſſimè conſiderata, & in ſecundo communicatur ſuppoſitis, & ita ſubdit Scotus, pullulant relationes ex ea, & perſonæ in ea, & ex ea; eſt igitur ordo naturæ in diuinis ad intra non quidem conſtituens duo inſtantia, in quorum primo non ſit ſecundum; ſed duo nimirum ſigna naturæ, quod minus eſt dicere, quam inſtantia naturæ, nimirum ſignum à quo, quatenus in illo primo ſigno eſſentia eſt à qua pullulant relationes, & in ſecundo ſigno ſunt relationes quæ ab eſſentia pullulant; & ita non eſt ordo naturæ in quo, ſed dumtaxat à quo; quapropter Scotus non vocauit illa duo inſtantia, ſed duo ſigna naturæ.

Secunda contradictio videtur eſſe duorum locorum, quorum primus eſt in 1.diſ.12.q.2.§.reſpondeo, vbi ait, non eſt intelligendum, quod Pater ſpirat, antequam Filius ſpiret. Secundus locus in 2.diſ.1.q.1.§.quantum ad 2.ar. vbi ait, prius origine Pater intelligit lapidem, quam Filius, non ſpirare autem Patrem prius quam Filium, & intelligere lapidem prius origine, quam Filius, contradicit.

Reſpondetur ſe ſemet ipſum declarare Scotum in ijſdem ipſis locis; quoniam in priori loco negat ordinem originis inter ſpirationem Patris, & Filij, ordinem in quam, in quo dicendo Patrem non ſpirare, antequam Filius ſpiret, ſed ſimul ſpirant; quia talis ordo minimè inuenitur in diuinis, & in hoc eodem loco negando ordinem originis in quo, ponit ordinem originis à quo ſe declarans, & dicens, eſt tamen ibi ordo ſpirantium in ſpirando; quia Pater in illo tertio ſigno originis ſpirat à ſe, Filius autem non à ſe, & hoc idem prorſus replicat in poſteriori loco citato, dicens. prius origine Pater intelligit lapidem, quam Filius; quia Pater intelligit à ſe, Filius autem non à ſe, non eſt igitur contradictio ponere ſimultatem, ſiue vnum ſignum originis in quo cum prioritate, & poſterioritate, à quo; vnde in vno ſigno originis proprio, & ſimpliciter, in quo Spiritus Sanctus eſt, & ſpiratur, quod dicitur tertium ſignum ſimpliciter, sũt duo ſigna originis ſecundum quid; qñus in illo eodem tertio ſigno Pater ſpirat à ſe, Filius à Patre, & eodem modo omnes tres perſonæ ſimul ſimultate in quo intelligunt lapidem cum hac tamen ſimultate in quo, eſt prioritas, & poſterioritas à quo; quia Pater à ſe, Filius à Patre, & Spiritus ſãctus ab vtroque intelligit lapidem: ſimiliter in quol.q.8.§.de 2.ar.

inquit,quod prius origine cauſare eſt cauſare a ſe, poſterius origine cauſare eſt cauſare ab alio; ſicut autem ab alio habet virtutem cauſandi,vel a ſe,ſic & cauſare,nec eſt verum,ſubdit, quod ſic prius cauſatum ab alio non poſſit poſterius cauſari ab alio; quia huiuſmodi intellectus eſt iſte,quod aliquod non poſſit cauſari ab vno a ſe,& ab alio non à ſe,qui intellectus falſus eſt,vbi eadem virtus actiua eſt in producente,& producto;ex quo rectè intelligitur,quod aliquod poteſt ſimul cauſari a duobus,ideſt in eodem inſtanti in quo,& non ſimul cauſari a duobus, ſed prius ab vno,quã ab alio; quia vnum cauſat a ſe,& aliud ab alio: nam hic eſt ordo à quo,non in quo. In vno igitur inſtanti in quo poteſt eſſe ordo, ideſt duo ſigna a quo, & ſic intelligitur Scotus,vbicumque aſſerit aliquid cauſari ſimul,& non ſimul à duobus, & tollitur omnis cõtradictio.

Tertia contradictio eſt, quod Scot.in 1.diſ. 12.q.1.§. contra iſtam opinionem circa medium inquit, quod Pater à ſe habet in primo ſigno originis omnem realitatem tam abſolutam, quàm relatiuam, vndè colligitur, quod generatio, quæ eſt eius prima proprietas relatiua conſtituens Patrem ſit in primo ſigno; deindè è contra ait in eod. 1.diſ.6.q.1.quod Pater in primo ſigno originis intelligit eſſentiam, & in ſecundo ſigno originis gignit Filium,& q.2.§.reſpondeo,inquit,ſed iſte eſt ordo quod in Patre eſt primo vtraque fęcunditas à ſe. Secundò eſt in Patre actus primę fęcunditatis; ſed actus primæ fęcunditatis eſt generare; igitur generare eſt in ſecundo ſigno, quod contradicit primo loco, vbi dicebat Scotus realitatem relatiuam,ideſt generationem, vel generare habere Patrem in primo ſigno.

Reſpondet prædictus auctor hoc eſſe verum in actu primo, nõ autem in actu ſecundo,quaſi Pater haberet generare prius in actu primo,quam ſecũdo: & quamuis in ſuperioribus dixerimus prius concipi poſſe Patrem potentem generare,quam generantem,ſeù prius in actu primo, quam ſecundo generandi hoc intelligit Scotus ſecundum noſtrum modum concipiendi;hic autem modo agitur ſecundum quod eſt in re, vt ait idem Scotus in primo diſt. 28. q.3.§. ad quæſtionem,& in quolib.q.4.§. contra iſtud,& §.ad primũ principale ait,poſſe agere in diuinis nullo modo præſupponitur ipſi agere; ita quod verè,& realiter nõ differat actus primus à ſecundo in Patre æterno. Quo tamen non obſtante in primo ſi-

gno

gno originis intelligit eſſentiam, & in ſecundo gignit Filium ſecundum prioritatem realem, & à parte rei quæ verè eſt inter eſſentialia,& notionalia ſecluſo omni opere intellectus.

Reſpondetur igitur pro conciliandis prædictis locis, quod notanter Scotus diuinus dixit in priori loc. diſ. 12.quod Pater habet realitatem abſolutam, & relatiuam prius origine, quam Filius generetur,ponens verbum in paſſiuo,ideſt generetur, & in poſterioribus locis,vbi tractat de ſola realitate abſoluta,per quam dicitur Pater videre,& amare,ſeù velle eſſentiam, & eſſe perfectè beatum inquit,Pater in primo ſigno originis intelligit eſſentiam, quæ eſt realitas abſoluta, & in ſecundo ſigno originis gignit Filium, quæ eſt realitas relatiua: vel eſt perfectè beatus antequam generet, aut producat Filium, ſic loquendo actiuè,ratio eſt, quia eſſentialia,& actus eſſentiales conueniunt Patri ante actus notionales, ideſt non ſolum antequam Filius ſit productus; ſed etiam antequam producat, & generet Filium; cuius rationem reddit Scotus diſ.6.cit.& alibi,quia nulla perfectio poteſt illi conuenire ex productione cuiuſcumque perſonæ; nimirum, quia ſi per impoſſibile non produceret perſonas adhuc haberet omnem perfectionem nempè abſolutam. Quando verò loquitur de realitate relatiua,qualis eſt generatio, & generare in prior.loc.diſ.12.q.1. inquit,quam realitatem ſcilicet tàm abſolutam,quàm relatiuam non intelligatur Pater habere prius origine,quam Filius generetur,& concludit: nullum ergo habet Filio genito, & ita bis replicat verbum paſſiuum, nimirum quia Pater non poteſt habere generationem actiuam, quæ eſt eius proprietas relatiua ante ipſum generare,vt patet; ſed illam habet ante generari, ſeù ante generationem paſſiuam Filij, ideſt prius origine eſt generatio actiua conſtituens Patrem,& poſterius origine eſt generatio paſſiua cõſtituens Filium. Et hic eſt ordo originis proprius, & ſimpliciter, quo dicitur Pater eſſe à ſe, ideſt in primo ſigno quo conſtituitur generatione actiua, & Filius eſſe à Patre, ideſt in ſecundo ſigno, quo conſtituitur generatione paſſiua. Inter beatitudinem autem, & quamcumque aliam perfectionem abſolutam Patris, & eius generationam actiuam non eſt ordo originis proprius, nec ſimpliciter,ſed ſecundum quid,& improprius, ſecundum quem prius competit Patri beatitudo,& omnis alia perfectio abſoluta,quem generatio actiua; ſicut prius in ipſo pullulant ab eſſentia diuina

Digitized by Google

eſſentialia, quam notionalia.

Quarta contradictio eſt. Nam Scot. in 1. diſ. 2. q. 7. inquit, quod actus primus eſt prior origine actu ſecundo, & ſic memoria productiua in Patre eſt prior origine generatione actuali: è contra verò in eod. 1. diſ. 28 q. vl. & in quolib. q. 4. habet, quod Pater conſtituitur in eſſe perſonali per generationem actualem, & paternitatem; ex quo ſequitur, quod Pater habens illud principium quo verè generat, ſit prior origine ipſa generatione actuali, & ſic ſimul eſſet prior, & non prior generatione, & ita conſtitutus eſſet prius origine ſui conſtitutiuo eſſentialiter quod eſt contradictorium.

Reſpondetur, quod in eodem inſtanti originis ſimpliciter Pater conſtituitur ſimul principio productiuo, & productione actuali; in quo quidem inſtanti ſimpliciter ſunt duo inſtantia ſecundum quid, ſecundum quorum primum ſibi competit actus primus, ſcilicet memoria fęcunda, & ſecundum poſterius inſtans competit ſibi actus ſecundus, ideſt generatio actiua; cum enim vt ſæpe diximus generatio in diuinis ſit actio non præſupponens, ſed conſtituens ſuppoſitum, ad differentiam aliarum actionum præſupponentium ſuppoſita conſtituta; ſequitur ſuppoſitum Patris non eſſe prius origine generatione actiua, & ita ſe declarat Scot. in prędic. q. 4. quodlibetali quod actio neceſſariò præſupponit eſſe ſimpliciter, non autem eſſe incommunicabile: præſertim quando ſuppoſitum incommunicabile conſtituitur in tali eſſe per talem actionem; ſicut in propoſito ſuppoſitum Patris conſtituitur in eſſe incommunicabili per generationem actiuam.

Quinta contradictio eſt; nam in 1. diſ. 2. q. 7. §. oſtenditur, Scotus dicit, quod generatio actiua in Patre diuino non præſupponit ſuppoſitum generans; è contra verò in eod. 1. diſ. 7. §. ad formam autem, inquit, quod gerundiuum conſtructum cum potentia notat actum, vt egredientem ab eodem ſuppoſito cui attribuitur potentia; hoc idem ait in 4. diſt. 49. quæſt. 6. §. contra hoc, verſ. ſed numquid; ſed memoria fęcunda eſt ipſi Patri potentia generandi; igitur generare eſt actus egrediens à ſuppoſito Patris habente talem potentiam generandi; ex quo ſequitur quod ſuppoſitum Patris præſupponitur ad generationem actiuam, quod quidem ſecundum dictum eſt contradictorium priori dicto.

Ad hoc reſpondet Pater Bartoluccius, & Lichetus in priori

loc.

Digitized by Google

loc.cit. quod actum generationis egredi à ſuppoſito,poteſt dupliciter intelligi. Primo modo quod verè ſit, & egrediatur à ſuppoſito. Secundo modo quod egrediatur à principio productiuo vt actu exiſtente in ſuppoſito. Primo modo inquiunt non egreditur à Patre,ſed ſecundo modo.

Sed contra hoc eſt, ſi generatio actiua non egreditur à Patre, ſed a memoria fęcunda vt a principio productiuo,igitur Pater nõ eſt ſuppoſitum generans,nec generat,ſed ipſa memoria generat, quod eſt falſum; nam Pater verè dicitur formaliter generare per generationem actiuam,& ſic actus iſte generandi egreditur a Patre vt à ſuppoſito agente. Dicendum eſt ergo, generationem actiuam verè eſſe,& egredi à ſuppoſito Patris,vt principio quod; non tamen inde ſequitur,quod iſte actus egrediens præſupponat ſuppoſitum Patris, ſed ipſum conſtituit in eſſe perſonæ, & ſimul ab ipſo eſt,& egreditur,vt homo ſicut conſtituitur ex animali, & rationali, ſi conſtitueretur ex animali, & ratiocinatione actuali, ſimul ratiocinatio conſtitueret hominem,& ab ipſo eſſet,& egrederetur; & ita eſt in propoſito,vt verè Pater dicatur ipſa generatione actuali formaliter generaret Filium, ſicuti quodlibet agens actione formaliter agit,& ſi agens conſtitueretur in eſſe ſuppoſiti ipſamet actione ſimul conſtitueretur formaliter, & ageret etiã per ipſam formaliter,& ab ipſo ſimul egrederetur talis actio.

Sexta contradictio Scot.in 1. diſ.12.q.2. §. reſpondeo, inquit, non eſt ergo ordo originis inter ſpirationem Patris,& Filij,quaſi ſpiret Pater in aliquo ſigno originis, in quo non ſpiret Filius, ſed in eodem ſigno originis ſimul ſpirant, eſt tamen ibi ordo ſpirantium in ſpirando; quia Pater in illo tertio ſigno originis ſpirat à ſe,Filius autem non à ſe, vbi varietatem dictorum Scoti ponit Pater Martinus Meuriſſe, quatenus exiſtimat contradictionẽ eſſe Patrem ſpirare in primo ſigno,& eumdem Patrem ſpirare in tertio ſigno.

Ad hoc autem reſpondetur Patrem ſpirare in primo ſigno nõ debere intelligi illud primum ſignum, quo dicitur prior origine Filio,& Spiritu Sancto, qui facit ordinem originis ſimpliciter; ſed quod in illo tertio ſigno,in quo Spiritus Sanctus eſt, & producitur,ſunt duo ſigna originis ſecundum quid, vt inquit Scot.in 2. diſ. prima q.1. in quorum primo Pater ſpirat, quatenus ſpirat à ſe,& in ſecundo ſigno Filius ſpirat; quatenus ſpirat a Patre,& ſic

tolli-

tollitur omnis varietas, & contradictio. Ad argumentum autem quod contra hoc ſit, ex hoc ſequi, Spiritum Sanctum non ſpirari à Filio, vel ſi ſpiratur, ſpiratur quando iam eſt à Patre ſpiratus, & ſic Filius actum agit. Reſpondet Pater Rada controu. 16. art. 3. quod licet virtus ſpiratiua ſit prius in Patre quam in Filio, non tamen ſpiratio actualis; hoc tamen dictum eſt contra Scot. dicẽtem, eſt tamen ibi ordo ſpirantium in ſpirando, quia Pater ſpirat à ſe, Filius non à ſe, vbi admittit ordinem à quo, poſtquam negauit ordinem in quo, dicens, Patrem non ſpirare in aliquo ſigno in quo non ſpiret Filius, ſed ſimul ſpirant, vnde Filius non ſolum habet à Patre vim ſpiratiuam, ſed ſpirationem actualem, vt colligitur ex his dictis Scoti, quamuis lunga digreſſione oppoſitum probare contendat Rada, ſed incaſſum quidem, & in quol. q. 8. §. de ſecundo art. ait, prius origine cauſare eſt cauſare à ſe, poſterius origine cauſare eſt cauſare ab alio, ſicut autem ab alio habet virtutem cauſandi, vel a ſe, ſic & cauſare, ergo ſicut Filius habet vim ſpiratiuam à Patre, ſic & ſpirare habet à Patre.

Septima contradictio apparet in eod. loc. cit. quatenus ibi Scotus ait, Patrem in illo tertio ſigno originis ſpirare a ſe, & Filium non à ſe, ſed ſpirare à ſe conſtituit primum ſignum, & ſpirare ab alio conſtituit ſecundum ſignum. Eſſe autem primum ſimul, & ſecundum ſignum in tertio ſigno, quod eſt vnum ſignum, contradicit; quia ſimul eſſet vnum ſignum, & duo ſigna. Reſpondetur quod in illo tertio ſigno originis ſimpliciter, quo Spiritus Sanctus eſt, & producitur in eſſe ſimpliciter ſunt duo ſigna originis ſecundum quid, quorum alterum eſt primum, quo Pater ſpirat à ſe, alterum eſt ſecundum, quo Filius ſpiret à Patre.

Octaua contradictio eſt in 1. diſ. 6. q. 1. §. quantum ad primum, vbi Scotus inquit, Pater in primo ſigno originis intelligit formaliter, & in ſecundo ſigno originis gignit Filium, cum autem intelligere ſit eſſentiale, gignere verò ſit notionale, & eſſentialia non ſint priora origine notionalibus; quia non producunt illa videtur Scotus dicere falſum. Reſpondetur inter eſſentialia, & notionalia non intercedere ordinem originis propriè & ſimpliciter, qui eſt inter originans, & originatum, ſeu inter producens, & productum, ſed eſt ordo originis improprius, ſecundum quem eſſentialia prius pullulant, & originem ducunt ab eſſentia, quam notionalia, & de his loquitur hoc loco Scotus.

Nona

Nona contradictio eſt in eod.loco,& in eiſdem verbis,quibus ait Scotus,quod Pater in primo ſigno originis intelligit formaliter,& in ſecundo ſigno originis gignit Filium. Nam Pater conſtituitur in eſſe per generationem Filij; ſicut ergo Pater eſt in primo ſigno,ſic gignit Filium in eodem primo ſigno,& cum intelligere formaliter ſit poſterius ipſo eſſe ſimpliciter intelligendis, ſic non poteſt eſſe verum dictum Scoti, quod Pater in primo ſigno originis intelligat formaliter & in ſecundo ſigno originis gignat Filium. Reſpondetur quod ordo horum ſignorum inter intelligere,& gignere eſt ordo ſecundum quid,& improprius; quatenus actus eſſentiales ad intra prius competunt perſonis, quam actus notionales; quia prius ab eſſentia in perſonis diuinis pullulant illi quam iſti. Suppoſito igitur primo ſigno originis ſecundum quid,quo Patri competit intelligere, ſequitur ſecundum originis ſignum ſecundum quid, quo ſibi competit gignere Filium; & hoc ſecundum ſignum ſecundum quid,quod dicitur ſecundum reſpectu illius prioris ſigni ſecundum quid, eſt ipſummet primum ſignum ſimpliciter conſtituens Patrem nempè in eſſe ſimpliciter per generationem.

Sed contra hoc arguitur; nam Pater quando eſt,tunc generat, quia ipſa generatione eſt,ſed eſt in primo ſigno, ergo generat in primo ſigno,& conſequenter non generat in ſecundo ſigno,quod tamen aſſerit Scotus loc.citato.

Ad hoc argumentum reſpondet prædictus auctor,Patrem eſſe in primo ſigno conſtitutum ex eſſentia,& paternitate ſub ratione primæ fœcunditatis,ſeù potentiæ generandi,non verò ſub ratione generationis actualis, & inquit hoc expreſsè habere Scotum in 1.diſ.12.q 2.vbi aſſerit,Patrem in primo ſigno habere vtramque fœcunditatem in ſecundo ſigno actum primæ fœcunditatis, ideſt intellectus,in tertio ſigno actum ſecundæ fœcunditatis, ideſt voluntatis; ſed verè in neutro horum locorum agit Scotus de conſtitutione Patris,nec eſt benè dictum, & conſonum Scoto dicere, Patrem prius eſſe conſtitutum ſub ratione potentiæ generandi, quam actualis generationis; quamuis poſſit fieri abſtractio per intellectum nimirum præciſiua illius ab hoc, nempè concipere Patrem prius potentem generare, quam actu generantem, vt in ſuperioribus ex eodem Scoto ſæpè diximus; ſed preſens ſermo eſt de eo,quod verè in Patre vnum prius eſt alio,& ſic verè, & realiter

ter

Digitized by Google

ter prius competit Patri vtraque fęcunditas, deinde actus primę fęcunditatis, poſtea actus ſecundæ fęcunditatis nimirum ſecundum ordinem originis, vel naturæ impropriè ſumptum, & ſecundum quid, quatenus prius naturaliter pullulant ab eſſentia in Patre eſſentialia, quam notionalia, & prius competit Patri actus primus, quam actus ſecundus prioritatem dumtaxat ſecundum quid, & verè reſponſio prædicti auctoris contradicit Scoto in 1. diſt. 28. q. 3. §. ad quæſtion. dicenti, nec oportet diſtinguere qualiter illa relatio nimirum qua conſtituitur conſideretur vt eſt conſtitutiuum, quomodocũque enim varietur ſecundum conſiderationem eadem tamen eſt in re, & ſecundum quod eſt in re conſtituit perſonam realem. His igitur prænotatis, & contradictionibus ſecluſis ſequuntur aliquæ concluſiones.

Prima concluſio inter Deum, & creaturas in eſſendo eſt ordo naturæ ſimpliciter, & proprius quinimmò proprijſſimus, in cuius primo inſtanti eſt Deus, & omnia diuina tam eſſentialia, quàm notionalia, in quo inſtanti non ſunt creaturæ, nec quidem in eſſe cognito, & hæc eſt prioritas in quo, nimirum qua vnum eſt, vel poteſt eſſe ſine alio; quæ ideò proprijſſima prioritas dicitur.

Prima pars probatur. Illud eſt naturaliter prius proprijſſimè, quod poteſt eſſe ſine alio, quod non poteſt eſſe ſine illo priori, vt patet ex Ariſt. 5. met. c. 10. & ex Scoto ibid. ſed Deus poteſt eſſe ſine creatura, quæ non poteſt eſſe ſine Deo, nec in eſſe cognito, ergo. Minor patet; maior probatur, quia hæc eſt præcipuum medium ad probandum propriam, & veram prioritatem, & poſterioritatem naturalem inter duo. Et confirmatur; nam in illo inſtanti, quo intelligitur fieri productiones ad intra in diuinis, creaturæ nullum prorſus eſſe nec reale, nec cognitũ habent proprium diſtinctum ab eſſentia diuina, ſed ſolum eſſe eminentiale, & virtuale, quod eſt eſſe ipſiuſmet eſſentiæ: nam productio creaturarum in eſſe cognito cum ſit actio ad extra fieri debet ab omnibus tribus perſonis diuinis, & conſequenter peractis iam productionibus ad intra, igitur tunc in illo inſtanti naturæ eſt Deus ſine creaturis ſecundum proprium eſſe earum, vt latius probatum eſt in quinto notando.

Secunda pars probatur ex eodem Scot. in 2. diſ. 1. quæſ. 1. vbi probat, actus eſſentiales, & notionales ad intra priores eſſe in inſtanti priori naturæ; actus autem productiuos, ſeù cauſatiuos

ad ex-

ad extra, etiam in eſſe intelligibili, & cognito eſſe in ſecundo inſtanti naturæ.

Secunda concluſio. In primo inſtanti naturæ proprio, & ſimpliciter eſt ordo originis proprius, & ſimpliciter ſecundum quem Pater eſt à ſe, Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, & ſic Pater eſt in primo ſigno originis, Filius in ſecundo, & Spiritus Sanctus in tertio. Hæc concluſio probatur a Scoto in 2. diſ. 1. q. 1. §. quantum ad 2. ar. circa medium, vbi ait quod ordo originis ſimpliciter eſt originatio ſimpliciter, qua, ſcilicet perſonæ diuinæ producuntur in eſſe naturæ diuinæ ſimpliciter.

Tertia concluſio. In ſecundo inſtanti naturæ proprio, & ſimpliciter eſt ordo originis improprius, & ſecundum quid, ſecundũ quem Pater à ſe, Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab vtroque producit creaturas in eſſe cognito intelligibili, & obiectiuo, & iſtum vocat Scotus loco citato ſecundum ordinem originis, quippè qui eſt in ſecundo inſtanti naturæ, & præſupponit perſonas diuinas iam conſtitutas, & productas in eſſe ſimpliciter, & dicitur ordo ſecundum quid, quia perſona per hunc ordinem non recipit eſſe ſimpliciter ab alia, ſed agit ab alia.

Quarta concluſio. In primo inſtanti naturæ proprio, & ſimpliciter eſt ordo cum prioritate, & poſterioritate naturæ, vel originis, impropriè, & ſecundum quid nimirum inter eſſentiam, & cætera omnia diuina, inter eſſentialia in ſe inuicem, inter eſſentialia, & notionalia, & inter ipſamet notionalia. Hæc concluſio patet ex ſupra notatis; quia in illo primo inſtanti eſſentia diuina eſt tamquam fons, à quo cætera emanant cum ordine naturali, & hæc eſt origo impropria cum ordine prædicto.

Quinta concluſio. In primo ſigno originis propriè, & ſimpliciter eſt ordo originis, vel naturæ improprius, & ſecundum quid, & ſimiliter in ſecundo, & in tertio ſigno originis ſimpliciter. Probatur concluſio; quoniam Patri prius naturaliter competit eſſentia quam paternitas, & intellectus, quam voluntas, & cætera huiuſmodi, & prius ab eſſentia pullulant in ipſo eſſentialia, quam notionalia, & vnum eſſentiale, quam aliud, & vnum etiam notionale, quam aliud, vt generare priuſquam ſpirare; & hoc in primo illo ſigno originis ſimpliciter. Hoc idem dicendum eſt de Filio in ſecundo ſigno originis ſimpliciter, & de Spiritu Sancto in tertio ſigno originis.

Sexta concluſio. Omnes hi ordines ſiuè ſimpliciter,ſiuè ſecundum quid ſunt cum vera prioritate,& poſterioritate reali, ſiue ex natura rei,non rationis,ſiuè intentionali. Probatur iſta concluſio eam applicando omnibus prioribus concluſionibus.

Prima concluſio probatur; nam verè,& realiter nullo intellectu conſiderante poteſt eſſe Deus ſine creaturis in eſſe reali, quinimò fuit ante illas in infinitis ſęculis,& ſimiliter verè,& realiter non ſolum potuit eſſe Deus abſolutè, & ſimpliciter ſine creaturis in eſſe cognito, cum tale eſſe creaturarum non ſit neceſſarium ſimpliciter,ſed ſecundum quid,quod quidem neceſſariò debet naturaliter præſupponere neceſſarium ſimpliciter; ſed etiam dici poteſt, quod de facto fuit Deus in aliquo inſtanti naturæ ante eſſe cognitum creaturarum;tum quia tale eſſe cognitum eſt ſimpliciter,& abſolutè contingens; omne autem abſolutè, & ſimpliciter contingens neceſſariò præſupponit ſimpliciter neceſſarium, cuiuſmodi eſt eſſe diuinum; tum quia tale eſſe cognitum creaturarum fuit productum à tribus, cum ſit actio ad extra,& conſequenter neceſſariò præſupponit productiones perſonarum ad intra.

Secunda concluſio probatur ſicut verè,& realiter in illo primo inſtanti naturæ ſimpliciter Pater eſt à ſe,Filius à Patre, & Spiritus Sanctus ab vtroque, & hoc eſſe à ſe, & eſſe ab alio conſtituit ordinem cum prioritate,& poſterioritate originis ſimpliciter, ſic prædictus ordo eſt realis,& ita prioritas, & poſterioritas eſt etiã realis nimirum à quo,non in quo.

Tertia concluſio probatur,nam verè,& realiter Pater à ſe,Filius à Patre,& Spiritus Sanctus ab vtroque producit creaturas in vtroque eſſe tum intelligibili,tum reali, ex quo ſequitur hunc ordinem eſſe verum, & realem cum reali prioritate, & poſterioritate.

Quarta concluſio probatur,nam verè,& realiter eſſentia diuina eſt à qua alia in diuinis pullulant, & eſſentialia priuſquam notionalia,& vnum eſſentiale priuſquam aliud, & vnum notionale priuſquam aliud,& ſic eſt ordo realis, & ex natura rei non ſecundum noſtrum modum concipiendi; & hic ordo eſt inter prædicata in alijs perſonis reſpectiuè, nimirum ſicut in Patre eſt hic ordo,& prioritas prædictorum,ita in Filio,& Spiritu Sancto.

Quinta concluſio probatur,nam verè,& realiter prius competit Patri,& ab eſſentia in eo pullulant eſſentialia,quam notiona-

lia,&

lia, & actus intellectus, quam voluntatis; & actus eſſentiales, quã notionales, & idem dicitur de Filio, & Spiritu Sancto reſpectiuè.

Denique probantur omnes hæ concluſiones auctoritatibus SS. PP. nam Baſil. lib. 1. contra Eunom. inquit, quo nam igitur modo rationem habēt ordinem in his negare, in quibus eſt prius, & poſterius non poſitione noſtra, ſed naturali quadam conſequutione, & inferius explicans illud Ioannis 11. Pater maior me eſt, inquit, vt ille maior dicatur; quia prior origine, & apud Aug. c. 6. auctor de triplici habitaculo ait, Pater non præceſſit Filium tempore, ſed origine. Hæc autem omnia ſumenda ſunt ſecundum rei veritatem non per noſtrum modum concipiendi, quod verè confirmant illa prædicta verba Baſilij non poſitione noſtra, ſed naturali quadam conſequutione. Vbicumque igitur prioritas negatur a SS. PP. intelligitur de prioritate durationis, vel temporis, vel æternitatis, ſecundum quam vna perſona diuina non eſt prior alia; non autem de prioritate originis.

Contra has concluſiones arguitur, primo auctoritatibus, deinde rationibus. Prima auctoritas eſt D. Aug. in principio quæſtionis allata ex lib. contra Maximin. c. 14. vbi ait, non quod alter eſſet prior altero. Secunda auctoritas eſt Baſilij lib. 1. contra Eunom. vbi ait, nam in his nempè in diuinis priorem eſſe cauſam dicimus, poſterius verò, quod ab ipſa eſt non interuallo hæc inuicem diſſeparantes, ſed cogitatione priuſquam cauſatum cauſam intelligentes; vbi clarè ponit ſolam prioritatem ſecundum noſtrum modum intelligendi, non autem realem, & ex natura rei.

Reſpondetur vtrumque Patrem negare quidem prioritatem in qua vnum ſit, & aliud non ſit; quia ſic primum, ſeù prius ſeparetur aliquo interuallo à ſecūdo, & poſteriori, quæ dicit ſucceſſionem vnius ad aliud, atque durationem, & prioritatem in quo; quo non obſtante vterque Pater admittit prioritatem à quo, ideſt originis, quia Auguſtinus addit ad illa verba; ſed quod alter eſſet ab altero, quod ſignificat poſterioritatem originis, ſed verè, & realiter vna perſona diuina eſt ab alia, igitur verè, & realiter eſt poſterior illa dumtaxat origine, ſicut etiam Baſilius loc. cit. in probatione concluſionum inquit, vt ille maior dicatur, quia prior origine; & prius dixerat nã poſitione noſtra.

Secundò arguitur rationibus, omne prius natura altero ſine contradictione poteſt eſſe ſine illo, ſed Pater non poteſt eſſe ſine

Filio,

Filio, nec vterque ſine Spiritu Sancto; igitur non datur in diuinis vlla prioritas.

Reſpondetur in diuinis ad intra non dari prioritatem naturæ propriè ſumptam, ſecundum quam prius vt ſic poteſt eſſe ſine poſteriori, qualis eſt inter Deum, & creaturas, vt ſupra diximus, ſed prioritatem, vel propriam originis inter perſonas, ſecundum quã vna perſona verè, & realiter originatur, & producitur ab alia, vel impropriam ſiue naturæ ſiue originis ſecundum quam eſſentialia naturali ordine præſupponuntur ad notionalia, & intellectus ad volũtatem cum ſuis operationibus, & actionibus, aut vnum prius pullulat ab eſſentia, quam aliud.

PRIMVM DVBIVM.

Vtrum Intelligere in Patre ſit priuſquam dicere.

Ratio dubitandi eſt in promptu, nam prius eſt eſſe ſuppoſiti, & id quod conſtituit ſuppoſitum in eſſe, quam operatio eius, ſed dicere conſtituit Patrem in eſſe ſuppoſiti & intelligere eſt eius operatio; igitur dicere in Patre eſt prius ipſo intelligere.

Hoc tamen non obſtante oppoſitum nobis tenendum eſt de mente Scoti in 1. diſ. 1. q. 1. & alijs locis infra notandis in dubio ſequenti, vbi tenet Patrem prius origine eſſe beatum, quam dicat, & generet Filium, ſed eſt beatus ipſo intelligere, non autem ipſo dicere, igitur in Patre prius eſt intelligere, quam dicere.

Eſt alia ſententia media diſtinguens de ordine ipſius intelligere, & dicere, vel enim ſibi inuicem comparantur abſolutè, & ſicut eſſentialia hoc modo comparata notionalibus ſunt priora illis, ſic intelligere prius eſt ipſo dicere; ſi autem comparentur ſibi inuicem prout in Patre, ſic dicere eſt prius ipſo intelligere propter dictam rationem dubitandi.

Hæc tamen ſententia nõ placet eumdem enim ordinem, quem prædicata eſſentialia ſeruant inter ſe, & eſſentialia cum notionalibus eumdem retinent in illo, quod conſtituunt; ſed eſſentia eſt prior attributis, & attributa notionalibus in ſe abſolutè comparata, ergo & in Patre, quem conſtituunt; ac per conſequens in Patre prius eſt intelligere, quam dicere; maior probatur quod prouenit ex rationibus formalibus rei, remanet neceſſario in ipſa re

eiſdem

eiſdem rationibus manentibus,ſed prędicata eſſentialia eſſentialiter conſtituentia eaſdem ſuas rationes formales retinent in cõſtituto per ipſam,igitur in ipſo conſtituto prouenit neceſſariò idẽ ordo,quem inter ſe habebant talia prædicata eſſentialia conſtituentia, vt ſubſtantia, corpus, corpus animatum, & animal habent talem ordinem, quod prior ſit ſubſtantia, quam corpus, & ſic de cæteris, & idem ordo retinetur in conſtituendo homine; prius enim homo eſt ſubſtantia, quam corpus; idem ergo dicendum eſt in diuinis, nedum abſolutè in ſe, ſed in Patre conſtituto eumdem ordinem retinere conſtituentia ipſum, vt ſicut prior eſt eſſentia, quam eſſentialia, & priora eſſentialia quam notionalia in ſe, ſic Pater prius ſit eſſentia, vel Deus, quam intelligens volens,beatus,& prius intelligens,quam dicens prioritate, inquam, originis,non propria, & ſimpliciter, quæ eſt inter originans, & originatum, ſed prioritate vel originis impropria, ideſt emanationis,in quantum prius emanat intelligere,quam dicere ab eſsẽtia in ipſo Patre,vel prioritate etiam naturæ impropria, nempè ſecluſa omni imperfectione,ideſt ſecundum naturalem ordinem, & exigentiam,ſeù præſuppoſitionem,ſecundum quam vnum neceſſariò præſupponitur alteri,vt intellectus voluntati, & actio illius actione iſtius. Hunc ord.ponit Scot.in 1.diſt.13.§.ſed contra arg.

Ad rationem dubitandi reſpondetur veram eſſe in conſtitutis abſolutis; cum autem Pater diuinus conſtituatur in ſuo eſſe perſonali per generationem actiuam,quæ eſt dictio,& ipſum dicere, ſeù producere Filium,quod quidem neceſſariò pręſupponit aliud conſtitutiuum Patris nempè eſſentiam cum eſſentialibus, ſicut homo conſtitutus ex rationali, neceſſariò præſupponit animal, ſic in Patre diuino neceſſariò præſupponitur eſſentia cum eſſentialibus ad ipſum dicere,& generare.

SECVNDVM DVBIVM.

Vtrum Pater ſit perfectè beatus antequam generet Filium.

THomiſtæ aſſerentes intellectionem Patris æterni eſſe ipſammet productionem Verbi diuini, aut principium producendi illud,conſequenter negare tenentur prædictam propoſi-

tionem; quia ſecundum hanc ſententiam nullus eſt actus operatiuus in Patre, quo beatificari poſſit, & ſic nulla intellectio, in qua conſiſtit beatitudo, vt rectè intelligenti patet.

Scotiſtæ verò è contra aſſerentes, intelligere eſſe diſtinctum formaliter ex natura rei ab ipſo dicere, ipſique dicere in Patre neceſſariò præſupponi, non quidem vt actus productiuus, nec vt principium producendi Verbum, ſed ſiuè vt actus eſſentialis neceſſariò præſuppoſitus actui notionali, ſiuè vt Pater habeat memoriam perfectam ad producendum Verbum perfectum (ad modum, quo ſupra diximus) cuiuſmodi eſt illud diuinum, ſiuè propter perfectionem Patris independentem à generatione Filij; omnes tamen Scotiſtæ ſiuè hoc, ſiuè illo modo dicatur, ſiue omnibus illis tribus modis, vt viſum fuit in præcedenti quæſtione, conſtanter aſſerunt præſupponi intelligere ad dicere, & conſequenter concedunt ſupradictam propoſitionem, ſed diuerſi diuerſimodè eam explicant.

Primò Bargius in primo diſ. prima quæſt. 2. aſſerit, Patrem in iſta propoſitione ſupponere pro Deo non pro prima perſona. Sed contra hoc eſt, ſi Pater vt ſupponens non pro prima perſona, ſed pro Deo nimirum vt abſtractus à perſonis eſt beatus priuſquam generet; igitur ille idem Deus, vt abſtractus à perſonis generat, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Sequela probatur, quia de eodem, de quo loquitur propoſitio, qui eſt perfectè beatus, dicit quod generat, ſi igitur Deus, vt abſtractus à perſonis antequam generet eſt beatus, ipſe idem Deus, vt ſic abſtractus à perſonis generat. Falſitas conſequentis patet, nam Deus, vt abſtractus à perſonis nec generat, nec generatur, quia eſſet realiter diſtinctus ab illis, & ſic eſſet quaternitas in diuinis, vt patet in q. 7.

Secundò Pater Martinus cap. 10. quæſ. 6. aſſerit, Patrem in hac propoſitione non ſupponere pro Deo abſtracto à perſonis, ſed pro Patre, ſeu perſona Patris nondum tamen adæquatè conſtituta, ſed tantum inadequatè, ſcilicet per beatitudinem conſtituendo vlterius adæquatè per generationem actiuam; ſed præterquam quod inconueniens eſt concipere Patrem inadequatè conſtitutũ, verè Pater non conſtituitur in eſſe per beatitudinem, ſed per eſſentiam, & generationem actiuam, vt conſtat ex ſuperius ſepè dictis. ad hoc autem quod eſt neceſsè concipere Patrem in primo ſigno

adæquatè conſtitutum pro vitando dicto inconuenienti, & non niſi per generationem actiuam. Reſpondet quod ad rationem illius primi ſigni originis ſat erit, concipere Patrem generatiuum, & ſpiratiuum licet generantem in ſecundo, & ſpirantem in tertio ſigno, nam in illo primo ſigno originis concipitur Pater conſtitutus ex eſſentia, & paternitate ſub ratione formæ hypoſtaticæ, & primæ fęcunditatis, ſeù potentiæ generandi deinde ſubdit, id quod communiter dicitur Patrem conſtitui generatione actiua intelligi debere abſolutè, & a parte rei non per comparationem ad primum ſignum originis, ſed ex hoc ſequitur contra hunc Auctorem, quod quando Pater concipitur conſtitutus nondum generatione actiua, ſed potentia generandi, quod hoc erit tantũ noſtro modo cõcipiendi non abſolutè, & à parte rei, ſed vt ſic, & tũc eſt perfectè beatus, vt ipſe concędit, & inadęquatè conſtitutus per beatitudinem, ergo vt ſic, & tunc Pater nõ erit abſolutè, & à parte rei beatus, ſed per noſtrum conceptum, & ita ruit hæc propoſitio Scotica, ſicut ergo quamuis Pater concipi poſſit per noſtrum intellectum prius potentem generare, quam generare, reuera tamen ſimul eſt generatiuus, & generans, & ſic ſimul, & in eodẽ primo inſtãti eſt reipſa cõſtitutus ex eſſentia, & generatione actuali, & ſimul perfectè beatus in primo, inquã, ſigno originis ſimpliciter in quo conſiderãtur verè, & realiter duo ſigna originis, vel naturę sm̃ quid, sm̃ quem prius competunt Patri eſſentia, & eſſentialia, & beatitudo, quam generatio actualis, ſicut homini conſtituto ex animali ſimul, & rationali, non ſolum prius natura competit animal, quã rationale, ſed etiam quicquid competit animali, vt animal eſt, nempè anima vegetatiua cum ſuis potentijs videlicet nutriendi, generandi, & augendi; & pariter ſenſitiua cum ſuis potentij videndi, & audiendi, ſicut ait Ariſt. quod homo prius viuit vita plantæ, quam Bruti, & prius vita Bruti, quam rationalis; ſimiliter prius competit Patri diuino eſſentia cũ eſſentialibus, & potentijs in actuali operatione earum. ſ. intelligendi, & volendi, quibus beatificatur; ſiquidem in Deo nõ ſeparatur poſſe ab eſſe, ſicut ſeparatur in creaturis, poſtea competit ſibi generatio actiua, & hoc verè, & realiter, & non tantum per noſtrum modum concipiendi.

Tertiò Lichetus in 1. diſ. 1. q. 1. art. 2. exponit hanc propoſitionem ſic Pater prius origine eſt beatus quam generet Filium, ideſt

quam habeat Filium genitum, ita quod in aliquo priori originis Pater eſt perfectè beatus, & in aliquo poſteriori originis Filius habet eſſe genitum; quia in quo inſtanti Pater habet eſſe, in eodem inſtanti habet omnem perfectionem diuinam, & quia in aliquo priori originis habet eſſe per generationem actiuam, in illo priori eſt perfectè beatus, & in illo priori Filius non eſt. Hoc autem aſſerit Lichetus; quia difficilè ſibi videtur concipere Patrem conſtitui in eſſe per generationem actiuam, & tamen ante ipſam generationem eſſe beatum, quia ſequeretur, vt ipſe inſtat ipſum eſſe antequam eſſet. Cum autem generatio actiua ſit prior ipſo Filio; quia producens non tantum eſt prior producto, accipiendo ipſum pro abſoluto producentis, ſed etiam producens, in quãtum actu producit, eſt prius psoducto, vt patet ex Scoto in 2.diſ.2.ſic in propoſito inquit, Pater, vt producit Filium eſt prior ipſo Filio, ex quo tandem ſequitur Patrem eſſe beatum ante Filium productũ, non ante productionem Filij, & in 2.diſ.1.q.1.§.quantum ad hoc, vbi Scotus ait prius aliquo modo intelligitur iſta perſona operari iſta memoria, quam producere, & in illo priori intelligitur iſta perſona in ſe perfecta, & verè beata; idem Lichetus exponens literam, & impoſſibile hoc ſibi apparens; ſi quidem per productionem conſtituitur prima perſona in eſſe perſonali; ex quo ſecundum ipſum neceſſariò ſequitur, operari præſupponere perſonam Patris conſtitutam per generationem actiuam, diſtinguit, quod operari, & producere comparari poſſunt aut ad ſe inuicem, & ſic operatio puta intellectio eſt ſimpliciter prior productione actiua Patris, vt autem comparantur ad perſonam Patris vt Pater eſt, hoc modo non eſt prius intelligere, quam producere.

Sed verè vbicumque Scotus aſſerit hanc propoſitionem, ponit Patrem eſſe perfectè beatum, non ſolum antequam ſit Filius genitus, vel antequam habeat Filium genitum; ſed antequam ipſe Pater generet Filium, vt infra probabimus, & ſic etiam intelligere verè eſt prius quam dicere non ſolum comparata ad inuicem, ſed etiam comparata ad perſonam Patris; quia iſta eumdem ordinem, quem habent in ſe inuicem, retinent in perſonis conſtitutis; etenim Patri conſtituto per eſſentiam, & generationem actiuam, etiam vt ſic conſtituto prius ſibi competit eſsẽtia, quam generatio, & ſic prius ſibi competit intelligere, quam generare, quatenus ab eſſentia prius pullulant in Patre eſſentialia,

quam

quam notionalia, & actus eſſentiales, quam notionales; vnde etiam in eod. primo diſ. 6. quæſt. vnic. §. de quarto dico, inquit quod Pater prius habet intelligere, & velle quam producere, & generare, & ibi clarè loquitur de Patre, vt eſt perſona producens.

Illud autem quod inquit Lichetus in 1.diſ.prima q. 1.art.2. ad illud quod inquit Scotus, quod illa perſona intelligitur verè beata in actu intellectus exponit, quod Scotus loquitur de beatitudine pertinente ad intellectum; quia intellectus diuinus datur formaliter beatus intelligendo eſſentiam diuinam, quæ eſt obiectum beatificum, ſed non loquitur, inquit, de beatitudine ſimpliciter, & abſolutè, cum ipſe Scot. in 4. diſ. 49. velit quod beatitudo ſimpliciter conſiſtat in actu voluntatis; ſed verè Scotus vbicũq; dicit Patrem eſſe perfectè beatum, antequam gignat Filium, loquitur de perfecta beatitudine, nimirum pertinente tum ad intellectum, tum ad voluntatem; quia, vt ſic eſt perfecta beatitudo; & vt ſic eſt perfectè beatus, antequam gignat Filium. Quod confirmatur ex eo quod habet ipſemet Scotus loc. ſupra cit. in 1.diſ.6.quæſt. vnic. §. dicẽdum ergo, nempè Patrem habere tum intelligere, tum velle ante dicere, & ſic in illo priori, antequam dicat, & generet eſt perfectè beatus non ſolum per intellectum, ſed etiam per voluntatem, ſicut ait Scotus ibidem propè finem additionis, quod prius Pater eſt perfectus in ſe, & beatus per intelligere, & velle, quod præcedit dicere.

Quod autem Scotus contendat Patrem eſſe perfectè beatum priuſquam gignat, & generet etiam actiuè, ideſt ante generationem actiuam probatur. nam in 1. diſ. prima q. 2. §. quantum ad dictum ar. ait, Pater prius origine quam generet Filium eſt perfectè beatus, & in eod. 1.diſ.6.q.vn.§.de quarto dico, inquit, Pater in primo ſigno originis intelligit formaliter, & in ſecundo ſigno originis gignit Filium, & inferius ait, Pater eſt perfectus in ſe, & beatus per intelligere, & velle, & concludit, velle igitur ſicut intelligere præcedit dicere, & in 2.diſ.1.q.1.§. quantum ad hoc igitur, loquendo de Patre, inquit, prius aliquo modo intelligitur iſta perſona operari iſta memoria, quam producere, & in illo priori intelligitur iſta perſona in ſe perfectè, & verè beata, & in Reportatis in 1.diſ.6.q.2.§.dicendum igitur, inquit, quod intelligere, & velle Patris præcedit dicere: dicere autem, gignere, & produce-

re, atque generare non eſt paſſiuum,ſed actiuum, igitur Pater eſt perfectè beatus, non ſolum antequam ſit Filius genitus, vel habeat Filium genitum,vt inquit Lichetus,& Pater Rada controu. 6. ſed etiam antequam generet Filium.

Quartò Pater Carouinea lib. 1.diſp.4.q.3.nu. 8. explicat, quod intelligitur de beatitudine in actu ſignato, ſeu in actu primo ante generationem,quia habet eſſentiam,intellectum, & voluntatem ſignantia beatitudinem in actu primo,at verò actum beatitudinis ſecundum ſeu exercitum habet poſtquam genuit; ſed quid dicet Auctor iſte de illis verbis Scoti in 2.diſ.prima q. prima, §. quantum ad ſecundum,vbi ait,prius aliquo modo intelligitur iſta perſona operari iſta memoria,quam producere, & in illo priori intelligitur iſta perſona in ſe perfecta, & verè beata in actu intellectus intelligendo eſſentiam diuinam. Eſt ne operari,& intelligere actus primus,nequaquam domine?

Quintò alij accipiunt in hac propoſitione illud prius origine pro priori natura,& ſic Pater in aliquo priori natura eſt perfectè beatus,quam generet Filium etiam ante generationem actiuam. Sed contra hoc arguit Lichetus loco citato,quod cum Pater conſtituatur in eſſe per paternitatem, & vt ſic ſit tantum prior origine,& beatitudo Patris præſupponat Patrem habere eſſe per paternitatem, per quam eſt ſolum origine non natura prior Filio, ſequitur quod non erit prius natura beatus quam generet Filium.

Sed cum ordo naturæ improprius,& ordo originis improprius ſit prorſus idem, vt in ſecundo notando probauimus poteſt æquè benè hoc modo concedi Patrem eſſe prius natura beatum, quam generet Filium,ſicut eſt prius origine beatus, quam generet illũ; vnde ſiuè dicamus prius origine, ſiuè prius natura eſſe beatum, nihil intereſt: cum hæ prioritates, vt ibi diximus quarto notando ſæpe ſæpius confundantur,& hoc idem ex Aug. contra Maximin. & ex eodem Scoto pluribus locis collegimus.

Sextò denique dicendum nobis eſt, Patrem eſſe perfectè beatum priuſquam generet Filium prioritate originis, vel naturæ. probat Scotus iſtam concluſionem: nam beatitudo eſt perfectio ſimpliciter, ſed nulla perfectio ſimpliciter poteſt addi Patri ex productione cuiuſcumque perſonæ,igitur prius eſt beatus, quam producat perſonas,& generet Filium,& hæc ratio ſufficiat, quæ efficaciſſima eſt, & ſimul inſolubilis; & declaratur, quod Pater

et à

Digitized by Google

et à ſe beatus,& non habet, quod ſit beatus à generatione Filij, vel ex eo quod generet Filium,ſed a ſe.

Contra hanc concluſionem arguit Rad. controu. 6. in expoſitione opinionis Scoti, ſi Pater eſt perfectè beatus etiam antequam generet Filium, & non præcisè antequam Filius ſit genitus,igitur Pater eſt prius Pater,quam generet, conſequẽs eſt falſum,ergo & antecedens. Sequela probatur; nam Pater conſtituitur in eſſe perſonali per generationem actiuam, vt in ſuperioribus ſæpè probatum eſt,ſed quando Pater eſt beatus,quia non poteſt eſſe prima perſona diuina,quæ non ſit Pater, cum per paternitatem conſtituatur in eſſe perſonæ, tunc eſt Pater in illo priori ſigno,ergo non eſt Pater per generationem actiuam, quæ in illo primo ſigno non eſt ſecundum hanc opinionem,concluſio eſt falſa,non maior,ergo minor.

Reſpondetur Patrem ſimul, & ſemel eſſe beatum, & eſſe Patrem,& conſtitui in eſſe Patris,& in eſſe perſonali per generationem actiuam,ſed tali perſonæ, & tali Patri prius competunt eſſentialia,quam notionalia, & actus eſſentiales ad intra, quales ſunt intelligere,& velle,quibus beatificatur,quam actus notionalis,quo generat Filium: hæc enim prioritas eſt originis, vel naturæ ſecundum quid,ſecundum quam prius competit vnum,quam alterum,ſicut homo ſimul,& ſemel conſtituitur ex animali, & rationali,prius tamen natura ſibi competit animal, quam rationale,vt patet,& etiam prioritas originis ſecundum quid,ſecundum quã prius pullulat ab eſſentia in Patre actus ille eſſentialis, quam actus iſte notionalis.

Secundò arguit, ſi Pater prius origine eſt beatus quam generet,ergo à ſe eſt beatus, & ſi poſterius origine generat, ergo ab alio generat,quia hoc eſt eſſe poſterius origine ſecundum Scotum in 2.diſ.prima q.prima,& in quodlib.qu. 8. Reſpondetur quod Pater eſt à ſe beatus,& à ſe etiam generat,quia inter beatitudinẽ, & generationem actiuam non eſt ordo originis ſimpliciter ſecũdum quem qui eſt prius origine eſt à ſe,& qui eſt poſterius origine eſt ab alio. Sed ordo originis improprius, ſecundum quem prius originem habet,& pullulat ab eſſentia in Patre actus eſſentialis, quam notionalis,& ſic argumentum eſt puerile.

Sed contra replicatur, ergo Pater in eodem primo ſigno originis eſt beatus,& generat,cum à ſe haberet vtrumque quod pro-

priè eſt eſſe primum ſignum originis , ex quo ſequitur quod non eſt beatus in primo ſigno originis , & in ſecundo ſigno originis generet. Reſpondetur quod in eodem primo ſigno originis ſimpliciter,quo eſt Pater,eſt ordo originis ſecundum quid inter beatitudinem,& generationem,ſecundum quem prius pullulat in Patre illa quam iſta,& etiam eſt ordo naturæ ſecundum quid , ſecũdum quem prius competit Patri illa,quam iſta , & de hac prioritate , & poſterioritate originis ſecundum quid loquitur Scotus quandocunq; inquit,quod Pater in primo ſigno originis eſt beatus , & intelligit formaliter , & in ſecundo ſigno originis gignit Filium.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum ſit aliquis ordo naturæ inter primam , & ſecundam cauſam in agendo.

DE ſubordinatione cauſæ ſecundæ ad primam in præſenti quæſtione agitur,ſumpta occaſione præcedentis quæſtionis,in qua actum fuit de operationibus , & actionibus ſolius Dei tàm ad intra , quàm ad extra , & conſequenter requiritur etiam agere de actionibus Dei,quibus concurrit cum cauſſis ſecundis,& ſicut ibi fuit ſermo de actionibus diuinarum perſonarum,ſi ſit aliquis ordo inter ipſas in operando,& agendo,ſic in præſentiarum agitur ſi ſit aliquis ordo inter Deum, & creaturas cum quibus cõcurrit ad agendum. Hæc autem ſubordinatio propriè dicitur influentia cauſæ primæ in ſecundam & dependentia cauſæ ſecundę à prima in agendo , & propriè dicitur ordo eſſentialis cauſarum in cauſando. Pro maiori autem intelligentia præſentis quæſtionis, quæ difficilis eſt , & magnopere torquent doctores , ita vt in varias ſententias abierint.ſeù potius aberrauerint.

Primò notandum eſt quod ſecundum Scot.in 4.diſ.1.q.1.ad vltim.nihil poteſt agere,in quocumque ordine agendi, niſi propria virtute , ſicut enim niſi habeat formam actiuam , & intrinſecam non poteſt omninò agere , ita etiam niſi habeat propriam virtutem intrinſecam,quia illa forma eſt virtus , quod ſi prius non habuit formam,vel virtutem , & nunc agit in aliquo ordine , oportet,quod nunc de nouo habeat formam,& virtutem in illo ordine;

ne; eadem enim natura manens abſque omni mutatione nullo modo eſt nunc actiua, & nunc non actiua, & in hoc diſtinguitur cauſa ſecunda principalis (de qua eſt ſermo noſter) ab inſtrumẽto, quia illa habet formam actiuam in eſſe quieto, hoc autem recipit eam in actuali motione, vt baculus recipit impetum à manu, quando per illum mouet aliquam rem, & diſ. 6. q. 5. §. ad primũ dico, inquit, cauſa ſecunda habet formam propriam in eſſe quieto, quæ eſt ſibi ratio agendi in ordine ſuo, & hoc reſpectu eiuſdẽ effectus, reſpectu cuius agit cauſa principalis in ſuo ordine, ita quod vniuerſaliter cauſa ſecunda propriè accepta effectum principalis cauſæ per formam ſuam propriam attingit.

Secundò notandum eſt, quod quamuis cauſa ſecunda habeat formam, & virtutem propriam actiuam, vt per ipſam agat, agit tamen quando agit in virtute cauſæ primæ ita Scotus in vtroque loco ſupradicto; nam in priori loco ait, cauſam ſecundam, quæ habet formam actiuam etiam agere in virtute alterius, & in poſteriori loco ait, ita quod vniuerſaliter cauſa ſecunda propriè accepta effectum principalis cauſę per formam ſuam propriam attingit in virtute tamen cauſæ principalis agentis, itaque vt ſic cauſa ſecunda principalis poteſt dici inſtrumentum primæ cauſæ, ſcilicet latè ſumptum pro eo, quod agit dependenter ab alio, licet agat per formam ſuam, quam habet in eſſe quieto, in quo differt ab inſtrumento propriè dicto.

Tertiò notandum eſt, quod agere in virtute alterius ſecundum Scot. in 4. diſ. prima q. 1. ad vlt. non eſt recipere aliquid ab illo altero, nec eſt influentia noua, quæ ſit creatio alicuius inhærentis cauſæ ſecundæ, & diſ. 12. qu. 3. §. hic eſt opinio, verſ. contra illud quæro, ait, influentia, quam recipit agens inferius à ſuperiori non eſt aliqua forma tunc cauſata, & diſ. 13. q. 1. §. de 3. ar. ver. ſed hæc non valet, ait, non credo ſemper cauſam ſecundam, quæ quandoque vocatur inſtrumentum recipere motionem ſpecialem à cauſa prima, & diſ. 43 q. 3. §. tertia opinio, ait, influentia illa non eſt aliquid abſolutum receptum in cauſa ſecunda, quia tunc cauſa ſecunda per illud receptum poſſet agere ſine cauſa prima, cuius influentiam recipit, quia iam habet in ſe totum illud propter quod indiget actione cauſæ primæ, quod eſt inconueniens, ſed agere in virtute alterius propriè eſt ſecundum Scotum. Primò habere ordinem inferiorem ad illud alterum, vt patet in eod. 4. diſ. 1. ſupradicta,

dicta, & eſt tantum ordo determinatus cauſarum in agendo effe-ctum communem, vt patet diſ. 12. & eſt tantum habere ſubordinationem aliquam formæ ſuæ actiuæ ad formam alterius, per quam ſubordinationem cauſa priori exeunte in actu in ſuo ordine cauſandi, cauſa ſecunda nata eſt exire in actu in ſuo ordine cauſandi, vt pat. diſ. 13. & eſt tantummodo ordo cauſæ inferioris in cauſando ad cauſam ſuperiorem continuè quantum eſt de ſe coagentem, vt pat. diſ. 43. Secundò eſt indigere actione, & concurſu actuali cauſæ primæ in agendo continuè quantum eſt de ſe agentis, vt patet in his verbis mox ſupradictis. Tertiò eſt dependere in agendo ab alio, vt ait Scot. in illa diſ. 13. dicens, & ſic cauſa ſecunda dicitur mouens motum, non quia recipiat motionem a prima, per quam moueat, ſed quia in motione ſua dependet ab alia prius actu mouente, & in 1. diſ. 8. qu. 5. in calce ait, cauſa ſecunda dependet ab ipſa cauſatione cauſæ primæ, & ſic in omnibus his locis explicat Scotus, quod agere in virtute alterius eſt indigere actuali concurſu illius in agendo. Quod ſi contra hoc dicatur, quod agere ſequitur eſſe, ex quò neceſſariò ſequitur quod cauſa ſecunda habens propriam formam, & virtutem per quam agere poteſt, poſſit agere ſine prima. Ad hoc reſpondetur, quod vltra virtutem propriam cauſa ſecunda requirit ordinem determinatum qui eſt agere cum cauſa ſuperiori, & in agendo ab illa dependere; ſecus non diceretur ſecunda, ſed prima cauſa.

Quartò notandum eſt, quod agere in virtute cauſæ primæ, quod eſt ſubordinari illi, quod eſt indigere illa, quod eſt dependere ab illa in agendo prouenit in cauſa ſecunda, ex eo quod eſt ens participatum, & ſicut in eſſendo eſt per participationem ab ente in participato, ſic in agendo agit per participationem ab agente in participato, & hoc non intelligitur præcisè, quia cauſa ſecunda agit per virtutem participatam, ideſt a Deo ſibi communicatam, ſed intelligitur quod habita a Deo virtute agendi in prima ſui conditione, & productione; adhuc quando agit actualiter agit per participationem à Deo, ideſt non poteſt agere niſi ſimul cum Deo, & à Deo; & ſicut cauſa ſecunda dicitur ens per participationem non ſolum quia à Deo recepit eſſe, ſed etiam quia in eſſe conſeruatur ab ipſo; & hoc dupliciter, tum quia eſt ſimul cũ Deo, quo non exiſtente ipſa non eſſet; tum quia eſt à Deo actu conſeruante ipſam in eſſe, ita etiam dicitur agens per participationem,

Digitized by Google

nem, non ſolum quia à Deo recipit virtutem agendi; ſed etiam quia quando agit ſimul cum Deo, & à Deo agit, id eſt non agit niſi cum Deo actu agente, & à Deo faciente ipſam agere.

Quintò notandum eſt, quod agere in virtute alterius duo includit, alterum ex parte cauſæ primæ, quod dicitur influentia; alterum ex parte cauſæ ſecundæ, quod dicitur indigentia, & dependentia. Influentia eſt duplex. Prima eſt influentia cauſæ primæ immediatè in ipſam cauſam ſecundam. Secunda eſt influentia cauſæ primæ cum cauſa ſecunda immediatè in effectum communem; dependentia etiam, ſeù indigentia eſt duplex. Prima eſt dependentia a cauſa prima, quod eſt indigere cauſa prima in agendo ab illa: ſecunda eſt dependentia a cauſa prima, quod eſt indigere cauſa prima in agendo cum illa. Propter dependentiam, & indigētiā primo modo ſumptā propriè, & formaliter dicitur quis agere in virtute alterius. i. agere ab illo: propter dependentiā, & indigentiam ſecundo modo ſumptam impropriè, & ſolum materialiter dicitur quis agere in virtute alterius, id eſt agere cum illo. Prima dependentia, & indigentia cauſæ ſecundæ correſpondet primæ influentiæ cauſę primæ. Secunda dependentia, & indigentia correſpondet ſecundæ influentiæ Prima dependentia, indigentia, & influentia eſt propriè, & formaliter talis. Secunda dependentia, indigentia, & influentia impropriè, & materialiter eſt talis; nam prima dependentia cauſæ ſecundæ, & influentia cauſæ primæ formaliter, & præcisè dicit ordinem eſſentialem cauſæ ſecundæ ad primam, & eſſentialem ſubordinationem illius ad iſtam in agendo. Secunda verò dependentia, & influentia non dicit formaliter ſubordinationem eſſentialem ad alterum: nam agere cum alio non dicit eam ſubordinationem ad illud, ſicut agere ab illo; nam ly, ab, formaliter, & propriè dicit dependentiam ab alio. Similem diſtinctionem facit Scot. in quodl. qu. 15. §. ſed hic ſunt, de cauſis, quæ diuerſi ordinis ſunt dupliciter. primò quando cauſa ſecunda non recipit virtutem ab alia, ſed non poteſt agere ſine illa. Secundò quando cauſa ſecunda recipit virtutem ab alia, & ſic ab illa agere dicitur. Hæc eadem diſtinctio duplicis dependentiæ colligitur ex eod. Scot. in 3. diſ. 17. q. 1. §. ſi autem, vbi ait, Deus non operatur ad operationem voluntatis niſi voluntate liberè agente, & determinantè ſe ad operandum, & tunc Deus operatur cum ea, licet illhic non ſit prima libertas,

& do-

& dominium,ſed in voluntate Dei,quæ non habet cauſam aliam operantem cum ea ad actum ſuum, & hæc eſt dependentia in agendo cum alio; alia dependentia in agendo ab alio eſt, quam vocat Scotus determinatum ordinem cauſarum in 4.diſ.1.q.1.ad vlt. ordo autem agendi duorum notat dependentiam præcisè ab alio,non pręcisè cum alio.

Sextò notandum eſt pro declaratione huius doctrinæ ſupponendo, quod dependentia eſt reſpectus dependentis ad independens; quod indepedens dupliciter ſumitur,negatiuè, & poſitiuè. Independens negatiuè eſt eſſe in participatum, & hoc duplicem negationem dicit. Primò dicit formalem negationem reſpectus duntaxat ad ſuperius quatenus non ſubordinatur alteri ſuperiori, à quo agat,nec recipit virtutem a ſuperiori per quam agat, ſed à ſe,& in virtute propria agit, quod eſt eſſe primum agens. Secundò dicit materialem negationem reſpectus dumtaxat ad ſuperius,vel ad æquale,vel ad inferius, quatenus non indiget altero nec ſuperiori,nec æquali,nec inferiori cum quo agat; ſed ſe ſolo poteſt agere, & ſua voluntate agit cum altero quando vult cum alio agere,& hoc eſt eſſe ſufficiens agens. Probatur ex Scoto in 3.diſ. 17. §. ad primum in calce vbi ait, voluntas Dei non habet cauſam aliam operantem cum ea ad actum ſuum, & hoc vtroque modo non dicitur cauſa prima influere in cauſam ſecundam, nec in effectum cauſæ ſecundæ. Independens poſitiuum, quod eſt eſſe eminens dicit etiam duplicem reſpectum nempè ad inferius, vnũ formalem quatenus omnes aliæ cauſæ in agendo ſubordinantur illi à quo,& in cuius virtute agũt,& hoc eſt eſſe cauſam primam, & hoc modo prima cauſa dicitur influere immediatè in cauſam ſecundam. Alterum materialem,quatenus omnes cauſæ in agendo non agunt ſine illa, ſed omnes cum illa, & cum eius concurſu agunt,& hoc eſt eſſe vniuerſalem,& immediatam cauſam,& hoc modo dicitur cauſa prima influere cum cauſa ſecunda immediatè in effectum. Dependens quod eſt eſſe participatum dicit etiam duplicem reſpectum ad independens poſitiuè ſumptum,à quo participat. Primus reſpectus eſt formalis quatenus ſubordinatur illi,& virtuti eius à quo agit,& hoc eſt formaliter habere virtutem ſubordinatam,& dependere ab alio, ideſt in agendo ab illo Secundus reſpectus eſt materialis, quatenus indiget illo, & actione eius,cum quo agat,& ſine quo non poteſt agere,& hoc eſt dependere

dere

dere ab alio in agendo cum illo, & hoc eſt habere virtutem diminutam,& inſufficientem, vt ait Scot. in 4.diſ.1.q.1.ad vult. quod virtus cauſæ ſecundæ propria eſt diminuta, & ſubordinata alterius virtuti,ita quod ſine illa altera virtute agente,virtus eius non poteſt in effectum. Vbi aduertendum eſt cauſam dupliciter dici ſufficientem, & totalem. Primò modo quia ſe ſola poteſt ſine alio producere; & hic eſt ſolus Deus abſolutè totalis,& ſufficiens cauſa. Secundo modo quia ad producendum effectum non indiget alterius cauſę concurſu eiuſdem ordinis,ſed ſufficit ipſa in ſuo ordine cauſandi, & hoc modo cauſa ſecunda dicitur ſufficiens, & totalis,ſcilicet in ſuo ordine, quia in tali ordine non indiget alia concauſa, non tamen dicitur ſufficiens ſimpliciter, & abſolutè talis,quia non poteſt ſe ſola ſine concurſu cauſæ primæ, ideſt ſuperioris ordinis, vtrumque hunc reſpectum, ſcilicet agendi ab alio,& cum alio expreſſit Scot.in 4.diſ.1.q.1.in calce dicens,agere in virtute alterius eſt tantum habere ordinem inferiorem ad illud alterum; en primum reſpectum, ſcilicet agere ab alio, quia cauſa inferior dependet a ſuperiori in agendo, & poſtea ſubdit, agens in ſuo ordine ſimul,en reſpectum ſecundum, ſcilicet agere cum alio,& diſ.12.q.3.inquit,influentia quam recipit agens inferius a ſuperiori non eſt aliqua forma tunc cauſata, ſed eſt tantum ordo determinatus cauſarum in agendo ſimul, ſed agere ſimul nõ dicit ordinem,nec dicit aliquam influentiam,quam recipit agens inferius a ſuperiori,vt patet igitur agere ab alio eſt iſta influentia, & iſte ordo,& diſ.13.q.1.§.de 3.ar.verſ.ſed hæc,vbi ait, cauſa ſecunda dicitur mouens motum,non quia recipiat motionem à prima,per quam moueat, ſed quia in motione ſua dependet ab alia prius naturaliter actu mouente. Nunc inquiro à Patre Vulpes qui tom.1.diſput.5.ar.6.inquit, quod ordo iſte eſt ſubordinatio & in agendo ſimul, quare hoc loco inquit Scotus, quod prima cauſa prius naturaliter actu mouet,cum alibi dixerit, quod ſimul agunt, & ſic manifeſtè ſibi contradicit Scotus,niſi quia cauſa prima, & ſecunda agendo ſimul,cauſa ſecunda agit à prima, & vt ſic poſterior eſt illa in agendo ab illa,& hæc eſt ſubordinatio propria, nõ autem in agendo ſimul cum illa.

Septimò notandum eſt, quod dependentia in agendo ab alio, neceſſariò includit dependentiam in agendo cum illo, hæc verò non neceſſariò includit illam, ſicut forma neceſſariò præſuppo-

nit

nit materiam,materia verò non neceſſariò præſupponit formã. Prima pars probatur; nam dependentia propria dicit ordinem eſſentialem inter cauſam primam,& ſecundam, & Scot.in 1.diſ. 2.q.2.in tertia differentia inter cauſas eſſentialiter ab accidentaliter ordinatis ait,omnes cauſę per ſe,& eſſentialiter ordinatæ ſimul neceſſariò requiruntur ad cauſandum, alioquin aliqua per ſe cauſalitas de eſſet effectui. Secunda pars probatur de duabus cauſis partialibus inſufficientibus, & diminutis reſpectu communis effectus,vt duo homines trahentes nauim, quorum vterque depẽdet ab altero in agendo cum illo, quia vtriuſque virtus eſt diminuta, & inſufficiens ad totum effectum, & ſic indiget alterius virtute, & concurſu, cum quo agat, & neuter dependet ab altero in agendo ab illo,quia neuter ſubordinatur alteri, nec recipit ab altero virtutem,cum ſint æquales,& eiuſdem ordinis, & propterea quando iſtæ cauſæ agunt communem effectum dicuntur ordinatę accidentaliter,ideſt accidentaliter à ſe inuicem dependẽtes, quia vna non dependet ab altera præcisè vt cauſa,ſed vt concauſa, ad diſtinctionem cauſarum eſſentialiter ordinatarum,quarum ſecũda dependet à prima præcisè, & formaliter vt à cauſa, non vt à concauſa, niſi materialiter, vt patet ex Scoto in 1.diſ.2.q.2.vbi ponit primam differentiam in cauſis ordinatis, in quantum in eſſentialiter ordinatis cauſa ſecunda dependet à prima in agendo ab illa,in accidentaliter ordinatis autem non dependet in agendo,licet dependeat in eſſe,vel in aliquo alio,ideſt in concurſu,quo indiget vt concauſa, vt cum illo non ab illo agat, ex quo conſtat poſſe ſtare dependentiam in agendo cum alio ſine dependentia in agendo ab illo.

Octauò notandum eſt,quod dependentia in agendo ab alio eſt duplex. Prima in agendo ab alio determinante ipſum ad agendum antequam agat: ſecunda in agendo ab alio tribuente illi virtutem agenti quando agit. Prima dependentia deſumitur à Phyloſopho 7.phy. tex. 1.propter quod agens ſecundum dicitur mouens motum diſtinctum ab agente primo mouente non moto. Secunda eſt eiuſdem Phyloſophi in lib.de cauſis,propter quod agẽs ſecundum dicitur agere in virtute primi, quia non ſolum quando incipit agere ab eo mouetur, & determinatur ad agendum, ſed etiam quando agit prima cauſa influit in virtutem, ſeù influxum cauſæ ſecundæ,& ità conſeruat eas in exercito agendi,quia ſi ſolum

lum in effectum influeret,eſſet ſola dependentia cauſę ſecundæ ad primam in agendo cum illa, ergo requiritur alia dependentia in agendo ab illa,quando agit,quę non poteſt alio modo explicari, niſi poſt quam prima cauſa mouit,& determinauit cauſam ſecundam ad agendum. Hæc in ipſa actione agit,a prima, quod propriè eſt dependere in agendo ab alio.

Ex his ſequuntur duæ dependentiæ ab alio. Prima in determinando ad agendum. Secunda in agendo. Prima dependentia ponitur à Scoto in 4.diſt.49.q.6.§.dico ergo, verſ. reſpondeo, vbi ait, cauſa ſuperior non determinatur ab inferiori, non eſt igitur ſimpliciter contra naturam eius,ideſt cauſæ ſecundæ,quod determinetur à cauſa ſuperiori, ſicut eſſet contra naturam eius determinari a natura inferiori,& in quodl.q 16.§.de 3.principali verreſpondeo,ait, voluntas autem nunquã poteſt eſſe agens omnino primum, ſed nec poteſt eſſe determinata naturaliter ab aliquo alio agente ſuperiori,ſi ergo voluntas non eſt agens omnino primum, ſed ſecundum, igitur in ſui determinatione habet agens primum,à quo dependet in determinando, ſola ergo determinatio nimirum naturalis ab agente ſuperiori voluntati negatur à Scoto,quia ipſa non poteſt determinari naturaliter, ſed benè poteſt contingenter & liberè determinari; etenim in hoc diſtinguitur ab agente naturali; quia ſi voluntas ſibi relinqueretur ſeipſam determinaret, nam ibi Scotus ſubdit,quia ipſa eſt tale actiuum, quod ſeipſam determinat in agendo, ſic intelligendo quod ſi voluntas aliquid neceſſariò velit puta A, non tamen illud velle cauſatur naturaliter à cauſante voluntatem,etiam ſi naturaliter cauſaret voluntatem,ſed poſito actu primo, quo voluntas eſt voluntas,ſi ipſa ſibi relinqueretur,& ſi poſſet contingenter habere, vel non habere hoc velle,tamen ſeipſam determinaret ad hoc velle. E contra verò agens naturale ita petit ab alio determinari,vt ſi ſibi relinquitur non poteſt ſeipſum determinare; ex quo ſequitur, quod agens naturale męrè paſſiuè ſe habet in ſui determinatione, quia ab alio,& nullo modo à ſe determinatur; agens autem liberum ſe habet actiuè in ſui determinatione,quia ſimul à primo, & à ſe determinatur, ideſt quando à primo determinatur etiam ſeipſum determinat. Secunda dependentia,ideſt in agendo ab alio ponitur à Scoto in 4 diſt.6.q.5.§.ad prim.dico,vbi ait, cauſa ſecũda propriè accepta effectum principalis cauſæ per formam ſuam pro-

propriam attingit,in virtute tamen principalis agentis,quia ſubordinatur illi,quod ſupra explicauimus eſſe dependere ab alio, & diſ.1.q.1.ad vlt.ait,cauſam ſecundam agere in virtute alterius eſt tantum habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in ſuo ordine ſimul,vbi clarè loquitur de actione in actu,& habere ordinem inferiorem ab altero in actuali actione non eſt niſi dependere ab alio in agendo.

Nonò notanda ſunt duo inſtantia naturæ in quo,quæ ſunt naturaliter ordinata in quacumque actione.Primum eſt in quo agēs determinat agere. Secundum eſt in quo agit,& hic eſt ordo præſuppoſitionis naturalis,ſecundum quam determinatio ad agendū præſupponitur actioni, ideſt in priori inſtanti naturę eſt determinatio ad agendum,& dicitur inſtans determinationis,& in poſteriori inſtanti naturæ eſt ipſa actio,& dicitur inſtās actionis,quod ſi agens eſt ſecundarium cum eſſentialiter dependeat ab alio priori, & ſuperiori, dependet ab illo tum in determinando in primo inſtanti naturę,tum in agendo in ſecundo inſtanti naturæ,ex qua dependentia ſequitur in vnoquoque horum duorum inſtantium naturæ eſſe duo inſtantia originis, quæ dicuntur inſtantia à quo, quod propriè dicit dependentiam formalem in agendo vnius ab alio, & ita in primo inſtanti naturæ in quo, quod dicitur inſtans determinationis,ſunt duo inſtantia originis,ideſt à quo. Primum eſt quo à prima cauſa determinatur ſecunda. Secundum eſt, quo cauſa ſecunda determinatur à prima,& in ſecundo inſtanti naturæ in quo, quod dicitur inſtans actionis ſunt alia duo inſtantia originis à quo,primum eſt quo à cauſa prima agit ſecunda. Secūdum eſt quo cauſa ſecunda agit à prima.

Pater Suarez contra hanc doctrinam, & diſtinctionem poſitā inter determinationem voluntatis, & eius actionem laborat in opuſculis lib. 1. c. 8. dicens, voluntatem formaliter determinari nihil aliud eſſe,quam velle,& talis determinatio nil aliud eſſe poteſt præter actum ſecundum,qui eſt velle,vel actio volendi, quia non poteſt cogitari medium inter actum primum, & ſecundum. Et cōfirmat quia determinatio voluntatis debet eſſe voluntaria, nihil autem poteſt eſſe voluntarium,niſi ſupponat actum volendi per quem ſit voluntarium, vel ſit ipſe actus volendi, qui per ſe eſt voluntarius; ſed hæc determinatio non ſupponit actum volendi, vt patet, ergo eſt ipſemet actus volendi. Reſpondetur falſum

eſſe

eſſe nullum eſſe med'um inter actum primum, & ſecundum: nam ſi capiamus actum primum pro ipſa facultate in actu primo inter ipſam ex vna parte, & actum ſecundum ex altera parte mediat determinatio, qua voluntas ſe applicat, & determinat ad actum ſecundum agendi, & hæc determinatio eſt per ſe intrinſecè voluntaria. Et ad illud quod dicitur voluntatem formaliter determinari, nil aliud eſſe, quam velle, vt innuit Scot. verum eſt de determinatione formali, non autem de effectiua determinatione de qua in præſentiarum agimus. Quod ſi arguatur regulariter ab omnibus aſſeri, quod voluntas determinando vult, & volendo determinat, igitur vnum eſt alterum, & non prius naturaliter altero.

Reſpondetur falſam eſſe ſequelam; nam licet vnum non ſit ſine altero, ſunt tamen diſtincta cum ordine naturæ, ſicut actio & conditio, ſine qua ipſa non eſſet.

Pater Vaſques etiam magnopere irridet hunc ordinem, prioritatemque a quo in prima parte diſp. 99. num. 25. dicens Theologos abuti vocabulis artis nempè logicæ, ex qua exemplum ibi adducit, & non aduertit nedum ſe abuti vocabulis artis, ſed etiam ipſa philoſophia naturali. Quod vtrumque probatur. Primo in philoſophia naturali, quid enim hoc ordine prioritatis à quo patentius ſenſibus ipſis apparet, & intellectu euidentius concipitur? quinimò hoc ordine ſublato omnia extemplò confunderentur, agerenturque confusè in naturalibus, in artificialibus, & in diuinis, vbi enim ſimultas maior naturæ inuenitur, quam in relatiuis ſecundum Philoſophum, inquiro tamen ab hoc Auctore an effectus pendeat à cauſa, an è conuerſo, niſi dicat ab inuicem pendere, quod eſt manifeſtè falſum, & patens contradictio, cum hac ergo ſimultate naturæ in quo, ſtat prioritas, & poſterioritas naturæ à quo, ſecundum quam effectus pendet à cauſa, non è conuerſo vt in ſuperioribus ſatis probatum eſt ex Auicenna, quod cauſa, vt cauſa eſt prior naturaliter cauſato, vt cauſato, & tamen ſunt ſimul natura ſimultate nimirum in quo cum prioritate à quo. In generatione etiam naturali non prius materia materiat, quam efficiens efficiat, tamen efficiens dicatur principium vnde motus ex Ariſt. 2. phyſ. tex. 20. & 5. met. cap. 2. ex quo ſequitur, quod prius natura efficiens efficit, quam materia materiet prioritate dumtaxat à quo. In artificialibus etiam manus magiſtri, & di-

ſcipuli æquè ſimul tempore, & natura componunt caracterem; & non prius ab vno, neque in partem, neque in totum, quia vel in partem, vel in totum non procederet ab altero, & tamen manus diſcipuli a magiſtri manu conficit illud. In diuinis denique, Pater, & Filius æquè ſimul natura producunt Spiritum Sanctum, & tamen Filius a Patre producit, & ita ſimul natura ſpirantes hæ duæ perſonæ Pater prius ſpirat, quam Filius; quia ille à ſe, iſte ab alio ſpirat; & hæc eſt prioritas à quo vera, & realis non imaginaria, ſicut verè, & realiter Filius à Patre ſpirat, non ergo verbis ludit iſta diſtinctio, vt inquit Vaſquez, ſed reipſa veritatem oſtendit.

Aliud probatur, nempè hunc Auctorem aberrare vocabulis artis, quod alijs impingit loc. cit. dicendo ſi qua prioritas à quo inuenitur, erit illa ab Ariſtotele poſita in prædicam. cap. de modis prioris, ſecundum quam prioritatem illud dicitur prius, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia, quale eſt prędicatum commune reſpectu particularis, vt animal reſpectu hominis; ſed verè hæc prioritas poſita ab Ariſtotele eſt in quo, nō à quo, ideo enim non valet ſubſiſtendi conſequentia hominis reſpectu animalis, quia animal poteſt eſſe, & ſubſiſtere ſine homine, & ideo animal eſt prius natura homine prioritate in quo, & nequaquam dicitur hic ordo à quo ex eo præcisè, quod ab eo non valet ſubſiſtendi conſequentia, qua ſi prioritas à quo conſiſteret in illo verbo à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia, vt putat hic auctor; ſed illud à quo non valet eſt ſolum negatio conſequentiæ, vt quando ex aliquo non neceſſariò ſequitur aliud, ſicut ab eo valet conſequētia quādo neceſſariò ſequitur aliud, vt quādo dicimus, homo eſt, ergo animal eſt, itaq; illud à quo poſitū ab Ariſt. in dictis verbis nō denotat aliquā prioritatē, ſed ſolum negationem conſequentiæ ex parte vnius, & affirmationem conſequentiæ ex parte alterius.

Rurſus friuolus eſt eius diſcurſus nempè ſi in eodem inſtanti temporis, & naturæ ſimul Deus, & arbitrium operatur, quomodo prius prioritate à quo Deus arbitrium mouet, ſic enim neceſſe eſt, inquit, aſſignare inſtans aliquod naturæ prius ipſi Deo mouenti, quod arbitrio noſtro non conueniat, & ita vtriuſque concurſus non erit ſimul tempore, & natura; nam ſimiliter inquiro ab Auctore, ſi in eodem inſtanti naturæ ſimul Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum, quomodo Pater prioritate à quo producit, ſic enim

enim neceſſe etiam erit aſſignare aliquod inſtans naturę prius ipſi Patri,quod Filio non conueniat, & ita vtriuſque productio non erit ſimul natura,& quis parum in Theologia veriatus non reſpōdebit aſſignari Patri tale inſtans prius nempe à quo, quod non conuenit Filio,quia Pater a ſe,Filius non a ſe ſpirat, ad eumdem ergo modum in tali ſimultate naturæ in quo aſſignatur Deo inſtans naturæ prius à quo,quod non conuenit arbitrio, ſicut etiam aſſignatur cauſæ & magiſtro,quod non conuenit effectui,& diſcipulo.

Sed recordari oportet, quod ſupradixi hanc prioritati naturæ à quo non dici propriè prioritatem naturæ, quia propriè dicitur prioritas cauſalitatis in creaturis,& originis in diuinis, nominari etiam poteſt prioritas naturæ, quatenus hic ordo à quo neceſſarius eſt,& naturalis ortum habens a dependentia eſſentiali, & ordine naturali rerum in eſſendo, & in agendo, quæ quidem dependentia, & ordo cum ſit naturalis, naturalis etiam dici poteſt prioritas a quo ab ipſo ortum habens, ſed magis propriè dicitur prioritas cauſalitatis in creaturis,& originis in diuinis tum in eſſendo,tum in agendo.

Quod ſi diſcurſus Patris Vaſquez habet aliquam vim contra aſſerentes actionem primæ cauſæ, qua mouet ſecundam recipi in ipſa cauſa ſecunda,ad quod neceſſariò ſequitur fore, vt in aliquo inſtanti non ſolum à quo, ſed in quo naturæ ſit illa receptio motionis cauſæ primæ in ſecunda facta prius quam operetur ipſa cauſa ſecunda, non tamen habet vim contra hanc prioritatem à quo,vt negari omninò debeat,vt patet in exemplis allatis, quod autem etiam concedenda ſit probatur; nam actio cauſæ primæ non eſt aliquod receptum in cauſa ſecunda ſecundum Scot. in 4. diſ. 1. q. 1. ad vlt. vbi ait, agere in virtute alterius non eſt recipere aliquid ab illo altero,nec eſt influentia noua, quæ ſit creatio alicuius inhærentis cauſæ ſecundæ,& diſ. 12. qu. 3. §. hic eſt opinio, ait,influentia quam recipit agens inferius à ſuperiori non eſt aliqua forma tunc cauſata, & diſ. 13. quæſt. 1. §. de 3. art. vbi ait, cauſa ſecunda dicitur mouens motum non quia recipiat motionem à prima, per quam moueat; quia ex hoc ſequitur ad eſſe aliquod inſtans naturæ in quo cauſa ſecunda recipiat motionem à prima antequam agat, ſed cum actio cauſæ primæ identificetur realiter actioni cauſæ ſecundæ, taliter tamen vt cauſa

ſecunda non è contra determinata ſit a prima, ſimul cum ipſa prima agat, cum igitur ſit vna communis, & indiuiſibilis actio cauſæ primæ, & ſecundæ non poteſt conſiderari aliquod inſtans naturæ in quo recipiatur actio cauſæ primæ in ſecunda antequã agat, ſequitur quod ſimul natura agunt, ſcilicet ſimultate in quo, & etiam prius natura ſine cauſalitate agit prima, quam ſecunda, non ſolum in agendo cum illa, ſed etiam in determinando illam ad agendum, ſiquidem ſecunda agit à prima, & non è contra, quia ſecunda dependet a prima.

Decimò notandum eſt, ſupponendo quod dependentia in agendo ab alio eſt ſubordinatio, ſiue ordo prioris, & poſterioris cauſarum in cauſando, Scotus tamen in varijs locis videtur ſibi contradicere, modò dicens cauſam primam agere prius naturaliter, quam cauſa ſecunda agat, modò aſſerens agere ſimul. Primum aſſerit in primo diſ. 8. quæſt. 5. in calce dicens, nulla cauſa ſecunda cauſat, niſi prima cauſa cauſante cauſatum eius, & hoc prius naturaliter, quam ipſa cauſa proxima cauſet, & in 4. diſ. 13. quæſt. 1. §. de 3. artic. dicens, cauſa ſecunda dicitur mouens motum, non quia recipiat motionem à prima, per quam moueat, ſed quia in motione ſua dependet ab alia prius naturaliter actu mouente. Secundum aſſerit in primo diſ. 2. quæſt. 2. §. quantum ad prim.ar. vbi ait, omnes cauſæ per ſe, & eſſentialiter ordinatæ ſimul neceſſariò requiruntur ad cauſandum, alioquin alia per ſe cauſalitas deeſſet effectui, & in 4. diſ. prima q. 1. ad vltim. agere in virtute alterius eſt tantum habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in ſuo ordine ſimul, & diſ. 12. quæſt. 3. §. hic eſt opinio, influentia, quam recipit agens inferius à ſuperiori, non eſt aliqua forma tunc cauſata, ſed eſt tantum ordo determinatus cauſarum in ſimul cauſando, & in quolib. quæſt. 8. §. de tertio artic. & in tertio diſ. decimaſeptima §. ſi autem teneatur, inquit, quia Deus non operatur niſi voluntate liberè agente, & determinante ſe ad operandum, & tunc Deus operatur cum ea.

Pro conciliatione huius contradictionis quærendum eſt prius, quæ nam ſit iſta dependentia, & quis ſit ordo, & ſimultas naturæ, propter quod dici poſſit cauſam primam, & ſecundam ſimul natura, & non ſimul natura agere.

Prima opinio eſt Patris Vulpes diſput. 30. artic. 8. num. 5. qui expli-

explicat hanc dependentiam cauſæ ſecundæ à prima in agendo ſimul,& adducit Scotum in 4.diſ. 12.q.3.§.hic eſt opinio, vbi ait, influentia,quam recipit agens inferius à ſuperiori, non eſt aliqua forma tunc cauſata, ſed eſt tantum determinatus ordo cauſarum in ſimul agendo, ſed non benè aduertit auctor iſte in illo propoſito putans non poſſe eſſe aliam dependentiam agendi niſi illam, quæ eſt in ſimul cauſando, vel in non poſſe cauſare ſine alio, etenim loquitur ibi Scotus de accidente reſpectu ſubſtantiç, quod dicitur cauſare in virtute ſubſtantiæ, quatenus ſeparatum ab illa non poteſt concurrere ad productionem ſubſtantię, & etiam vnitum cum illa,non poteſt agere ſine ſubſtantia actu agente; & hoc intelligitur non quod accidens ſua virtute, vel virtute mendicate à ſubſtantia producat ſubſtantiam, ſed quod ipſo agente ſua virtute ad diſpoſitiones ad ſubſtantiam, & ſubſtantia ſua virtute ſimul agente ad formam ſubſtantiæ ſic ſimul producunt accidens diſpoſitiones,& ſubſtantia formam ſubſtantialem,ita vt accidens non agat ſine ſubſtantia ſimul agente, & hoc pacto intelligitur iſte modus dependentiæ ab alio in agendo cum illo, non tamen hic modus excludit alium modum agendi ab alio,ideſt in agendo ab illo,quæ eſt vera propria,& formalis dependentia ab alio, vt ſupra probatum eſt. Rurſus idem Vulpes tom. 1. p. 2. diſput. 5. c. vi. hanc dependentiam ponit ſolum in eo, quod Deus ad agendũ mouet,& applicat cauſas ſecundas, quatenus illis ad coagendum aſſiſtit,vel ſe illis paratum reddit,& fundatur in Scoto in 3.diſ. 17. ad prim. vbi ait, Deus non operatur ad actum voluntatis noſtræ, niſi voluntate noſtra liberè agente, & determinante ſe ad operãdum, ſi tamen legantur ſequentia verba Scoti apparebit, quod pura dependentia non ſtat in ſimul agendo cum alio,ſed ab alio; nam ſubdit ſtatim Scotus,licet tamen illhic non ſit prima libertas,& dominium,ſed in voluntate Dei. Prima autem libertas,& primum dominium actionis præcisè, & formaliter conſiſtit in determinando ſe,& alia concurrentia ad actionem, ergo dependentia,quam tradit ibi Scotus, formalis præcisè conſiſtit in determinatione cauſæ primæ in ſecundam, quamuis etiam cauſa ſecunda, quæ libera eſt ſe determinet; quia ſubdit ibi Scotus,ſed tamen eſt ibi,ideſt in voluntate creata tanta libertas, & dominium quanta poteſt eſſe in creatura. Primum tamen dominium eſt in Deo,quo determinat alias cauſas etiam liberas,in quo prç-

 cisè,

Digitized by Google

ciſè,& formaliter conſiſtit dependentia,& eſſentialis ordo,atque ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam,ideſt in agendo ab illa ; falſum eſt igitur non aliter Deum mouere cauſas ſecundas ad agendum,niſi quatenus illis ad coagendum aſſiſtit,vel ſeparatum reddit,quia mouere,& applicare quid aliud denotat,quam aſſiſtere,vel ſeparatum reddere ad coagendum.

Secunda opinio eſt Patris Suar.lib.1.de ſcientia futurorum cõtingentium c. 7. vbi negat prioritatem primæ cauſæ in agendo non ſolum eam, quæ dicitur prioritas in quo, ideſt in ſubſiſtendi conſequentia,ſed eam,quæ dicitur prioritas,à quo,ideſt in cauſalitate, ſic dicens tota ratio repugnantiæ inter decretum phyſicè determinans voluntatem,& libertatem poſita eſt in cauſalitate, non in ſubſiſtendi conſequentia;nam etiam cauſa neceſſitans poſita in actu non eſt prior ſuo effectu in ſubſiſtendi conſequentia , & tamẽ propter anteceſſionem in cauſando libero vſui inferioris cauſæ repugnat.

Contra hanc opinionem arguitur, nam Suarez vel confundit terminos,vel non probat totum ſuum intentum. Primum probatur. Nam omnes rationes,quibus probat determinationem phyſicam tollere libertatem cauſæ ſecundæ, loquuntur vel de illa determinatione,quę recipitur in voluntate ſiuè per infuſam ſibi aliquam qualitatem,ſiuè per immiſſum in ſe influxum phyſicum, & hoc modo rectè probat, quod per talem determinationem tollitur libertas voluntatis,ſed hæc prioritas non ſolum eſt in causãdo, ſed etiam in ſubſiſtendi conſequentia ; quia antequam agat voluntas,vel ſic actu agẽs in aliquo priori inſtanti in quo naturæ determinatur,ac recipit qualitatem determinantem, & determinationem ad agendum, & ita eſt ſola anteceſſio, & prioritas in quo naturæ,ideſt in ſubſiſtendi conſequentia, quæ verè repugnat libertati,& benè concludunt eius rationes . Ex his ergo pręciſè rationibus non probatur repugnantiam eſſe inter decretum phyſicè determinans voluntatem,& libertatem eius propter anteceſſionem in cauſando,ſiuè prioritatem cauſalitatis; quod ſi eiſdem rationibus velit probare Suarez etiam prioritatem cauſalitatis contradicere libertati iam confundit terminos, nam ſupra probauimus, quod prioritas in ſubſiſtendi conſequentia contradicit libertati,non autem prioritas in cauſando,eſt igitur aliquis ordo, & prioritas inter cauſam primam,& ſecundam, quæ communi-

ter vocatur ordo naturę in cauſando, quis autē ſit iſte ordo cauſalitatis, variant Doctores. Nam alij dicunt eſſe prioritatem perfectionis, & independentiæ; alij cauſalitatis, & influxus in effectum; alij cauſalitatis in præmouendo cauſam ſecundam; omnes tamen in hoc conueniunt, quod prima cauſa dicitur prior natura, non quia prius in aliquo priori cauſet effectum, nam vel effectus bis produceretur, vel cauſa ſecunda nihil produceret, quia iam produxit prima in primo inſtanti, quod vtrumque eſt falſum.

Prima opinio eſt Patris Fonzecæ in 6. met. quæſt. 5. ſect. 8. aſſerentis, primam cauſam, & Deum prius agere duplici ratione. Primò, quia independenter, ideſt virtute, & efficacia non ab alio accepta. Secundò, quia effectus adæquatus primæ cauſæ eſt ipſum eſſe rerum, quod commune eſt omnibus effectibus cauſarum ſecundarum. Primam partem huius opinionis acceptamus, dummodo non ſit ſola independentia negatiua, vt ſonare videtur opinio, ſed etiam, & præcipuè poſitiua, ſecundum quam à prima dependet cauſa ſecunda in agendo. Secundam partem negamus, quia non pręcisè ſignificat cauſam eſſe primam, ſed dumtaxat eſſe communem; ideſt quatenus non præcisè prima cauſa concurrit ad effectus in ratione talis entis in ſpecie, ſed entis in communi, vt ens, & hac ratione ad omnes effectus ſecundarum cauſarum etiam concurrit. Quod ſi dicatur eſſe commune, & eſſe ſuperius idem ſignificare, ſicut animal reſpectu hominis, ſed eſſe ſic ſuperius eſt eſſe prius natura, ſicut animal eſt prius naturaliter homine; vnde Deus ſic exiſtens cauſa communis eſt etiam ſuperior, & conſequenter prior natura cauſis ſecundis in agendo cum illis, ſed hæc prioritas eſt naturæ in quo in eſſendo, vel in agendo, & ſic Deo cauſante cum cauſis ſecundis effectum communem tribueretur aliquod inſtans, in quo ipſe produceret effectum ſine cauſa ſecunda; vnde ſequitur, quod in ſecundo inſtanti, in quo cauſa ſecunda cauſat, iterum, produceretur effectus, quod eſt inconueniens dicere.

Secunda opinio eſt Coimbricenſis in 2. phyſ. q. 13. ar. 2. dicētis, cauſa dupliciter dicitur prior, vno modo, quo priora natura dicuntur quæ perfectiora ſunt, alio modo quo priora vocamus ea à quibus non retro commeat conſequutio. Prima pars eſt vera, & reducitur ad prioritatem à quo, vt infra patebit. Secunda

Digitized by Google

pars eſt falſa, quia illa eſt prioritas in quo, ſecundum quam prima cauſa agit in aliquo inſtanti in quo non agit ſecunda, ex quo ſequitur quod ſecunda vel nihil cauſaret, vel effectus bis cauſaretur.

Tertia opinio eſt Pat. Suar. in opuſcul. lib. 1. cap. 4. vbi ait; primò non prioritate cauſalitatis, ſed nobilitate cauſæ primæ, quæ altiori modo, & nobiliori, magiſque independenter influit. Secundò, vel quia influxus cauſæ primæ in quadam priori ratione fundatur; eſt enim neceſſarius eius influxus ex generali ratione entis creati, quæ in effectum cauſæ ſecundæ reperitur. Prima pars debet ſumere pro eadem prioritate cauſalitatis, & nobilitatis, vt infra probabimus. Secunda pars ſi intelligat, quod Deus concurrat ad effectus cauſarum ſecundarum non tantum in tali ſpecie, ſed etiam in ratione entis, quæ ratio eſt prior in quocumque effectu, ſed hoc vel non dicit prioritatem in cauſando, & ſic non eſt ad propoſitum quæſtionis, vel dicit ſolam prioritatem in ſimul cauſando, quatenus cauſa ſecunda non poteſt cauſare ſine prima, & ſic iſta non eſt formalis prioritas, ideſt ordinis, & ſubordinationis, ſed materialis, vt diximus.

Quarta opinio aſſerit primam cauſam eſſe priorem in agendo, quia præmouet antecedenter cauſam ſecundam, quæ ſi eſt naturalis ad actus naturales erit influxus ordinis naturalis per modum tranſeuntis; ad actus verò ſupernaturales eſt virtus, & forma ſupernaturalis addita naturæ, ipſamque eleuans. Colligitur ex D. Thom. in prima ſecundæ quæſt. 9. artic. primo in corpore, & in prima part. quæſt. 105. art. 3. & 3. contra gen. cap. 7. & ibi Ferrar. & Capreol. in 2. diſ. 1. quæſt. 2. & Zumelæ in prima part. qu. 8. art. 1. diſp. 2. hic tamen notandum eſt Thomiſtas fateri quidem ex locis allegatis colligi neceſſarium eſſe influxum primi mouentis, ſed non colligi, quid ſit antecedens cauſas ſecundas in illis receptum, ſed aſſerunt conſequenter hoc ſequi; nam ſi cauſa ſecunda dependet in operando à prima, ergo prima primò operatur, & mouet ſecundam, & probant ex D. Thom. in illo art. 5. qu. 105. primæ partis, vbi ait, Deus ſe habet cum cauſis ſecundis, ſicut artifex cum ſecuri, ſed artifex primò mouet, & applicat ſecurim ad ſcindendum, ergo. hoc autem præuium aliquando vocatur à D. Thom. determinatio, vt in prima ſecundæ quæſt. 10. art. 6. ad 3. vbi ait, interdum ſpecialiter mouet Deus aliquos

ad

ad aliquod determinatè volendum; aliquando vocatur applicatio, vt in prima p.q.105.art.5. ad 3. Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas in eſſe, & applicat eas ad agendū; & aliquando vocatur virtus, & complementum, vt in tract. de potentia quæſt. 9. arti. 7. ad 7. vbi ait, quod additur cauſæ ex influxu primæ eſt virtus quædam intentionalis, quæ eſt veluti inſtrumentalis virtus. Nos autem in præſentiarum non loquimur de Deo concurrente cum voluntate noſtra, ſi eius influxus in illa recipiatur, vel non? ſed de cauſis ſecundis naturalibus, in quibus ſiuè recipiatur influxus primæ, ſiuè non recipiatur, ſufficit cauſam primam eſſe priorem in agendo, & ſecundam eſſe poſteriorem, quatenus iſta agit ab illa, in quo præcisè, & formaliter conſiſtit prioritas agendi.

Quinta opinio, & nobis tenenda diſtinguit de ordine naturæ; alter eſt ordo in quo, qui propriè dicitur prius in ſubſiſtendi conſequentia, vt ait Suarez, vel à quo non retro commeat conſequutio, vt ait Coimbricenſis, & hic eſt ordo naturæ propriè dictus, ſecundum quem prius poteſt eſſe, vel agere ſine poſteriori; alter eſt ordo naturæ, à quo impropriè dictus ordo naturæ, quia propriè dicitur ordo originis, vel cauſalitatis ſecundum quem vnum eſt, vel agit ab alio; quapropter quod eſt prius ſecundum hunc ordinem poteſt dici eſſe independens, vt ait Fonzeca, vel perfectius, vt ait Coimbricenſis, vel nobilius, vt ait Suar. ſiuè eminentius, quæ quidem perfectio, nobilitas, & eminentia, & independentia ad hoc propoſitum conſiſtit in hoc præcisè, & formaliter, quod ab eo quod eſt ſic prius alia dependent vel in eſſendo, vel in agendo, & in hoc non benè inquit Suarez, vbi ſupra aſſerens Deum prius influere non prioritate cauſalitatis, ſed nobilitatis cauſæ primæ, quæ altiori modo, & nobiliori, & magis independenter influit. Hæc enim independentia non eſt accipienda ſic negatiuè, quatenus Deus agit independenter ab alio, ideſt non agit ab alio, ſed etiam ſumenda eſt poſitiuè, quatenus Deus eſt à quo omnia alia agunt, & hoc eſt propriè cauſare prius origine, & formaliter dicit perfectionem, nobilitatem, & eminentiam in eo, quod eſt ſic prius alio, quod colligitur ex Ariſt. 9. met. cap. 7. vbi ait, perfectiora ſunt priora ſecundum naturam, & ex Scoto in 1. diſ. 17. quæſt. 2. ad 2. de ſecunda via dicente, cum igitur dicis, quod prius operatur Spiritus Sanctus, quam voluntas habeat

beat charitatem falſum eſt, niſi intelligatur de prioritate eminētiæ, ſicut cauſa ſuperior, & diſ. 28. q. 3. §. ad quæſtionem prioritas naturæ vno modo eſt prioritas ſecundum perfectionem, & in 2. diſ. 37. qu. 2. §. ad ſolution. iſtor. agit prius natura hoc eſt perfectius vna cauſa, quam alia, & in 4. diſ. 49. quæſt. 3. §. ad quæſtio; cauſa prior immediatius attingit effectum, quia perfectius, quia tota attingentia poſterioris eſt in virtute prioris, ex quibus verbis colligitur, quod agere prius conſiſtat in hoc ſolum, quia agit perfectius, aut eminentius, aut nobilius, & quia attingentia poſterioris eſt in virtute prioris, quod propriè, & formaliter eſt depēdere ab alio in agendo ab illo.

Concluſio igitur noſtra eſt, quod hic ordo naturæ in agendo præcisè, & formaliter dicitur ordo cauſalitatis, vel originis, & à quo; ſecundum quem ordinem cauſa prima agens ſimul cùm ſecunda eſt à qua agit cauſa ſecunda, & non è contra, & affatim probata manet in ſupradictis.

Pro tollendis autem contradictionibus, quæ videntur eſſe in dictis Scoti dicendum nequaquam ſibi contradicere; quoniam in illis locis, in quibus ait, cauſam primam, & ſecundam agere ſimul natura, loquitur de ſimultate naturæ propriè ſumpta, & in quo, vt in loc. cit. 2. diſ. 37. qu. 2. §. ad ſolutionem, prioritas quæ includit ea poſſe eſſe ſine ſe inuicem abſque contradictione non eſt ordo in cauſis, vt cauſant effectum communem, ſed ſimul cauſant, in locis autem vbi ait, primam cauſam cauſare prius natura, quam ſecundam loquitur de prioritate naturæ impropriè dicta, & à quo, quæ propriè dicit ordinem originis, & perfectius, atque independenter agere non præcisè negatiuè, ſed poſitiuè, ideſt à qua alia cauſa agit.

Primò ex dictis ſequitur, quod cauſa prima, & ſecunda quando ſunt eſſentialiter ordinatæ neceſſariò ſimul agunt, & neceſſariò non ſimul agunt, ideſt ſimul natura propriè, & in eodem inſtanti in quo, & non ſimul natura impropriè, ideſt non ſimul origine, nec in eodem inſtanti à quo. Primum probatur à Scoto in 1. diſ. 2. qu. 2. in tertia differentia cauſarum eſſentialiter ordinatarum, vbi ait, omnes cauſæ per ſe, & eſſentialiter ordinatæ ſimul neceſſariò requiruntur ad cauſandum, alioquin aliqua per ſe cauſalitas deeſſet effectui. Secundum probatur ibidem in prima differentia, vbi dicitur, in cauſis per ſe ordinatis cauſa ſecunda dicitur

in

in quantum dependet à prima, & vtrumque ſimul probatur ex quolib. q. 4. §. contra iſta arguitur, vbi ait, confirmatur quia quod neceſſariò dat eſſe perfectè alteri ex hoc neceſſariò eſt prius origine illo, & ſimul natura cum eo, ita quod non poteſt eſſe ſine eo, non eſt ergo repugnantia inter eſſe prius origine, & eſſe ſimul natura, ſed neceſſaria concomitantia, quando eſt perfecta origo, & completa. Subinfero, ſed ſic eſt ad propoſitum, nam cauſa ſecunda eſſentialiter ſubordinata primæ neceſſariò agit à prima, & ſic eſt poſterior origine illa, & neceſſariò agit cum prima, quia non poteſt agere ſine illa, & ſic neceſſariò agit ſimul natura cum illa.

Secundò ſequitur, quod contrario modo ſe habent dependentia in agendo ab alio, & dependentia in agendo cum alio; Nam prima prouenit ex prioritate naturæ impropriè ſumpta, quę propriè dicitur prioritas originis, ſiuè cauſalitatis, quæ conſiſtit in hoc, vt prius ſit à quo alius agit. Secũda prouenit ex ſimultate naturæ propriè dicta, quę eſt ſimultas, qua vnum ſimul cum alio agit effectum communem, quinimò prima cauſa hoc modo nõ poteſt agere ſine ſecunda in primum effectum communem, quia ſi in aliquo inſtanti priori produceret illum effectum ad hoc vt ille effectus dicatur communis primæ, & ſecundæ cauſæ de nouo deberet ſecundò produci, ideſt in ſecundo inſtanti, quod eſt inconueniens.

Tertiò ſequitur primam dependentiam neceſſariò eſſe cum ordine, ſcilicet prioris, & poſterioris ſiuè ſuperioris, & inferioris cauſæ, qui eſt ordo originis, & cauſalitatis, & ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam, licet ſit ſine vllo ordine naturæ. Secunda verò dependentia neceſſariò eſt ſine vllo ordine tum originis, vel cauſalitatis, quia ſic vna cauſa non agit ab altera, tum temporis, vel naturæ, quia vna non agit ſine altera, nec prius, ſed ſimul cum illa.

Quarto ſequitur, primam dependentiam, ideſt in agendo ab alio eſſe propriam dependentiam, atque formalem, quia eſt ſubordinatio cauſæ ſecundæ ad primam propter ſui inferioritatem. Secundam verò dependentiam, ideſt in agendo cum alio eſſe impropriè, & materialem, quia eſt ſimplex indigentia concurſus alterius cauſæ in agendo propter ſui inſufficientiam.

Quintò ſequitur, ordinem, qui eſt inter cauſam primam, & ſecundam

cundam eſſentialiter ordinatas propriè loquendo eſſe ordinem originis,non ordinem naturæ propriè dictum, imò ordo naturæ repugnat in cauſis eſſentialiter ordinatis, quia omnes iſtæ ſimul neceſſariò requiruntur ad cauſandum; alioquin ſecundum Scot. in 1.diſ. 2. q. 2. §. quantum ad primum ar. aliqua per ſe cauſalitas deeſſet effectui, cauſalitas in quam cauſę ſecundę,ſi a prima prius natura produceretur effectus, & ita diſſolueretur ordo, & dependentia eſſentialis, nam cauſa ſecunda non produceret illum effectum,& ſic eſſet cōtradictio, eſſet enim ordo ſine ordine eiuſdem rationis. In cauſis autem accidentaliter ordinatis ſine diſſolutione alicuius ordinis poteſt vna cauſa ſine altera producere, nam Filius productus a ſuo Patre generat Filios,& producit alios effectus ſine ſuo Patre; quia non dependet a Patre in cauſando; ita etiam vna cauſa partialis poteſt ſine altera partiali cauſare, quia poteſt intendi eius virtus,vt ſufficiat pro toto effectu, vt patet de duobus trahentibus nauim, non ſic autem poteſt intendi virtus cauſæ ſecundæ,quæ habet eſſentialem ordinem ad primam cauſam,vt poſſit ſine illa producere, quia effectus ille haberet eſſe in participatum à cauſa prima, quod eſt impoſſibile, & conſequenter ordo originis, & ſimultas naturæ neceſſariò requiruntur in cauſis eſſentialiter ordinatis, & ſunt de eſſentia ſubordinationis eſſentialis.

Sextò ſequitur,quod ordo in agendo inter cauſam primam, & ſecundam non eſt ordo naturæ ſecundum quem vnum poteſt agere ſine alio,ſed eſt ordo originis, & a quo ſecundum quem vnum agit ab alio. Primum probatur, quia prima cauſa cauſans cum cauſa ſecunda non ſolum non habet efficientiam ſine efficientia cauſæ ſecundæ, ſed neque poteſt habere; alioquin ſi poſſet in tali caſu effectus procederet a cauſa prima tantum, & cauſa ſecunda inueniret effectum iam productum a prima, & ſic non eſſet ordo in tali effectu producendo, quod eſt contra ſuppoſitum admittens ordinem,ita Scot.in 3.diſ.17.q.vn.prope finem inquit,Deus non operatur,niſi voluntate operante. Secundum probatur,nam cauſa prima dicitur in cuius virtute cauſa ſecunda agit,vnde cauſa ſecunda a prima habet originem agendi, ſicut eſſendi, vt latius probatum eſt in 5.notabili.

Septimò ſequitur, quod iſte ordo cauſalitatis non eſt præciſè vt cauſa ſecunda nō cauſet,niſi ſimul cauſet & prima,nec eſt quatenus

tenus cauſa prima non ab alio, ſed à ſe ex ſui virtute cauſat, ſed præcisè eſt vt cauſa prima ſit a qua,& in cuius virtute cauſa ſecũda cauſat,& ſecunda ſit quæ a prima,& in virtute primæ cauſat. Probatur ex Scot. in 2. diſ. 1. q. 1. §. quantum ad hoc verſ. intellige, vbi ait, prius origine non tantum dicit eſſe a ſe, vel nõ ab alio, ſed à quo alter, alioquin cauſa prima,& ſecunda ęquè ſimul & natura,& origine producerent effectum; agere igitur prius origine, vel in primo inſtanti originis eſt eſſe agens a quo alius agit, & agere poſterius origine, vel in ſecundo inſtanti originis eſt eſſe agens, qui ab alio agit.

Octauò ſequitur, quod iſte ordo originis vel cauſalitatis inter cauſam primam,& ſecundam non eſt ordo rationis, & intentionalis (vt Fauentinus aſſerit cum alijs vbi ſupra), ſed eſt ordo realis, quo realiter prima cauſa dicitur prius cauſare, quam cauſa ſecunda, etiam quando ſimul agunt. Probatur, quia cauſa prima realiter eſt prima in ſuo genere,& in ſuo ordine, propter quod dicitur à quo realiter alius agit, & cauſa ſecunda eſt ſecunda in genere cauſæ,& in ſuo ordine, propter quem dicitur quæ realiter cauſat à prima, vnde Scot. in 3. diſ. 17. in calce inquit, in Deo eſt prima libertas, & primum dominium, & in voluntate noſtra eſt tanta libertas, quanta poteſt eſſe in creaturis, ſed habere primum dominium,& ſecundum dominium eſt quid reale, quare.

Nonò ſequitur, quod iſte ordo originis eſt ordo ſecundum quid non ſimpliciter. Probatur ex Scoto in 2. diſ. prima quæſt. 1. §. quantum ad hoc, vbi diſtinguit originationem ſimpliciter & ſecundum quid; per primam originans ponit originatum in eſſe ſimpliciter; per ſecundam non ponit aliquid in eſſe ſimpliciter; ſed in aliquo alio eſſe, vt in agendo, vel in aliquo officio, vel alio modo; ordo igitur originis ſimpliciter eſt ſecundum quem vnum in eſſendo procedit ab alio,& ordo originis ſecundum quid eſt ſecundum quem vnum dependet in agendo, ideſt agit non à ſe, ſed ab alio, vt à cauſa priori, vel ſuperiori.

Decimò ſequitur, quod iſte ordo originis in agendo inter primam,& ſecundam cauſam eſt eſſentialis, non accidentalis. Probatur ex Scot. in 1. diſ. 2. q. 2. §. quantum ad prim. vbi ponit triplicem differentiam inter cauſas eſſentialiter, & accidentaliter ordinatas. Prima differentia eſt, quod in cauſis per ſe,& eſſentialiter ordinatis cauſa ſecunda in quantum cauſa dependet à prima

in

in accidentaliter autem ordinatis minimè,quamuis in eſſe,vel in aliquo alio dependet. Secunda differentia eſt, quod in cauſis per ſe ordinatis cauſalitas eſt alterius rationis, & alterius ordinis, quia ſuperior eſt perfectior, quod eſt eſſe alterius rationis, & independens ſeù mouens non mota, quod eſt alterius ordinis, ideſt ſuperioris, in accidentaliter autem ordinatis minimè. Hæc ſequitur ex prima,nam nulla cauſa à cauſa eiuidem rationis, & ordinis dependet eſſentialiter in cauſando, quia in omni actione alicuius ſufficit vnum vnius rationis,& ordinis. Tertia differentia eſt, quod omnes cauſæ per ſe, & eſſentialiter ordinatæ ſimul neceſſariò requiruntur, alioquin aliqua per ſe cauſalitas deeſſet effectui,in accidentaliter autem ordinatis non ſit eſt,quia non requiritur ſimultas earum in cauſando; ſed omnes hæ tres differentiæ probatæ ſunt in ſuperioribus inueniri inter cauſam primam, & ſecundam quoad conditiones quæ competunt cauſis eſſentialiter ordinatis; igitur hic ordo originis, ſeù cauſalitatis eſt eſſentialis,non accidentalis.

Vndecimò ſequitur, quod iſte ordo originis ſtat cum ſimultate naturę,probatur ex Scoto in 1.diſ.28.q.3.§.ad quęſtionem iſtam, vbi ait,aliquid eſt prius origine in creaturis, & ſimul natura cum eodem; hæc autem prioritas originis eſt quod vnum ſit, aut agat ab alio, & in quodlib.q.4.§.contra iſta arguitur,inquit, ſic eſt de ordine,originis,quo quis eſt ab alio,& ordine naturæ, quo prius poteſt eſſe ſine poſteriori;ordo originis nec iſtum includit,nec neceſſariò præexigit, aut coexigit, igitur poteſt ſtare cum ſimultate oppoſita iſti ordini naturæ,& in 2.diſ.1.q.1.§.quantum ad hoc ait, in ſecundo inſtanti naturæ poteſt aſſignari quidam ordo originis,qui eſt intelligere à ſe,& ab alio,& diſ.37.q.2.§.ad ſol. ait, reſpondeo, & dico, quod prioritas, quæ includit poſſe eſſe ſine ſe inuicem abſque contradictione (quæ eſt prioritas naturæ ſecundum Scotum ibid.) non eſt ordo in cauſis, vt cauſant effectum cōmunem, ſed ſimul cauſant, cum qua tamen ſimultate naturæ ſtat prioritas originis,& cauſalitatis, quia quamuis non prius natura materia materiet, quam efficiens efficiat, cum tamen ex Ariſt.2. phyſ.tex.39.& 5.metaphy.c.2. cauſa efficiens ſit primum principium mutationis, & ſubiecti, quamuis aliæ cauſæ ſint primæ in ſuo genere cauſandi,tamen abſolutè, & ſimpliciter in toto genere cauſarum efficiens eſt primum, vndè motus, ideſt eſt primum

princi-

principium motus,& mutationis, ita ſimiliter quamuis ſimul natura agit cauſa prima,& ſecunda,& voluntas ſit prima in ſuo genere,& ordine,ideſt in genere, & ordine cauſæ ſecundæ reſpectu aliarum cauſarum , tamen Deus in genere cauſæ eſt ſimpliciter primum principium motus,& in quodlib.q. 8. §. de 2. ar. verſ. ad iſta reſpondeo ait, ordo in cauſando poteſt intelligi vel vt actio reſpicit producens,vel at reſpicit productum. Si primo modo eſt ordo auctoritatis,& ſubauctoritatis , quia ille eſt inter ſuppoſita agentia in habendo principium formale agendi pro quanto,ſcilicet vnum illorum habet illud ab altero. Secundo modo non eſt hic ordo , quia non prius ponitur creatum in eſſe per actionem Patris,& poſtea ſequitur actio Filij; ſed virtus cauſandi ordinatè ſecundum ordinem originis habetur in vtroque prius natura , quam terminus producatur, & iſta virtute habita à tribus in eodẽ ſigno naturæ,completo tamen toto ordine originis,ponitur effectus omninò ſimul a tribus,quod ergo dicitur, quod prius cauſatũ non poteſt poſterius cauſari concedatur referendo prius,& poſterius ad ipſum cauſari; ſi autem referatur ad cauſantia , cum vna cauſet ab alia dicitur vna cauſare prius,quia à ſe,altera poſterius quia ab alia cauſa, ita ad propoſitum effectus productus ſimul natura à Deo , & voluntate noſtra prius cauſatur à Deo,quia à ſe cauſat , poſterius à voluntate , quia ab alio , ideſt à Deo cauſat ; itaque benè dicitur prius cauſari ab vno,poſtea cauſari ab alio , ideſt cauſatur ab vno a ſe,& ab alio non à ſe, ex quo non ſequitur idem bis cauſari , quia ſimul cauſatur ab vno à ſe , & ab alio non à ſe.

Duodecimò ſequitur , quod hæc ſimultas naturæ poſitiua ſtat cum ſimultate naturæ negatiua , vel priuatiua ſecundum quam Scotus multis in locis inquit,primam cauſam producere effectum prius natura quam ſecunda ; Nam in 1.diſ.8. q. 6. in calce inquit, nulla cauſa cauſat , niſi prima cauſa cauſante cauſatum eius , & hoc prius naturaliter , quam ipſa cauſa proxima cauſet , & diſ. 28. q. 4. §. ad quæſtio. verſ.ad hoc etiam adducitur Auicen.6.metaphy. vbi videtur velle , quod cauſa in quantum cauſa prior ſit natura cauſato in quantum cauſatum , & tamen cauſa in quantum cauſa eſt ſimul cauſato ſimultate requiſita ad correlatiua,quę eſt ſimultas naturę,ex quo concludendum eſt benè compati prioritatem naturæ priuatiuam ſecundum quam cauſa poteſt eſſe ſine

effe-

Digitized by Google

effectu, & prima cauſa quantum eſt ex ſe poteſt cauſare ſine ſecũda cum ſimultate naturæ poſitiua, ſecundum quam cauſa, & effectus ſimul ſunt, & cauſa prima, & ſecunda ſimul cauſant. Hoc autem acutiſſimè declaratur ab eod. Scot. in 3. diſt. 3. q. 1. §. reſpondeo, vbi ait, prius natura poteſt aliquid dici prius poſitiuè, quia ipſum ineſt alicui, & prior eſt entitas eius quàm illa, quæ dicitur poſterius natura in eſſe illi, ſicut eſt de animali, & rationali in homine, de ſubſtantia, & accidente in compoſito per accidens, de materia, & forma reſpectu compoſiti per ſe. Alio modo prius natura dicitur eſſe vnum alio quaſi priuatiuè, quod ſcilicet non ineſt ei, cui dicitur primò conuenire, ſed in eſſet ei, niſi per aliud impediretur, ſicut ſi dicatur in materia prius naturaliter eſſe priuatio quam forma, non quidem quod iſta duo ſint ſimul in materia, ita quod priuatio prius inſit quam forma, ſed priuatio pro tanto poteſt dici prius natura, & prius natura eſſe in materia quam forma quia priuatio ſemper ineſſet in materia niſi ab aliquo agente reciperet formam; ita quod ad habendum priuationem ſufficit ſola materia cum negatione, vel priuatione cauſæ extrinſecæ, ad habendum autem formam requiritur cauſa extrinſeca. Ad propoſitum applicando hanc doctrinam, actio Dei quatenus Deus cauſat effectum cum cauſa ſecunda eſt prior naturaliter actione cauſæ ſecundæ, & Deus prius natura agit quam cauſa ſecunda, non quod in aliquo inſtanti poſitiuo ſit actio Dei, & non ſit actio cauſæ ſecundæ, ſed pro tanto dicitur Deus prius agere, quam cauſa ſecunda, pro quanto ſi cauſa ſecunda non cauſaret, adhuc Deus cauſaret eumdem illum effectum; quia Deus ad producendum effectum non neceſſariò requirit cauſam ſecundam, nec indiget illa, cum poſſit ex ſua ſola virtute, & actione cauſare, quod nõ contingit de cauſa ſecunda, quæ non poteſt ſine prima cauſare, & nõ obſtante quod dicatur Deus ſic priuatiuè, non poſitiuè prius natura cauſare, quam cauſa ſecunda, benè tamen dicimus ipſum actum cauſare prius natura, quam ſecunda, quia actu non indiget actione cauſæ ſecundæ, quando cauſat ſimul cum illa in eodem inſtanti naturæ poſitiuo.

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Pater genuerit Filium voluntate, vel volens.

IN tres partes diuiditur iſta quæſtio. Prima, vtrum Pater generat Filium voluntate, vt principio productiuo, & elicitiuo proximo, & immediato. Secunda, vtrum ſi voluntas non eſt principium elicitiuum ſaltem ſit principium applicãs intellectum ad generandum. Tertia, vtrum ſi voluntas nullo modo iſtorum ſit principium, ſaltem ſe habeat ad gignitionem Filij, tamquam ad obiectum volitum, & hoc etiam tripliciter intelligi poteſt nimirum an antecedenter, an concomitanter, an conſequenter.

De prima parte quæſtionis eſt primò hęreſis Arianorum propter quos mouetur quæſtio, cum enim ipſi admittant Filium Dei eſſe creaturam, neceſſariò aſſerunt produci a voluntate ipſius, vt à principio productiuo, & elicitiuo, quippè qui cum ſit creatura, poteſt eſſe, & non eſſe, vel ſaltem, vt a principio applicante intellectum, quia potuit applicare, & non applicare intellectum, ad creandum Filium, cum creatio ſit accidentaria.

Secundò eſt Hylar. lib. de Synodis in definitionib. profeſſion. Chatolicar. contra fotinum ſecũdum Synodum Orientis, vbi ait, ſi quis dixerit, quod neq; volũtate Pater genuerit Filium anathematizat Sancta, & Chatolica Eccleſia.

Prædicta tamen hæreſis Ariana, damnata eſt in multis Concilijs, tamquam derogans diuinitati Filij, vt dicitur in definitionib. Synod. 6. in definit. 34. ſi quis de voluntate Dei, tamquam vnum aliquod de creatura factum dicat Filium anathema ſit.

Hylarius autem, qui in illis verbis aſſentiri videtur Arianæ hęreſi exponitur, quod Pater voluntate, ideſt volens, vel voluntariè genuit Filium, vt infra amplius explicabimus.

Dicendũ igitur eſt, quod Pater nõ genuerit Filium volũtate, vt principio productiuo, & elicitiuo, ꝙ probatur ſic. Principiũ perfectũ ſimpliciter non requirit cõprincipiũ ad ſuũ actũ, ſed ſimpliciter perfectum principiũ eſt memoria Patris, in producendo Filiũ, ergo nõ poteſt copulari volũtati, vt cõprincipio ad producẽdũ Filiũ. Secundò in diuinis quodlibet principiũ productiuu habet ſuũ terminũ productũ ſibi intẽſiuè, & extẽſiuè adæquatũ, ſed

voluntas eſt huiuſmodi principium Spiritus Sancti, ergo non poteſt eſſe principium productiuum Filij.

De ſecunda parte quæſtionis ſunt plurimæ auctoritates, D. Aug. in lib. xi. de Trin. ubi ait, voluntas quæ ipſa quomodo foris corpori obiecto formando ſenſum admouebant, formam tamquam iungebat, ſic aciem, ac recordantis animi ad memoriam conuertitur, & cap. 4. & xi. ait, voluntas verò illa, quæ hac, vel illac fertur, atque refert aciem formandam, coniungitq; formatam, ſed in anima noſtra eſt imago Trinitatis, ſicut ergo hic in anima noſtra volũtas coniungit intellectum cum obiecto ad producendum verbum, ita in diuinis ad producendum Verbum Diuinum, ac per conſequens voluntas eſt principium, applicans etiam ibi in diuinis, idem ait Aug. 9. de Trin. cap. 7. vel 19. Verbũ amore concipitur, & cap. 11. & 27. notitia placita dignè amata verbũ eſt, nimirùm in quantum voluntas placidè mouet, vel imperat intellectui, vt producat verbum placidè, & beneuolè.

Hoc idem ſuadet ratio allata à Scoto in 1. diſ. 6. qu. vn. nam ſi productio intellectionis, & verbi noſtri eſſet mærè naturalis, & nullo modo eſſet in poteſtate voluntatis conſequenter ſequitur, quod intellectus noſter, ſemper haberet eamdem notitiam de eodem obiecto, conſequens eſt falſum, ergo, & antecedens; ſequela probatur, nam fortius non poteſt vinci à minus forti, loquendo de actione illorum naturali, non de extrinſeca, vel artificiali, ſed obiectorum intellectus vnum fortius mouet intellectum, quã alterum, igitur in mouendo naturaliter non poteſt vinci ab alio minus forti, & per cõſequens ſi non adderetur res aliqua, aut vis extrinſeca minus forti obiecto, nempè imperium voluntatis, quæ amoueat intellectum à fortiori obiecto ad minus forte mouens, nunquã ab alio obiecto moueretur intellectus, niſi ab eodem ſemper fortiori, & ità non poſſet intelligere aliud obiectũ; ſed oppoſitum experimur, nam ex vno millies in die tranſigimus ad alia obiecta intelligenda, igitur cõcurrit voluntas ad talia verba producenda applicando intellectũ noſtrum, ſic eſt etiam in diuinis in productione verbi, nempè Pater vna intellectione, & notitia ingenita habita per applicationem voluntatis producit aliã notitiam genitam, ideſt Verbum ſecundam perſonam.

Dicendum tamen nobis eſt voluntatẽ diuinam nullo pacto ſe habere, vt principiũ applicans nimirũ intellectũ ad producendũ ver-

verbũ,ſicut è contra multoties occurrit in nobis,de quibus diuerſa eſt ratio, probatur ratione iſta diuerſitas, nam ideò in nobis per voluntatẽ applicantẽ intellectum multoties ipſe producit notitiã,quia poſt primam notitiam, circa quã nullum actum habet volũtas applicãdi,quia cũ ſit prima eſt mærè naturalis,nos habemus plures alias notitias,& dictiones,ideſt plures actus intelligẽdi,& actus dicendi,ità quod ſi in nobis non eſſet,niſi primus actus dicendi,& intelligendi, volũtas nõ poſſet applicare intellectũ ad alios actus,nec eſſe huius modi principiu applicãs,ſed in Deo eſt vnus tantũ actus intelligendi,& vnus actus dicẽdi,igitur voluntas diuina circa hos actus non poteſt habere aliquẽ actũ applicandi.

Contra hanc opinionem arguitur,quamuis circa primam notitiam ingenitam, & actum dicendi Verbum voluntas, non poſſit habere actum applicandi, poteſt tamen habere nouam notitiã genitam, ideſt ipſum Verbum. Ad hoc reſpondent aliqui, quod vt voluntas habeat actum applicandi intellectum ad producendum Verbum, non ſolum dicitur principium Verbi, ſed etiam gignitionis Verbi dumtaxat principium applicans, quinimò magis gignitionis; quia ad gignendum applicat, ſed non habet voluntas diuina actum circa gignitionem Verbi diuini; quoniam ſicut primus actus intelligendi præcedit omnem actum volendi, ſic primus actus producendi, & gignendi præcedit omnẽ actum ſpirandi, ergo neque habet actũ reſpectu Verbi diuini.

Sed contra iſtam reſponſionem arguitur, quamuis actus ſpirãdi ſit poſterior actu dicendi, eſt tamen prior actus volendi quippè qui eſt eſſentialis, igitur voluntas hoc actu volendi applicare poteſt intellectum ad actum dicendi. Reſpondetur, prioritas actus volendi nihil facit ad actum dicendi, ſi quidem ille eſt liber, iſte eſt neceſſarius, & mærè naturalis, ſupra quem actus volendi nullum actum, aut diſpoſitionem habere poteſt, & alia ratio eſt de actibus intelligendi, & dicendi noſtris poſt primam intellectionem, quia iſti nobis in nobis ſunt liberi per participationem, cuius modi non eſt gignitio Verbi diuini.

Ad auctoritates Auguſtini reſpondetur, veras eſſe in nobis, in quibus ſunt plures actus intelligendi, & dicendi, & ità quamuis circa primũ actũ intelligendi,& dicẽdi non habeat aliquã actionẽ noſtra volũtas; cũ ſint illi mærè naturales,& priores quocũq; actu volũtatis, circa alios tamen actus poſteriores poteſt habere

voluntas rationem principij dumtaxat imperantis, & applicantis intellectum ad illas, & remouentis ipſum à prima illa intellectione, & dictione, quos quidem actus voluntas in Deo habere non poteſt, cum illi ſit vnicus actus intelligendi, & vnicus dicēdi.

Sed contra replicat Scotus, quod Auguſtinus ponit in nobis tertiam partem imaginis in hoc, quod voluntas habet coniungere parentem cum prole, nempè intellectum cum notitia, igitur iſte actus neceſſariò ponendus eſt in Deo, ſicut in nobis, ac per conſequens voluntas in Deo eſt principium copulans intellectū cum notitia, & hoc pacto eſt principium notitiæ, & completur in nobis imago Trinitatis. Reſpondetur, quod licet aliquando in hoc aſſimilet Auguſtinus, tamen ex profeſſo, & vera ſui intentione exponit tertiam partem imaginis in actu voluntatis, qui eſt amor ab ea productus circa diuinam eſſentiam, & notitiam etiā genitam, quæ eſt actus ab intellectu productus pro ſecunda parte imaginis ita enim eſt imago Trinitatis, memoria intellectus, & voluntas noſtra, quod intellectus, & voluntas nō accipiantur pro potentia, ſed pro actu producto, ideſt pro notitia, & amore productis, & ſic notitia producta noſtra aſſimilatur Verbo, & amor noſter productus aſſimilatur Spiritui Sancto, nam intellectus, & voluntas ſunt potentiæ, ſed potentiæ, & vires productiuæ, Verbi, & Spiritus Sancti non ſunt ipſum Verbum, & Spiritus Sanctus productus, vt patet, illud ergo copulare voluntatem parentem, cū prole, vel ipſam voluntatem, vt principium, non ponitur pro tertia parte imaginis. i. Spiritus Sāti, quin potius eſt principiū tertiæ partis, ideſt Spiritus Sancti, & per conſequens argumentum nullum. Vndè Aug. de Trin. lib. 9. cap. vlt. ait, eſt igitur quædam imago Trinitatis ipſa mens, & notitia eius quæ eſt proles eius, ac de ſe ipſa Verbum eius, & amor tertius.

Ad rationem autem reſpondetur, quod intellectui paterno nō fit aliqua auerſio ab illa prima notitia ingenita ad notitiam genitam producendā per imperiū voluntatis, imò illa manente neceſſariò ſequitur ſecunda neceſſitate naturæ, quæ natura cum ſit fecunda, non poteſt non parere, ſed ipſa nullo alio adminiculo extrinſeco, ſeù imperio, vel applicatione voluntatis interueniēte parit, & ita manet intellectus diuinus perpetuo, circa idem obiectum, ideſt circa diuinam eſſentiam, nec ab illa poſſibile eſt auerto, & manet etiam perpetuò circa idem Verbum productū,

& pro-

& productionem Verbi, nulla applicatione præſuppoſita voluntatis, cum primus actus producendi intellectus naturaliter præcedat actum producendi, & applicandi voluntatis etiam in nobis, vbi inuenitur talis applicatio, quia voluntas noſtra ad applicandum intellectum debet producere volitionem, qua velit applicare, quæ quidem volitio neceſſariò naturaliter præſupponit primum actum dicendi & intelligendi intellectus.

De tertia parte quæſtionis, vbi tres ſenſus colligunt Auctores.

Prima opinio eſt Henrici in ſum. in prima par. ar. 8. q. 2. Gotfredi quodlib 8. q. 4. & ex Recentioribus Vaſquez in prima par. diſpu. 160. c. 3. hi omnes aſſerunt actum illum voluntatis, quo Pater vult generare Filium, vel volens generat Filium, vel qui fertur circa generationem Filij (quia nullus catholicus negauit vnquã iſtam, Pater volens genuit Filium) eſſe poſteriorem actum producendi Verbum, & ſic eſſe ſimplicem complacentiam de Verbo producto, eiuſuè productione, ipſum tamen Verbum produci à Patre neceſſitate naturali, ſicut ignis neceſſariò, & naturaliter calefacit.

Primò probant ſic, intellectio Patris præcedit volitionem ipſius, at ſecundum Thomiſtas intellectio paterna eſt productio Verbi, ergo volitio Patris circa productionem Verbi debet eſſe ſequens, & conſequens ad ipſam productionem non præcedens. Maior probata eſt in ſuperioribus, & eſt Auguſ. 15. de Trin. c. 27. minorem etiam ſæpè ſæpius in ſuperioribus probauerunt. Secundò probant Recentiores, generatio Filij non poteſt eſſe futura, aut poſſibilis in Patre, ſed ſemper eſt præſens, & in actu, igitur illam non poteſt præcedere aliquis actus voluntatis. Probatur ſequela, nam velle vel eſt circa futurum, & ſic eſt deſiderium, vel eſt circa præſens, & ſic eſt volitio, vel circa præteritum, & ſic eſt complacentia, ſed generationem Filij non poteſt deſiderare Pater, quia generatio illa eſſet futura nec per volitionem producitur Filius, vt patet, erit igitur ſimplex complacentia de ipſo Filio producto, & eius productione factæ. Tertiò actus volitionis ſimplicis ſupponit ſuum obiectum eo modo, quo circa illud verſatur, ſed actus volitionis Patris ſimplex non poteſt verſari circa generationem Filij futuram, ſed vt præſentem, ergo illam iam præſupponit, & ipſe ſequitur.

Hæc ſententia quamuis vera ſit quoad partem affirmatiuam, ſcilicet volitionis actum eſſe conſequentem ad generationem Filij, non tamen eſt vera quo ad partem negatiuam, in qua negatur poſſe etiam antecedere aliquo modo generationem Filij.

Ad rationes autem reſpondetur, ad primam negamus minorem, in qua dicitur intellectionem eſſe ipſam productionem Filij, quod eſſe falſum ſæpius ſupra probatum eſt, cum ergo intelligere, & dicere ſint duo actus formaliter diſtincti, vt conſtat ex ſuperioribus, ſi velle eſt poſterius ipſo intelligere, non propter hoc ſequitur quod ſit etiam poſterius ipſo dicere, ſed poteſt aliquo modo eſſe prius, vt infra explicabimus. Ad ſecundam reſpondetur quod velle Patris etiam ſi ſit prior generatione Filij non tamen reſpicit illam, vt futuram, quia futuritio eſt paſſio temporis, quod non inuenitur in diuinis, ſed vt poſteriorem origine, quæ certò poſterioritas realiter ibi in diuinis inuenitur, & non tantum ſecundum noſtrum modum concipiendi, ſicut ergo actus eſſentiales ſunt priores origine actibus notionalibus, ita volitio Patris eſt prior origine generatione Filij, & quando dicitur, quod voluntas reſpicit generationem vt poſſibilem in illo tunc, conceditur de poſſibilitate logica, non autem de reali, vel metaphyſica, & quæ reſpicit ordinem ipſius non eſſe adeſſe, cum Filius diuinus ſemper, & actualiter fuerit. Ad tertiam reſpondetur, quod ille ordo præſuppoſitionis non eſt ordo tumporis, vel naturæ, ideſt in quo, ſed originis, & à quo, & ſic actus voluntatis poteſt reſpicere gignitionem Filij, vt ſimul natura, & præſupponi ab illa poſteriori origine; hæc enim poſterioritas originis non aufert ſimultatem naturæ.

Secunda opinio eſt D. Thom. in prima p. qu. 41. art. 2. quem ſequuntur Thomiſtæ eodem loco, Bagnes, & Molin. & Ferrarienſ. 4. contra gen. cap. 11. & plures alij aſſerentes, actum illum voluntatis concomitanter ſe habere cum generatione Filij, complacet enim ſe voluntas diuina in illo actu generationis Filij, & ita concedit Diuus Thomas Patrem voluntate generare Filium, vt ille ablatiuus deſignet concomitantiam, non autem vt importat habitudinem principij, & probant.

Primò, Deus vult neceſſariò omnem ſuam perfectionem, ſed generare Filium eſt perfectio, igitur neceſſariò quando generat vult generare, & vult generationem Filij. Secundò voluntas infinitæ

nitæ perfectionis neceſſariò eſt recta , & neceſſariò vult bonum infinitum,ſed voluntas diuina eſt huius modi , & generare Filium eſt bonum infinitum,ergo neceſſariò vult generare Filium , vnde infertur quod etiam voluntate generat Filium nimirum concomitanter , non vt principio . Tertiò non prius Pater eſt Pater quam generet Filium,ergo non prius eſt actus , quo vult generationem eius,quam ſit ipſa generatio,igitur ſolum concomitanter. ſe habent ; prima ſequela probatur , nam alias volitio in Patre eſſet prior ipſo Patre,quod eſt inconueniens dicere.

Hæ tamen rationes ſolubiles ſunt , & quamuis ſententia ſit vera non tamen excludere debet illam quæ tenet etiam antecedenter Patrem velle generare Filium, qui actus volendi cum permaneat eſt etiam concomitans , & ſubſequens tamquam vnus actus aliqualiter ad noſtrum modum intelligendi ſuceſſiuus , licet ibi non ſit vera ſucceſſio cum ſit perfectiſſima permanentia , propter quod idem actus,qui dicitur antecedens eſt etiã comitans,& conſequens . Prima igitur , & ſecunda ratio huius opinionis non eſt contra tertiam noſtram ſententiam, quia cum illa compatitur ſicut actus antecedens compatitur concomitanti , & ſubſequenti modò ſit idemmet actus . Ad tertiam rationem reſpondetur , quamuis Pater per generationem conſtituatur in eſſe perſonæ Patris , competit tamen illi prius actus eſſentialis , quam notionalis , vt ſæpe ſæpius diximus , & ſicut Pater exiſtens ſimul cum Filio eſt prior origine illo , eodem modo prius origine vult generare quam generet ea prioritate originis , qua eſſentialia ſunt priora notionalibus, etenim Pater nõ habet à Filio genito, vel à generatione Filij,vt velit ipſum generare,ſed ex ſeipſo vult generare,& generat.

Tertia igitur opinio eſt Scoti probabilior, & verior compatibilis cum duabus præcedentibus , ſcilicet Deum Patrem antecedenter etiam velle generare Filium ſiue voluntate antecedenti non tamquam principio productiuo,vel copulatiuo , ſed volitione ſimplici,qua vult gẽnerationem Filij, ita quod in primo ſigno Pater habet intellectionem eſſentialem eſſentiæ diuinæ & generationis Filij,& tunc in eodem ſigno non implicat habere,immò habet de facto velle circa eſſentiam , & generationem Filij,quia Pater eſt perfectè beatus antequam generet Filium,quæ beatitudo conficitur ex actu intellectus,& voluntatis,& poſtea in ſecun-

do ſigno generat Filium ita Scot. diſ.6.q. 1. vndè non ſequitur in illo priori Filium habere rationem futuri,quia futuritio eſt paſſio temporis,ſed illa eſt prioritas originis, qua eſſentialia ſunt priora notionalibus,& actus operatiui, qui ſunt eſſentiales ſunt priores actibus notionalibus.

Principale fundamentum huius aſſertionis eſt illud, quod aſſeritur, & probatum eſt in ſuperioribus,eſſentialia ad intra, & non habentia reſpectum ad extra eſſe priora,notionalibus, vndè collectum fuit intelligere ipſius Patris eſſe prius ipſo dicere non ſolum abſolutè,& ſimpliciter, ſed prout in Patre; vndè etiam colligitur nunc ipſum velle eſſe etiam prius eodem dicere, quia eſt eſſentiale.

Primò probatur, Pater nullum actum habet ab alio,ſed à ſe, igitur intelligere Patris, & velle generationem Filij non dependet ab ipſa generatione habita,& per conſequens eſt prius intelligens,& volens generationem,quam generet; alioquin non à ſe Pater eſſet intelligens,& volens: quia eſſe à ſe, & habere actum à ſe eſt eſſe priorem,& habere actum prius. Secundò non eodem modo volunt generationem Pater & Filius,& Spiritus Sanctus; quia alioquin æquè generarent,vel ęquè vellent quod eſt falſum; nam Pater à ſe,Filius à Patre,& Spiritus Sãctus ab vtroque vult, ſed Filius vult ſui generationem concomitanter; quia qui producitur eſt, & vult, habetque omnem actum Spiritus Sanctus vult generationem Filij conſequenter, quia eſt poſterior Filio, igitur Pater antecedenter vult Filij generationem, quia eſt prior illo.

Contra haac ſententiam arguitur, nihil volitum, niſi præcognitum, at generatio Filij non præcognoſcitur ante quam ſit, igitur nec Pater vult illam antequam generet; minor probatur, nam ſi præcognoſceretur antequam eſſet, tunc generatio Filij, & ipſe Filius haberet eſſe cognitum, & poſſibile; conſequens eſt falſum,ergo,& antecedens.

Ad hoc argumentum reſpondet quidam Scotiſta, & Pater Rada, qui aſſerit reſponſionem deſumptam eſſe ex additione ad literam Scoti illa diſ. 6. quæſt.1. §. verum eſt, & reſpondet conſequenter ad ſuam doctrinam,quod cognitio Filij non preſupponitur productioni reali eius, hoc tamen non obſtante dicitur Pater antecedenter velle generationem Filij, quia præcognoſcit Pa-

Pater eſſentiam diuinam, non tantum in ſe abſolutè in illo primo ſigno, ſed etiam vt communicandam; & hoc dupliciter intelligi poteſt. Primò, vt communicandam abſolutè. Secundò, vt communicandam per generationem. Ad hoc inquiunt, vt dicatur Patrem antecedenter velle generationem, non eſt neceſſe vt præcognoſcat illam, immò nec vt præcognoſcat eſſentiam vt communicandam per generationem, ſed vt communicandam abſolutè; in primo enim ſigno ſubdunt Pater intelligit ſuam eſſentiam vt communicandam, ſeù communicabilem: in ſecundo ſigno eam diligit, & actu ſimplici vult communicationem eius: in tertio eam communicat per generationem; & in quarto per ſpirationem, & ita cum in ſecundo ſigno velit eſſentiam vt communicandam, & in tertio communicet ipſam per generationem, ſequitur quod voluntati antecedenti Pater generet Filium; Nam licet actus voluntatis antecedens non cadat expreſsè ſuper generationem, quatenus generatio, cadit ſuper eam quatenus communicatio eſt.

In oppoſita verò ſententia quam ſequutus fui quæſtione illa 11. quod cognitio Filij in Patre præcedat generationem eius, dicendum eſt nedum Patrem velle actu antecedenti eſſentiam vt communicandam abſolutè, ſed vt communicandam per generationem, & conſequenter velle ipſammet generationem actualem ſiquidem præcognoſcitur antequam ſit in ſigno tamen à quo, non in quo, vt ibi explicuimus; & quidem ſi in illo ſecundo ſigno, quo Pater vult eſſentiam vt communicandam abſolutè, & non vt per generationem ſiuè vt communicandam per generationem, non quatenus generatio, ſed quatenus communicatio eſt, vt ipſi dicunt. Cum eſſentia communicetur dupliciter ſcilicet per generationem, & ſpirationem, ergo non videtur ex parte voluntatis, quod magis determinetur illa communicatio, vel prius ad generationem, quam ad ſpirationem. Secundò videtur Patrem in illo ſigno velle aliquod commune, & quaſi confuſum, ſeù vagum non particulare ſignatum, cum communicatio ſit duplex. Tertiò non rectè, & expreſsè poteſt dici Patrem velle antecedenter generare Filium, ſi antecedenter non fertur circa generationem Filij, vel circa eſſentiam communicandam per generationem, ſed diceretur Patrem velle antecedenter communicare eſſentiam, quæ cõmunicatio cum fiat duobus ſcilicet Filio, & Spiritui Sancto, non poteſt

poteſt dici præcisè tunc velle communicare eſſentiam Filio, & non Spiritui Sancto pro illo tunc, vel magis Filio, quam Sp. San. cum ex parte voluntatis non ſit maior ratio de vno, quam de alio quia ipſa in propoſito non ſe determinat ad vnum.

Dicendum eſt igitur conſequenter ad illam doctrinam, quæ ait in Patre præſupponi intelligere Filium ante ipſum dicere, & producere Filium, quod in aliquo priori inſtanti à quo Pater vult eſſentiam communicandam per generationem, vt generatio eſt, imò vult ipſam generationem, & in poſteriori inſtanti a quo generat Filium, & ita melius explicatur propoſita propoſitio, quod Pater actu voluntatis antecedenti vult generare Filium, dicitur autē. In priori inſtanti à quo velle generationem Filij; quia a ſe vult illam, & a ſe habet illud velle non a generatione Filij vel à Filio genito.

Ad illud autem quod dicebatur fore, vt generatio Filij, & ipſe Filius haberet eſſe cognitum, & poſſibile in illo tunc. Pater Rada negat ſequelam, reddendo rationem negationis nempè, quia Filius, & Spiritus Sanctus habent eſſe neceſſarium ſimpliciter cui repugnat eſſe cognitum, & poſſibile, ſed adducere inconueniens, vel repugnantiam, aut negando dare rationem negationis, non eſt reſpondere argumento quod benè concludit ſi res cognoſcitur antequam ſit, ergo habet eſſe cognitum, & poſſibile in illo ante, etiam ſi ſit neceſſarium ſimpliciter. Pater Vulpes prima par. diſput. 54. art. 2. num. 10. non veretur concedere tale eſſe cognitum. Dicens eſſe enim cognitum Spiritus Sancti non eſt aliquod eſſe formale ipſius, ſed eſſe dumtaxat ſecundum quod, ſeù diminutum ſolum præcedens eſſe reale ipſius ordine naturalis præſuppoſitionis actus vnius potentię ad actum alterius, ſed quis non videt ſic fieri Spiritū Sanctum ęqualem creaturis, ſeù potius creaturam, quæ ſi ab æterno facta fuiſſet ſecundum eamdem ordinem naturalis præſuppoſitionis actus intellectus ad actum voluntatis haberet eſſe cognitum, ac diminutum eodem prorſus modo, quo Auctor iſte autumat de Spiritu Sancto, & quomodocumque ſit aborrent aures.

Reſpondetur, ergo negando ſimiliter ſequelam, & diſtinguendo quod habere eſſe cognitum, vel competit rebus antequam ſint in eſſe reali, & tunc eſt verè eſſe cognitum, atque poſſibile & in aliquo inſtanti in quo ante eſſe reale, quod eſt proprium creatura-

rum

rum; vel habent eſſe cognitum non in aliquo inſtanti in quonon ſit exiſtentia realis rei, ſed nimirum a quo, quatenus cognoſcens non habet cognitionem a recognita, ſed à ſeipſo, & hoc competere poteſt, & competit in propoſito Filio diuino reſpectu Patris, qui cognoſcit ipſum à ſe non ab exiſtentia reali Filij, etiam ſi ſit Filius ens neceſſarium ſimpliciter: Vndè ſequitur Filium cognitum hoc modo à Patre, ideſt in inſtanti à quo non habere eſſe cognitũ, & poſſibile, quia in omni inſtanti fuit, & realiter extitit.

Confirmatur hæc noſtra ſententia ex Scot. diſ. 10. q. 2. in fine, vbi ait, poſſe dici quod in illo priori ſigno originis antequam intelligatur Spiritus Sanctus ſpirari, Pater, & Filius cognoſcant Spiritum Sanctum intuitiuè, & dicat quicquid velit Pater Rada in controu. 12. ar. 4. prope finem, quod Scotus loquutus fuerit de mente aliorum, nec etiam annuo dictis Licheti in fine illius diſtinctionis aſſerentis, Spiritum Sanctum intuitiuè cognoſci in eſſentia diuina antequam producatur, vt producendus, non vt producens, etenim verè Pater adhuc cognoſcit intuitiuè Spiritum Sanctum productum, non producendum non ſolum antequam producat, & ſpiret ipſam, ſed antequam generet Filium, vt ſupra probauimus quæſt. illa 11. quod explicatur exemplo, ſicut enim Pater exiſtens ſimul cum Filio iam producto, & vt producto adhuc dicitur eſſe prior illo, quod non repugnat, quia ſunt diuerſa ſigna, exiſtunt. n. ſimul in inſtanti, & ſigno in quo, & Pater etiã exiſtẽs ſimul cũ Filio producto eſt prior illo ſigno a quo, eodem ergo modo Filius cognoſcitur intuitiuè à Patre productus antequam producatur, ideſt exiſtens Filius in ſigno in quo productus, cognoſcitur ſic productus antequam producatur in ſigno à quo, nimirum Pater cognoſcens Filium productum, & exiſtentem non cognoſcit eum per productionem, & exiſtentiam eius, ſed à ſe ipſo.

Difficultatem faciunt verba ſequentia Scoti, qui ait licet non vt inexiſtentem in ſe, ideſt Pater, & Filius cognoſcunt Spiritum Sanctum intuitiuè antequam intelligatur productus, licet non vt exiſtentem in ſe. Ad hoc reſpondetur, quod cognoſcitur Spirit. S. productus, & exiſtens antequam producatur, & exiſtat ad modum ſupradictum, ſed non cognoſcitur vt productus, & vt exiſtens in ſe, nam prima propoſitio habet hunc ſenſum, Pater, & Filius cognoſcunt Spiritum Sanctum, & productionem, atque exiſtentiam eius,

Digitized by Google

eius,antequam Spiritus Sanctus producatur,& ſit exiſtens, ideſt à ſe cognoſcunt,non ab exiſtentia, & productione Spiritus Sancti habent,vt cognoſcant ipſum, & hoc modo vera eſt propoſitio. Secunda autem propoſitio habet hunc ſenſum,Pater, & Filius cognoſcunt Spiritum Sanctum, vt productum, & vt exiſtentem in ſe (quod eſt in ſe exiſtere, & vt ſic in ſe exiſtentem cognoſcere) antequam producatur, & exiſtat, quod eſt implicantia contradictionis, & falſa propoſitio, quia illa particula, vt, in hoc propoſito eſt reduplicatio, & facit propoſitionem cauſalem, & exponitur hoc modo,Pater, & Filius cognoſcunt Spiritum Sanctum vt exiſtentem in ſe antequam exiſtat, ideſt exiſtentia Spiritus Sancti cauſa eſt vt cognoſcatur,antequam ipſe exiſtat,ex quò duæ falſitates proueniunt,& contradictiones. Prima,quod Pater & Filius a ſe cognoſcunt Spiritum Sanctum (quod denotatur per illa verba antequam Spiritus Sanctus exiſtat) & ſimul non à ſe cognoſcunt illum, ſed ab exiſtentia eius. Secunda contradictio ſequitur,quod Spiritus Sanctus ſimul ſit,& non ſit, nam in illo ſigno,quo dicitur Pater, & Filius ab exiſtentia Spiritus Sancti cognoſcunt illum, eſt Spiritus Sanctus, & in eodem illo ſigno dicitur antequam Spiritus Sanctus exiſtat,& ſic pro tunc non eſt Spiritus Sanctus, ex quo ſequitur ipſum exiſtere, & non exiſtere in eodem ſigno, quod eſt contradictio; eapropterea bene inquit Scotus, quod Pater,& Filius non cognoſcunt Spiritum Sanctum vt exiſtentem in ſe antequam ſpiretur,& exiſtat, cum hoc tamen non repugnat dicere, quod cognoſcunt Spiritum Sanctum exiſtentem in ſe antequam exiſtat, quia illum exiſtentem in ſe cognoſcunt à ſe,non ab exiſtentia eius,quod eſt primus ſenſus huius propoſitionis ſupradictæ. Et hæc ſufficiant de Filio.

DISPVTATIO VII.

DE SPIRITV SANCTO.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat liberè, an verò naturaliter, & ſi procedit liberè, an etiam procedat ſimul liberè, & neceſſariò.

PRO prima parte quæſtionis eſt prima ſententia Henrici in ſum.in 1. part. art.6.quæſt. 1. & D. Thomę in 1.par.qu.41. ar. 2. aſſerentium; Spiritum Sanctum per voluntatem procedere naturaliter, & per modum naturæ, quamuis de opinione Diuus Thom. infra videbimus.

Modus ponendi Herici eſt,quod ideò diuina voluntas eſt principium producendi amorem ſubſtantialem, quia ei aſſiſtit natura diuina; propter quam aſſiſtentiam, & connexionem accipit voluntas diuina vim communicandi eamdem naturam,& ex tali aſſiſtentia,& connexione ſequitur voluntatem diuinam neceſſariò, tum neceſſitate immutabilitatis,tum etiam naturalitatis annexę, ideſt propter naturam annexam producere Spiritum Sanctum: duo igitur dicit Hericus: Primum quod propter aſſiſtentiam naturæ diuinæ, voluntati diuinæ, ipſa voluntas producit amorem ſubſtantialem, & eſt principium communicandi naturam. Secundum, quod propter eamdem aſſiſtentiam voluntas neceſſariò neceſſitate naturali, producit Spiritum Sanctum.

Contra vtrumque arguitur Scotus; Primò, contra primum dictum, Habito principio, quo & principio quod perfecto, nihil aliud deſideratur ad rationem eliciendi, & producendi, ſed voluntas diuina, etiam ſecundum dictum auctorem, eſt principium quo, & ſuppoſitum principium quod, & vtrumque perfectum, non eſt ergo neceſſaria illa aſſiſtentia naturæ diuinæ, & connexio voluntati. Secundò quando aliqua ad aliquam actionem ſe habent, ſecundum prius, & poſterius, illud prius concurrit principalius ad illam actionem, ſed natura diuina eſt prior

vo-

voluntate, igitur ipſa eſt principalior in productione, & prius agens, quod tamen eſt contra Henricum aſſerentem, naturam diuinam aſſiſtere voluntati concomitanter, non antecedenter, nec magis principaliter.

Ratio ergo communicandi naturam, & producendi amorem ſubſtantialem, in voluntate diuina non eſt aſſiſtentia naturę diuinæ, quia ſic eſſet aliquis, quaſi defectus in voluntate diuina; quæ certò tam infinita eſt, ſicut natura, ſed dicta ratio eſt infinitas voluntatis diuinæ, quæ vt ſic infinita, eſt principium producendi amorem infinitum, & quicquid eſt infinitum, eſt eſſentia diuina, & quicquid eſt eſſentia diuina, eſt ſubſtantia non accidens, igitur voluntas diuina, vt infinita ſic particulariter ſumpta, non vt communis creatæ, & increatæ voluntati, eſt principium communicandi naturam, & producendi amorem ſubſtantialem, qui eſt Spiritus Sanctus.

Secundò contra ſecũdum dictum Henrici arguitur, quia ſecundum ipſum, actus notionales ſunt fundati ſuper actus eſſentiales, & vt ſic ſunt productiui, ergo non poteſt eſſe maior neceſſitas in notionalibus, quam in eſſentialibus, ſed Henricus ponit duas neceſſitates in actibus notionalibus alteram immutabilitatis, alteram naturalitatis connexæ ex aſſiſtentia naturæ diuinæ, & vnam tantùm neceſſitatem in amore eſſentiali circa eſſentiam, ideſt immutabilitatis, igitur vel actus notionales non fundantur ſuper actus eſſentiales, autem in notionalibus non erit maior neceſſitas, quàm in eſſentialibus; hæc enim duo, quæ aſſerit Henricus, contradictionem includunt, prima ſequela probatur, nam ſi eſſet aliqua neceſſitas in fundato, quæ non eſſet in fundamento, tunc circumſcripta neceſſitate communi fundati, & fundamenti remaneret in fundato ſua neceſſitas particularis, quæ non eſſet in fundamento, ex quò ſequitur, neceſſarium eſſe fundatum ſupra non neceſſarium, quod eſt impoſſibile.

Ratio ergo neceſſitatis producendi Spiritum Sanctum eſt vtraque infinitas, nempè potentiæ, & obiecti, non enim ſufficit vna illarum; quia vel potentia eſſet defectibilis ab vltimo fine, & ſummo, atque infinito bono, vel obiectum eſſet defectibile in bonitate, & ſic non eſſet ex ſe neceſſariò amabile. Probatur vtrumque; Nam voluntas Dei, cum ſit infinita, poteſt dare ſuo producto perfectionem ſibi competentem, at neceſſitas

neceſ-

neceſſariò competit producto infinito, igitur neceſſariò tribuit voluntas ſuo producto neceſſitatem; ſed cum non poſſit aliquod habere eſſe neceſſarium per productionem non neceſſariam, igitur eadem voluntas tribuit eamdem neceſſitatem productioni, & ita productio Spiritus Sancti eſt neceſſaria, ac per conſequens voluntas neceſſariò producit ipſum. Secundum probatur, nam cum obiectum infinitum, ſit etiam ſummum bonum, eſt ex ſe neceſſariò amabile, at verò non eſt amabile neceſſariò cuicumque voluntati, ſed ſoli voluntati infinitæ, quę neceſſariò eſt recta, & eſt neceſſariò in actu recto, & per conſequens de neceſſitate eſt principium volendi obiectum infinitum ex ſe volendum, & conſequenter de neceſſitate eſt principium producendi amorem talis obiecti, idest Spiritum Sanctum, hæc igitur infinitas eſt ratio communicandi naturam diuinam, & conſequenter producendi amorem ſubſtantialem, hic eſt Spiritus Sanctus; Hæc tamen neceſſitas vocanda eſt immutabilitatis, ſeù potius ineuitabilitatis, non autem naturalitatis, vt eam vocat Henricus; quia iam ſublata eſt, propter rationes adductas, illa aſſiſtentia, & connexio, quam dicebat habere eſſentiam diuinam cum diuina voluntate.

Diuus Thomas alia via incedit cum ſuis diſcipulis, ad probandum voluntatem diuinam neceſſitate naturali producere Spiritum Sanctum, & non liberè. Diſtinguendo de potentia volendi, vt conſideretur dupliciter: Vno modo, vt eſt libera, & indifferens ad vtrumlibet, & ſic appellatur voluntas, & vt ſic eſt cauſa eorum, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe. Alio modo conſideratur in quantum naturaliter, & neceſſariò fertur, in aliquod obiectum, vt voluntas hominis, vel Dei, in ipſum Deum clarè viſum, & iſto modo potentia volendi eſt, & dicitur natura, quia eſt determinata ad vnum, & ſic omnis libertas, & indifferentia voluntatis fundatur in natura ipſius voluntatis, & ſic etiam omnis actus liber fundatur in actu naturali, & neceſſario voluntatis, voluntas igitur diuina circa productionem Spiritus Sancti naturaliter, & neceſſariò ſe habet, quia Spiritus Sanctus non poteſt non eſſe, & vt ſic voluntas conſideratur, vt natura, & è contra circa productionem creaturarum liberè ſe habet, quia poſſunt eſſe, & non eſſe, & ità conſideratur, vt voluntas; inſuper addunt, quod voluntas diuina neceſſariò producens Spiritum San-

ctum,

ctum, non producit neceſſitate coactionis, & violentiæ, quia à nullo cogitur, aut violentatur voluntas diuina, ſed neceſſitate oppoſita poſſibilitate, qua res poteſt eſſe, & non eſſe, cuiuſmodi non eſt Spiritus Sanctus, ex quibus tertio ſequitur, nullo pacto dici poſſe, voluntatem diuinam liberè producere Spiritum Sanctum, quia liberum eſt illud, quod poteſt eſſe, & non eſſe, ſecundum philoſophos, & SS. PP. nam Aug. libro 3. de lib. arb. cap. 3. ait, illud ſolum liberum eſt, quod in nobis eſt facere, vel non facere, & idem aſſerunt de libero, D. Hieronymus in ep. ad Damaſcum, Damaſc. lib. 2. de fid. cap. 28. & Ariſt. 3. etich. cap. 4. ſed Spiritus Sanctus non poteſt eſſe, & non eſſe, igitur nullatenus liberè producitur. Tria ergo dicunt Thomiſtæ in hac ſententia. Primum, quod voluntas aliquando capitur pro natura, vt eſt principium determinatum ad vnum, & non indifferens. Secundum, quod producit Spiritum Sanctum neceſſitate naturali, & pro modum naturæ. Tertium eſt, quod non producit ipſum liberè.

Probant ſuam ſententiam, primò; Quia non libertate contradictionis, vel contrarietatis producitur Spiritus Sanctus, nam ſic poſſet non produci, nec libertate complacentiæ, quia ſic etiam producitur Filius, & non aliter produceretur Spiritus Sanctus à voluntate, quam Filius, quod eſt falſum, ergo nulla libertate producitur. Secundò, natura eſt determinata ad vnum, voluntas, vt voluntas eſt indeterminata ad plura, ſed voluntas diuina eſt determinata ad producendum Spiritum Sanctum, & non indeterminata, quia non poteſt non producere illum, alioquin Spiritus Sanctus non eſſet ex ſe neceſſe eſſe, igitur voluntas vt natura producit Spiritum Sanctum, & ipſe naturaliter, non liberè producitur. Tertiò, ſi voluntas, vt voluntas produceret Spiritum Sanctum poſſet producere, & non producere illum, ſicut creaturas, & conſequenter Spiritus Sanctus eſſet creatura, conſequens eſt falſum, ergo & antecedens. Quartò quod producitur à voluntate, vt libera eſt præcognoſcitur ante ſui productionem, quia nihil volitum, niſi præcognitum, ſed Spiritus Sanctus non præcognoſcitur ante ſui productionem, igitur non producitur à voluntate, vt libera, ſed vt natura eſt.

Contra hanc ſententiam arguitur primò; *Naturale, & liberum conſtituunt diuerſa principia* ſecundum Ariſtot. 9. metaphyſic.

cap.

cap. 10. igitur cum voluntas ſit vnum principium, vel erit principium naturale, vel liberum, ſed conceditur ab aduerſarijs, voluntatem eſſe principium liberum, ergo non poteſt eſſe principiũ naturale. Ad hoc argumentum reſpondent Thomiſtæ, quod liberum, & naturale non ſunt diſtincta principia, & diſtinctæ potentiæ, ſed ſunt diſtincti modi agendi, qui poſſunt conuenire vni potentiæ, ita vt modus liberè agendi reducatur ad naturalem, tamquam ad prius, cum enim prius, inquiunt, poſſit eſſe ſine poſteriori, benè poteſt inueniri potentia, quę ſit tantum naturalis, & non libera, ſed cum poſterius non poſſit eſſe ſine priori, per conſequẽs omne principium liberum prius eſt naturale, ideſt prius agit naturaliter, quam liberè, vt patet de voluntate, quæ triplici er conſiderari poteſt: Primò vt potentia volitiua abſolutè, & ita appellatur voluntas. Secundò, vt naturaliter eſt determinata, ſiue quoad ſpecificationem, vt voluntas noſtra ita neceſſariò, & naturaliter vult beatitudinem pro hoc ſtatu, quod non poteſt velle oppoſitũ miſeriam; ſiuè quoad exercitium, vt volũtas Beati ita eſt determinata ad amandum Deum, quod non poteſt non amare, vel ſuſpẽdere actum amandi Deum. Tertiò conſideratur voluntas, vt eſt indeterminata, & quoad ſpecificationem, & quoad exercitium, & ita dicitur libera; voluntas ergo Dei cum ſe habeat ſecundo modo in producendo Spiritum Sanctum neceſſariò, & naturaliter producit ipſum, & ita modus agendi liberè volũtatis Dei, qui eſt poſterior in Deo quippè fertur ad creaturas, reducitur ad modum agendi naturaliter priorem; nimirum circa eſſentiã, & Spiritum Sanctum, & ideò vterq; modus competit eidem potentiæ voluntatis. Primo modo voluntas vocatur natura. Secundo modo vocatur liberum arbitrium, vndè hi duo modi agendi oppoſiti, ideſt liberè, & naturaliter competunt eidem potentiæ diuerſo modo conſideratę.

Sed contra hanc reſponſionẽ arguitur. Primò; Nam Ariſt. loc. cit. inquit, quòd naturale, & liberũ ſunt differentię ſpecificę diſtinguentes principiũ actiuũ; igitur ſi non ſunt differentię diſtinguentes potentias, ſed modi differẽtes ſpecie agendi eiuſdẽ potentiæ, eidẽ potentię cõpeterent duę actiones ſpecie differentes, ideſt naturalis, & libera, ſed hoc eſt impoſſibile, quia vnius potentię vnica eſt actio, & vnius rationis modus agendi, igitur volũtas quomodocumq; cõſiderata non poteſt ſimul habere modos agẽdi ſpecie

differẽtes. Secundò inquiro quando voluntas agit naturaliter, & habet modũ agendi naturalẽ,per quẽ vocatur natura,vel eſt eadẽ cum ſeipſa vt voluntas,vel eſt alia. Si primũ,igitur hęc potentia nedũ vt natura,ſed vt voluntas agit naturaliter; Si ſecundũ,igitur ſunt duæ potentię diſtinctę, propter diuerſos modos agendi,conſequens eſt falſum, ergo & antecedens, & conſequenter voluntas eſt vna potentia cum vnico modo agendi vnius rationis.

Secunda ſententia vera,& nobis tenenda eſt Doctoris ſubtilis in primo diſ.2.qu.7. & diſ.10.qu.vn.& in quodlib.qu.6. aſſerẽtis. Spiritum Sanctum ſummè liberè produci per voluntatem, & nullo modo naturaliter, quamuis etiam ſummè neceſſariò producatur, quæ quidẹm neceſſitas compatitur cum libertate.

Prima pars huius ſententiæ probatur; quod procedit vt amor, & donũ procedit liberè,ſed Spiritus Sanctus procedit hoc modo ergo. Secundò voluntas non poteſt eſſe natura,& principium naturale,vt patet ex oppugnatione prioris ſententiæ, ergo nullatenus poteſt agere naturaliter,ſed liberè tantum agit. Tertiò liberũ,& naturale ſunt diuerſarũ potẽtiarũ, vt ſupra probatũ eſt, ſed naturale non pertinet ad voluntatẽ,igitur liberũ ad ipsã pertinet.

Secunda pars probatur auctoritatibus SS. PP. nam Augu. in Enchyr.c.14.ait; Multò quidẽ liberius erit arbitriũ, quando omnino non poterit ſeruire peccato,& Anſ.de lib.arb.c.1.inquit,qui ſic habet quod decet, & expedit, vt illud amittere nequeat, liberius eſt,quã ille,qui ſic habet hoc ipsũ, vt poſſit perdere. Hi duo PP. loquuntur de Beatis in patria, qui neceſſariò nõ poſſunt ſeruire peccato,& neceſſariò nõ poſſunt perdere quod habent,& talis neceſſitas ſecundũ hos Patres ſtat cũ maxima libertate,libertas ergo compatitur neceſſitati,& hęc cõpatitur illi, ac per conſequens Spiritus Sanctus neceſſariò ſimul,& liberè producitur.

Rationibus etiã probatur primò;quia voluntas infinitè perfecta eſt neceſſariò recta,& eſt neceſſariò in actu recto, igitur ſumma neceſſitate fertur,circa obiectũ infinitè perfectum, & ſummè volibile,alioquin non eſſet neceſſariò recta, vel in actu recto, ſi ab illo diuertere poſſet,igitur in diuina volũtate, quę infinita eſt, & infinitè perfecta,& recta,circa obiectũ infinitũ amatum, ideſt eſſentiã diuinam,& infinitũ productum,ideſt amorẽ, & Spiritum Sanctum ſimul eſt ſumma libertas, & ſumma neceſſitas. Secundò produci non neceſſariò dicit imperfectionẽ in re, quę producitur;

nam

nam eſſet in potentia ad produci,& nõ produci, ſed Spiritus ſãctus eſt ens ſummè neceſſariũ,& non poteſt non eſſe,ergo ſummè neceſſariò producitur. Tertiò non minus neceſſariò producitur Spiritus Sanctus, quã amatur eſſentia diuina, ſed hęc ſummè neceſſariò amatur à Patre, & Filio, ergo ſummè neceſſariò producitur Spiritus Sanctus.

Sed quia multiplex eſt libertas,& neceſſitas, vt dignoſcamus, quæ libertas ſit cõpatibilis neceſſitati. Primo ſciendũ eſt,quadruplicẽ eſſe libertatẽ. Prima eſt contradictionis ad negatiuũ, & poſitiuum actũ. Secunda eſt contrarietatis ad duos actus poſitiuos contrarios. Tertia eſt complacentię. Quarta eſt libertas eſſentialis,quæ eſt fundamentũ omnium aliarũ libertatum, quæ præſupponitur ad illas,& illæ libertates non poſſunt eſſe ſine iſta,hęc tamẽ benè ſine illis eſſe poteſt, cũ ſit prior illis, quæ quidẽ libertas eſſentialis conſiſtit in hoc,quod ſit domina ſuorũ actuũ, & quod ex ſe ipſa ſe determinet,aut determinare poſſit ad actũ,& non ab alio agente ſuperiori determinari, & hoc ex præſuppoſita cognitione finis, qua præſuppoſita ſe ipſam determinat ad vnã partẽ, aut cõtradictionis, aut contrarietatis, & in hoc præcisè differt à natura,& ab agente naturali,quod ab alio agẽte ſuperiori determinatur ſine præſuppoſita vlla cognitione finis,vt ignis à natura vniuerſali eſt determinatus ad cõburendum nulla præſuppoſita cognitione,cum non ſit agens à propoſito, quando tamen voluntas eſt neceſſariò recta, ex eo quod eſt infinitè perfecta neceſſariò mouetur ad actũ rectum circa obiectũ infinitè perfectum,quæ neceſſitas nõ aufert,nec minuit libertatẽ, quin potius eã auget cũ ipſa ſe ipsã determinet ad ſũmè bonum obiectũ ſũma libertate, atq; neceſſitate,vt probatũ eſt modò ſuprà ex PP. & rationibus.

Secundò notandum eſt; quod neceſſitas eſt etiam multiplex. Prima eſt neceſſitas coactionis,vt cum ſeruus cõgitur ad agendũ, & ſic repugnante etiam ſua volũtate neceſſariò agit. Secunda eſt neceſſitas immutabilitatis, quæ excludit oppoſitum poſſe ſuccedere ei,quod ineſt,vt Petrus neceſſariò ſaluabitur, & Iudas damnabitur; quia Deus ſic determinauit, potuit tamen non determinare ſalutem Petri, & damnationem Iudæ. Tertia eſt neceſſitas ineuitabilitatis, quæ dicitur abſoluta,& ſimpliciter neceſſitas,& hæc non tantũ excludit oppoſitum poſſe ſuccedere rei determitæ, ſed etiam excludit dictam rẽ potuiſſe aliter determinari, qua

propter dicitur etiã neceſſitas determinationis,& ita hæc neceſſitas facit vt res pænitus implicet non eſſe,& hæc vltima neceſſitas ſimpliciter compatitur cum illa vltima libertate eſſentiali, & ſimpliciter,quinimmò neceſſariò concurrunt ad actionem volũtatis diuinæ ad intra,circa eſſentiã amatam, & Spiritum Sanctũ productũ,& dicitur diuina voluntas libera, quatenus ſe ſe determinat,& mouet ad actum amandi, & ſpirandi, & ſimul dicitur neceſſaria, nullo pacto potens non ſe mouere ad dictum actũ, & hoc non quatenus voluntas, quia ſic auferretur eſſentia voluntatis,ſed quatenus voluntas diuina, & infinita eſt, & neceſſariò recta,& ſic neceſſariò ſe mouens circa ſummè, & infinitè perfectũ obiectum; ex quo ſequitur voluntati diuinæ ex diuerſis capitibus competere libertatem, & neceſſitatem, nam libertas eſſentialis, & ſimpliciter competit ei, quatenus voluntas eſt, & neceſſitas eſſentialis,& ſimpliciter cõpetit ei,quatenus diuina, & infinita, & infinitè recta eſt. Hãc ſententiã latè explicuit Scot. in quodlib. qu. 16. art. 1. & confirmatur, cùm enim neceſſitas eſſentialis,& eſſentialis libertas ſint perfectiones ſimpliciter, quod conſtat ex eo quod inueniũtur in Deo,& alioquin perfectiones ſimpliciter ſint ſibi compoſſibiles, & in Deo neceſſariò cõpatiantur, vbi non eſt diſtinctum eſſe à poſſe, ſequitur talẽ neceſſitatem, & libertatem neceſſariò compati in actibus diuinis, vbi ſunt compatibiles, nimirum in voluntate diuina in actionibus ſuis ad intra.

Vltimò notandum eſt ex eod. Scot. loc. cit. Quatuor eſſe modos operandi, nimirum liberè, & naturaliter, contingenter, & neceſſariò: Duo primi ita ſunt oppoſiti, quod diſtinctas, & oppoſitas potentias, ſeù principia conſtituant, & ſic liberum, & naturale diſtinguunt ſpeciè principiũ actiuũ,vt ait Scot. in 1. diſ. 2. qu. 7. & Ariſ. 9. metaphyſ. cap. 10. duo autem poſteriores modi ſunt oppoſiti, non tamẽ adeò, quin poſſint eidẽ principio reſpectu diuerſorum competere,vt combuſtio paleæ eſt neceſſaria ex applicatione ad ignem, & eſt contingens ex eadem applicatione contingenter facta, ſicut ergo neceſſariò,& contingter agere aliquã ſe cõpatiuntur, nõ obſtante, ꝙ ſint oppoſiti modi agendi, ſic etiã cõpati poſſunt cũ liberè,& naturaliter agere in agente, nẽpè naturali,& libero, vt ignis naturaliter cõburit,& etiã neceſſariò, quia nõ poteſt non cõburere,& etiã cõtingenter; quia per accidẽs fuit facta talis applicatio, & è cõtra diuina volũtas liberè vult

eſſen-

eſſentiam diuinam, & producit Spiritum Sanctum, & tamen neceſſariò amat, quia non poteſt non amare, & non producere, & cum ſit iſta neceſſitas ſimpliciter, & ineuitabilitatis ad intra non compatitur cum contingentia, ſicut compatitur neceſſitas comburendi in igne cum contingentia; quia hæc non eſt ineuitabilis combuſtio, ſed ſolum immutabilis ſupple naturaliter; quia facta applicatione nullum agens naturale, poteſt oppoſitum facere, ideſt impedire ne comburat, poteſt tamen agens ſupernaturale, vt occurrit in igne Babilonico trium puerorum.

Ad rationes oppoſitæ ſententiæ D. Thom ad primam reſpondetur, Nulla illarum trium libertatum a Diuo Thomæ propoſitarum producitur Spiritus Sanctus, ſed quarta ſupradicta, cuius non meminit; nimirum libertate eſſentiali, & ſimpliciter præſuppoſita ad alias dictas libertates, quæ inuenitur in propoſito ad modum explicatum. Ad ſecundam reſpondetur, quod natura, vt natura eſt determinata ad vnum, voluntas verò producens Spiritum Sanctum ſummè neceſſariò producit, & eſt determinata ad producendum, non quatenus voluntas vt ſic, ſed quatenus eſt voluntas diuina, & infinita, & conſequenter neceſſariò recta, & determinata ad producendum Spiritum Sanctum, & amandum eſſentiam diuinam; hæc tamen determinatio voluntatis diuinæ ad actiones ad intra non eſt eadem, vel tanta, quæ & quanta eſt naturæ, ſeù agentis naturalis; quia voluntas cum ſe ſe ipſam determinet, determinatio eſt poſterior voluntate, & libertate eſſentiali eius; agens autem naturale eſt ex ſe determinatum, vel ab alio ſuperiori determinatum, & ideò determinatio agentis naturalis ad vnum, vel eſt prior ipſo agente, vel ſimul natura cum ipſo, atque de eſſentia eius nulla præſuppoſita libertate in natura, & eſſentia eius, & vltra hoc voluntas diuina ſibi ipſi imponit eſt ſe ipſa ex infinita ſui rectitudine neceſſitatem agendi circa obiectum infinitum, & ſummè bonum, & non ab alio extrinſeco, nec ex ſui natura, ideſt quatenus voluntas eſt, impoſita eſt ſibi talis neceſſitas, ſicut contingit in agente naturali.

Sed contra hanc reſponſionem arguitur; Intellectus diuinus naturaliter producit Verbum, & per modum naturæ, ſeù vt natura, & tamen à nullo mouetur ad producendum, ſed à ſe ipſo, & ſi dicas, quod ab eſſentia diuina mouetur, ſimiliter voluntas diui-

Digitized by Google

na mouetur ab eſſentia diuina, ad producendum Spiritum Sanctum, & amandum illum, ac per conſequens nulla eſt diſtinctio, nec diſparitas, propter quam dicatur intellectus diuinus naturaliter, & vt natura producere, & non voluntas diuina.

Ad hoc reſpondet Fauentinus diſp. 37. propè finem, quod libertas voluntatis conſiſtit in delectabiliter, & eligibiliter producere, quæ quidem reſponſio non quadrat huic argumento, quoad priorem partem, ideſt in productione delectabiliter, quia ſi non diſtingueretur voluntas ab intellectu, tunc intellectus non delectabiliter, ſed coactè, & quaſi triſtitia produceret Verbum, eſt igitur præciſa ratio diſparitatis, inter intellectum, & voluntatem, quia eligibiliter voluntas producit, cum ſua productio de neceſſitate prærequirat intellectionem, qua habita voluntas à ſe ipſa elicit actum, quem vult amandi, vel non amandi, ſpirandi, vel non ſpirandi, & conſequenter non naturaliter, ſed ſummè liberè, quamuis ex eo quod diuina, & infinita eſt, ſummè neceſſariò amet eſſentiam infinitam, & producat amorem infinitum: hæc enim neceſſitas eſt poſterior libertate ſua eſſentiali, quæ conſiſtit in illa electione duntaxat, vt in fundamento, & conuenit illi eadem neceſſitas non quatenus voluntas eſt, ſed vt infinita eſt, & reſpiciens obiectum infinitum, intellectus verò non ſic eligibiliter producit Verbum, & per conſequens merè naturaliter producit. Ad tertiam reſpondetur negando antecedens, quia voluntas diuina ſummè neceſſariò producit, & ſic non poteſt non producere.

Ad quartam reſpondetur, præcognoſci bene ante ſui productionem Spiritum Sanctum, non tamen ſequitur ipſum eſſe creaturam, vel poſſe non produci, quia non cognoſcitur in aliquo priori inſtanti temporis, vel naturæ, vel etiam originis in quo, ſed à quo, ad modum quo ſupra explicatum eſt.

Quæ autem ſit ſententia D. Thomæ, vtrum cohæreat cum Scoto videant ipſi Thomiſtæ, ſufficiat nobis probabiliorem ſententiam ſequi, & quidem ſententiam Scoti tenuiſſe D. Thomam clarè conſtat in de potentia quæſt. 10. artic. 2. ad 4. vbi ait Sanctus Doctor. Spiritum Sanctum non procedere per modum naturæ, & reddens rationem ſubdit, hoc enim procedere dicitur in diuinis per modum naturæ, quod procedit, ſicut ea, quæ in creaturis à natura producuntur, & non à voluntate, & in ſolutione

ad

ad quintum inquit Spiritus Sanctus procedit à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate, & quod alibi dixerat Spiritum Sanctum procedere naturaliter, ſenſus eſt ipſum procedere ex neceſſitate, quia ſcernit Diuus Thomas procedere naturaliter, à procedere per modum naturæ, & illud aſſumit pro procedere ex neceſſitate, iſtud autem pro procedere, ſicut procedunt illa, quæ a natura producuntur, & non à voluntate, & hæc eadem prorſus eſt ſententia Scoti, idem ergo dicunt hi duo Doctores, & noſtri Magiſtri, quam quam ſubmurmurant Thomiſtæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum Productio Spiritus Sancti ſit generatio, & quare non ſit generatio, nec ſit ipſe Filius.

PRæſens quæſtio videtur confundi cum ſequenti, ſunt tamen diuerſæ, etenim ibi quæritur ratio diſtinctionis inter generationem, & ſpirationem, nunc autem proponitur productio Spiritus Sancti hic in genere, vt oſtendatur præciſa ratio, quare Spiritus Sanctus non poſſit eſſe terminus generationis cum tamen ſicut ad Filij, ita ad Spiritus Sancti productionem eadem concurrat ratio, quæ eſt, vt productum ſit ſimile in natura producenti, ſicut eſt Spiritus Sanctus Patri, Filioque in eodem natura ſimilis.

Pro prima parte quæſtionis. Negatiuè eſt de fide tenendum, propter plurimas rationes ex Sacra Scriptura deſumptas, in qua Verbum Diuinum ſæpè genitum, & vnigenitus Filius vocatur, quod non eſſet ſi Spiritus Sanctus eſſet etiam genitus, & Io. 1. dicitur. *Gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, & ſecundo, *vt Filium ſuum vnigenitum daret*, & Symb. Apoſt. *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum*, & Symb. Nyceno: *Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum*; è contra verò de Spirito Sancto, dicitur in Concilio Toletano primo in confeſſ. fid. *Spiritus Sanctus non eſt genitus*, & Athanaſius de Spiritu Sancto dicit. *Non factus, nec creatus, nec genitus ſed procedens*.

Contra has tamen auctoritates ſunt duæ rationes. Prima, motus diſtinguũtur penes terminos formales ſecundum Phyloſ. 5. phyſ. ſed idem eſt terminus formalis Filij, & Spiritus, ideſt

eſſentia diuina, igitur vtraque eſt generatio. Reſpondetur, quod quamuis ex diſtinctione ſpecifica terminorum colligatur diſtinctio ſpecifica motuum, non tamen ex identitate ſpecifica terminorum colligitur identitas ſpecifica motuum, nam idem vbi poteſt eſſe terminus motus circularis, & motus recti, qui ſunt diſtincti ſpecie, quamuis ergo eſſentia diuina ſit idem terminus vtriuſque productionis diuinæ, non propter hoc ipſæ productiones, ſunt eiuſdem ſpecici, vt vtraque ſit generatio.

Secundò arguitur; Spiritus Sanctus procedit, ſimilis Patri, & Filio ex vi ſuę productionis, ergo talis productio eſt generatio; ſequela patet. Antecedens probatur; tum quia Spiritus ex vi ſuę proceſſionis recipit naturam diuinam, in qua eſt aſſimilatio, tùm quia ex vi productionis procedit, vt Deus, ergo vt ſimilis in natura Deo eſt producendus, ſequela patet. Antecedens probatur; nam ex vi productionis procedit, vt Spiritus Sanctus, ſed vt Spiritus Sanctus eſt Deus, ergo procedit vt Deus.

Reſpondetur dupliciter. Primò negando antecedens; ad primam probationem dicitur, quod requiritur, vt productus recipiat naturam producentis ex vi productionis medio principio per modum naturæ operante, non per modum voluntatis cuiuſmodi eſt productio Spiritus Sancti, propter quod non eſt generatio. Ad ſecundam probationem dicitur, quod ex vi primaria ſuæ productionis non procedit vt Deus, ſed vt amor ſpiratus, qui amor, vt ſic ex primaria ſua ratione formali non eſt ſimilis ſuo producenti.

Sed contra hanc reſponſionem arguitur, Verbum procedit primariò non vt Deus, ſed vt Verbum, ſimiliter ergo non erit generatio eius productio, ſicut dicitur de Spirito Sancto. Reſpondetur, quod in ratione Verbi primariò includitur quidditas naturæ diuinæ, & non in ratione amoris, quia cum Verbum producatur per intellectum, imò cum ſit ipſamet intellectio, & notitia genita. & eſſentialiter natura diuina conſtituatur primariò per intellectualitatem, ita vt dicatur natura intellectualis per ſe primariò, propterea Verbum quod eſt notitia, & vt ſic procedit, vt ſimilis ipſi naturæ intellectuali, conſequenter, vt ſic procedit, vt ſimilis Deo, Spiritus Sanctus autem cum procedat vt amor, qui amor vel amabilitas non conſtituit naturam

diui-

diuinam in ſuo primario eſſe eſſentiali, vel in eſſe Dei, ideò vt Spiritus Sanctus non producitur vt ſimilis Deo, licet qui eſt Spiritus Sanctus, & amor infinitus ſit Deus. Secundò reſpondetur ad idem principale, negando iterum antecedens, & ad probationes dicitur, quod productio, quæ primò, & per ſe tendit ad naturam communicandam eſt generatio, & proptærea productio Verbi eſt generatio, quia primò, & per ſe communicatur illi natura diuina, vt natura eſt, quia ſic eſt quidditatiuè, & primaria quidditate intellectualis, & Verbum eſt actualis intellectio, Spiritui Sancto tamen primo, & per ſe communicatur natura diuina, non in primaria ſui quidditate, ideſt vt intellectualis, ſed vt amabilis, & vt amor, ac per conſequens eius productio non eſt generatio.

Pro ſecunda parte quæſtionis plurimi èx Theologis valdè laborant inquirendo præciſam rationem, quare proceſſio Spiritus Sancti, non ſit generatio, cum generatio ſecundum Ariſ. 8. phyſ. 2. de anima, & 7. methaphyſ. *Sit proceſſio viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ*, & Spiritus Sanctus procedat à viuente coniuncto in eadem natura diuina, ex quo videtur eius proceſſio propria generatio dicenda, & Spiritus Sanctus Filius, omnes tamen ad aſtruendam talem differentiam eo tendunt, vt addant diffinitioni generationis traditæ ab Ariſtotele hanc particulam, ideſt ex vi generationis, quid autem ſignificet, hoc quod eſt procedere in ſimilitudinem naturæ ex vi proceſſionis diuerſimodè explicatur.

Primò eſt D. Bonau. & Ægidius in primo diſ. 13. qui aſſerunt de ratione generationis, eſſe quod ſit proceſſio per naturam, cuiuſmodi eſt Filij proceſſio non Spiritus Sancti, quæ eſt per voluntatem, & illam particulam ex vi generationis in ſimilitudinem naturæ declarant, quod ſit generatio per naturam factam, ſed cum multi aſſerant Spiritum Sanctum, etiam naturaliter produci, & per naturam, vel per voluntatem, non quatenus voluntas, ſed quatenus natura eſt, vt ſuperiori quæſtione vidimus, ex hac ergo parte videtur etiam proceſſio Spiritus Sancti dicenda generatio, hæc tamen ratio non ſufficit ad labefactandam ſententiam horum Doctorum, quia Spiritus Sanctus verè producitur liberè, & per voluntatem, vt voluntas eſt, non vt natura.

Secun-

Secundò eſt Caietanus prima parte quæſt. 27. articu. 4. aſſerens, quod illa productio eſt generatio quæ ex vi ſua, & de ſui eſſentia, eſt vt producat effectum ſimilem producenti in natura, & cum hoc habeat productio per intellectum, non productio per voluntatem, ideo illa dicitur generatio, hæc verò minimè, & aſſignat rationem, quare productio per intellectum habet ex vi ſua, vt producat ſimile, non verò productio per voluntatem, & inquit hoc conſiſtere in tribus, in quibus differt productio intellectus a voluntatis ptoductione. Primum eſt, quia intellectus per ſpeciem intelligibilem conſtituitur in actu primo, & eſſentiali ad producendum intellectionem. Secundum eſt, quia cum ex ſpecie intelligibili, & intellectu fiat vnum totale principium intellectionis fit, vt Verbum productum ſit ſimile toti principio, & præcisè ſecundum rationem formalem conſtitutiuam talis principij, quæ eſt ſpecies intelligibilis. Tertium eſt, quia cum obiectum, ſiue ſpecies intelligibilis ſit cauſa intellectionis, & Verbi ſecundum eſſe reale, eſt hæc ſimilitudo in natura propria, & reali, quæ requiritur ad veram rationem generationis, his autem tribus indiget voluntas. Primò quia ſpecies intelligibilis, ſiuè obiectum, non conſtituit voluntatem in actu primo, & eſſentiali, quia non eſt ei forma agendi, & producendi amorem, ſed eſt conditio ſine qua non, quatenus obiectum cognitum debet præcedere. Secundò, quia amor productus non aſſimilatur ipſi obiecto, vel rei cognitæ, à qua producitur, ſed tantum voluntati. Tertiò, quia res, vel obiectum non ſecundum eſſe reale, ſed ſecundum eſſe cognitum concurrit ad producendum amorem cum actu voluntatis, & ideo iſta non eſt vera, & propria, ſed tantum metaphorica ſimilitudo, ac per conſequens eius productio non eſt generatio.

Ad illud autem quod arguitur contra hoc, nempè licet ſit vera hæc doctrina de voluntate creata, non tamen eſt vera de diuina voluntate, quæ producit Spiritum Sanctum ſimilem producenti non metaphoricè, ſed propriè, & verè, quia aſſimilatur Patri, & Filio in natura diuina, ac pro conſequens licet productio voluntatis, vt voluntas eſt non ſit generatio, erit tamen generatio, vt eſt productio talis voluntatis, ideſt diuinæ, quæ ex vi ſuæ productionis producit ſimilem in natura, ſicut intellectus.

Reſpondet Caietanus, quod diſcrimen eſt inter productionem

nem ſimilis factam ab intellectu, & a voluntate; nam ille producit formaliter, & ex vi generationis ſimilem, quia eſſentia diuina conſtituit intellectum in eſſe principij productiui, & ratio formalis producendi in intellectu eſt natura diuina, in qua Verbum aſſimilatur Patri, ideſt in entitate formali productionis, eſſentia autem diuina, non eſt ratio formalis producendi in voluntate diuina ipſam conſtituens in eſſe principij, ſed eſt ſola conditio ſine qua non, & in eſſe cognito, nam præſuppoſita cognitione eſſentiæ diuinæ, voluntas ſe ipſa producit Spiritum Sanctum, & licet Spiritus Sanctus ſit Deus, & ſimilis producenti in natura, hoc eſt ex ſubiecta materia, ideſt quia eſt productio voluntatis diuinæ, infinitæ de ſe productiuæ ens infinitum, & ſubſtantiale, quod non poteſt eſſe niſi Deus.

Sed contra hoc arguitur primò. Sicut eſſentia diuina in ratione obiecti intelligibilis eſt Patri principium, quo producendi Verbum, ſic eadem eſſentia in ratione obiecti diligibilis eſt principium quo Patri, & Filio producendi Spiritum Sanctum conſtituens voluntatem diuinam in eſſe principij productiui, quaſi fęcundando illam, ſicut intellectus per eandem eſſentiam fęcundatur, igitur eſſentia diuina non eſt tantum conditio, ſine qua non & in eſſe cognito, ſed verè principium productiuum, ex hac igitur parte non eſt fienda differentia inter intellectum, & voluntatem, quare productio vnius, & non alterius dicatur generatio. Secundò voluntas diuina non formaliter, & per ſe producit Spiritum Sanctum, ſed ratione ſubiectæ materiæ, nimirum, quia eſt in diuinis, & eſt diuina, & infinita, ſed eadem etiam ratione intellectus diuinus producit Verbum per ſe ſubſiſtens, & ſubſtantiale, quod pariter eſt Deus, nempè quia eſt intellectus diuinus, & infinitus, ex hac igitur parte nullum eſt diſcrimen, quare productio intellectus formaliter ſit generatio, & non productio voluntatis, niſi aſſignatur alia ratio diuerſitatis.

Tertiò Pater Rada controuerſia 14. artic. primo explicat. 3. aſſerit, ratio quare illud procedere ſimilem ex vi proceſſionis competit intellectui, & non voluntati, propter quod productio per intellectum dicitur generatio, non productio voluntatis eſt, quia Verbum procedit ſimile formaliter, ſeù in ſimilitudine formali naturæ producentis, amor verò ſimilis procedit virtualiter, ſiue in ſimilitudine virtuali, & tradit quamdam doctrinam Scoti 7.

ti 7. metaph. cap. 9. tex. 30. ponentis tres gradus generationis vniuocæ. Primus gradus eſt, quando generans, & genitum aſſimilatur in forma, & in modo eſſendi formæ, vt ignis genitus habet formam ſimilem in ſpecie ignis generantis, & eam habet realiter, & formaliter. Secundus gradus eſt, qui deficit in ſecunda conditione, ſcilicet quia non habet eumdem modum eſſendi formæ, vt domus in mente artificis eſt in eſſe intentionali, extra vero in rerum natura, habet eamdem formam, ſed modo reali non intentionali. Tertius gradus eſt, quando generans habet formam geniti ſolum virtualiter non formaliter, vt ſol gignens plantam, & ſic omnis productio quoad fieri poteſt tendit in ſimilitudinem naturæ, vel ſpecificæ, vel genericæ, & applicat hanc doctrinam in diuinis, ſiquidem Verbum procedit à Patre per intellectum in ſimilitudine formali obiecti intellectus, ſicuti etiam Verbum creatum hoc modo procedit, licet in modo habendi naturam non conueniant, & ideo in creaturis productio Verbi eſt vniuoca in ſecundo gradu, in diuinis autem in primo gradu, amor autem aſſimilatur ſuo principio ſolum virtualiter, ſiuè principium ſit ſola voluntas, ſiuè voluntas cum obiecto, nam amor non eſt ſimilis voluntati, nec obiecto in eadem natura ſpecifica; quapropter productio Verbi diuini, eſt generatio in primo gradu, & vniuoca, productio verò Spiritus Sancti eſt in tertio gradu, & ideò non eſt generatio, hoc igitur eſt dicere habere ſimilitudinem naturæ ex vi proceſſionis, ideſt procedere in ſimilitudine formali, ſicut Verbum, non in ſimilitudine virtuali, ſicut Spiritus Sanctus.

Et ad illud ꝙ contra hanc doctrinam obijci poteſt, quamuis in amore creato, nulla ſit ſimilitudo formalis naturæ, inter amorem, & principium eius, eſt tamen ſimilitudo formaliſſima eiusdem naturæ, etiam numericæ inter Spiritum Sanctum, & producentem ipſum.

Reſpondet, quod hoc non eſt ex vi proceſſionis Spiritus Sancti per ſe, & formaliter, ſed tantum per accidens, nempè quia eſt productio facta in diuinis, non tamen de ratione talis productionis, ideſt voluntatis.

Contra hanc doctrinam ſufficit tantum obijcere falſitatem, ſeù magnum inconueniens eſſe aſſerere Spiritum Sanctum, ex vi ſuæ productionis non formaliter, ſed virtualiter aſſimilari Patri,

& Filio

& Filio, ea propter ſe corrigit dictus Auctor ſequenti §. eiuſdem tertiæ expoſitionis, & alium modum dicendi cum alijs Auctoribus adducit ſequentem.

Quartò alij auctores explicant illud procedere ſimilem ex vi proceſſionis, ex quo ſequitur eſſe veram generationem, quod productio ſit à principio quo, & potentia operante per modum naturæ, quælibet enim natura naturaliter, & ſecundum vltimum ſuæ potentiæ operatur ad aſſimilationem ſui, & ex vi ſuæ productionis producit ſibi ſimile, cum ergo intellectus diuinus ſit agens naturale per ſe, & formaliter ex vi ſuæ productionis tendit ad aſſimilationem, voluntas autem cum ſit agens liberum non operatur per modum aſſimilationis, ſed per modum vnionis, & quamuis producat ſimile, hoc non eſt formaliter, ideſt ex vi ſuæ productionis, ſed quaſi materialiter, quia producit ad intra Deum, & perſonam ſimilem alijs in deitate.

Sed verè adhuc remanet dubium inſolutum, & ratio in ſuo robore, cum enim iuxta Phyloſophum ad veram generationem, nil aliud deſideretur, quam aſſimilatio producti in natura producenti, & hoc idem prorſus habeat proceſſio Spiritus Sancti, qui ſimilis eſt in natura Patri, & Filio non eſt, quare diſcrimen imponatur inter eius productionem, & Verbi, ex eo quod intellectus productio tendat de ſe ad aſſimilationem, & non productio voluntatis, cum videamus Spiritum Sanctum verè productum per voluntatem diuinam, ſimilem eſſe in natura producentibus illum, & non eſt adhuc reddita ratio, quare hæc præciſa productio, nempè voluntatis diuinæ, atq; infinitæ non ſit vera generatio, & alioquin multi tenent voluntatem in producendo Spiritum Sanctum non liberè, & vt voluntas, ſed naturaliter, & vt natura ſe habere, hæc igitur reſponſio non ſatisfacit omnibus.

Quintò alius recentior in de Trin. tom. 2. lib. primo diſp. 3. qu. 6. ex quatuor capitibus ſumit rationem huius diſcriminis. Prima eſt, quia generatio eſt per modum naturæ, ſpiratio verò per modum libertatis, nam productio Filij eſt per intellectum, qui admodum naturæ agit, & productio Spiritus Sancti admodum agentis liberi; hæc tamen ratio non ſatisfacit omnibus, non enim acceptatur à Thomiſtis aſſerentibus, voluntatem diuinam in productione Spiritus Sancti ſe habere, vt natura, & alioquin cum Spiritus Sanctus ſit ſimilis in natura producenti,

non

non poteſt vitari,quin ex hac parte dicatur ipſe Filius, & conſequenter eius productio ſit generatio. Ad hoc ſequitur ſecundum caput, in quo dictus Auctor inquit, ſolum ſecundam perſonam eſſe imaginem,& non tertiam perſonam, ex quo ſequitur illam eſſe Filium,eiuſque productionem eſſe generationem, & non huius; ſed præterquam quod ad filiationem, & ad veram generationem ſufficit ſimilitudo cum per Ariſt.8.ethic.ca. 12. generatio ſit productio viuentis a viuente in ſimilitudinem naturæ, & non dixit in imaginem,cum ergo Spiritus Sanctus ſimilis ſit Patri,Filioque ipſe Filius erit,eiuſque productio generatio. Hæc reſponſio ſupponit quod probandum erat, cum enim idem ſit eſſe Filiũ, & eſſe imaginem vnum ex alio probari non poteſt, & ſi probaretur eſſet petitio principij, interrogandum igitur erit, quare Filius eſt imago,& non Spiritus Sanctus ad hoc vt ille dicatur Filius,& non iſte,cuius tamen rationem non reddit. Ad hoc ſequitur tertium caput,quod quamuis Spir.S. ſimilis ſit producẽtibus, non tamen ſimilis eſt ex vi ſuæ proceſſionis ſicut Filius,ſed adhuc inquiri poteſt ratio quare Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis non ſit ſimilis, ſicut eſt Filius, cum etiam Spiritus Sanctus in ſui productione ſit ſimilis Patri, Filioque quod ſolum requiritur à Philoſopho. Ad hoc ſequitur quartum caput prædicti Auctoris dicendo terminum generationis eſſe notitiam genitam,ſpirationis vero eſſe amorem productum.

Sed contra hoc,nam ſimilitudo,quę conſtituit filiationem non conſiſtit in proprietate perſonali termini producti, & principij producentis,ſed in principio quo producendi,nam Petrus pater, & Paulus filius non aſſimilantur in perſonalitatibus,vel perſonis, ſed dumtaxat in humanitate, quæ eſt principium formale producendi in producente; & terminus formalis in producto, ad eumdem ergo modum, quamuis Spiritus Sanctus non aſſimiletur Patri,& Filio in perſona,quinimmo diſſimiletur, aſſimilatur tamen illis in eſſentia diuina,quæ eſt principium producendi in Patre,& Filio,& terminus formalis in Spiritu Sancto producto, quod omninò,& apud omnes Philoſophos,atqueTheologos ſufficit ad rationem veræ filiationis.

Ad illud autem quod arguitur Spiritum Sanctum ex vi ſuę proceſſionis eſſe Deum, ergo ex vi ſuæ proceſſionis recipit naturam diuinam,ſed in natura eſt Patri,& Filio ſimilis, igitur eſt Filius.

Reſpon-

Reſpondet Auctor num.42. quod Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis recipit primò,& per ſe eſſe amorem ſpiratum,& productum; ſecundariò autem recipit eſſe Deum, ſicut Filius ex vi ſuæ proceſſionis recipit primò,& per ſe eſſe notitiam genitam, ſecũdariò autem recipit eſſe Deum;quapropter licet Spiritus Sanctus ratione deitatis,quam recipit ſit ſimilis Patri,& Filio, tamẽ fundamentũ talis ſimilitudinis nõ recipit ex vi ſuæ proceſſionis primariò, ideoque non eſt ex vi ſuæ proceſſionis ſimilis, licet ſit ſimilis,& ad illud quod contra hoc replicatur, non eſſe intelligibile,vt Spiritus Sanctus prius recipiat eſſe amorem ſpiratum, & poſtea recipiat eſſe Deum,cum prior ſit deitas,& eſſentia, quam ipſa ſpiratio paſſiua. Reſpondet Spiritum Sanctum concipi poſſe vel ſub ratione producti,vel ſub ratione conſtituti; nam in ratione conſtituti prior eſt eſſentia, & Filius, & Spiritus Sanctus prius ſunt Deus, at verò in ratione producti prius concipiuntur vt notitia,& amor, quia ad hæc terminatur generatio, & ſpiratio.

Sed contra primam reſponſionem arguitur,ſicut Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſſionis recipit primò, & per ſe eſſe amorem ſpiratum, ſic propter eamdem rationem ex vi ſuæ productionis Filius primariò,& per ſe recipit eſſe notitiam genitam, communis eſt ergo hæc ratio in vtroque aſſerendi, vel vtrumque eſſe Filium,quia vterque aſſimilatur in natura producẽti, quam quidem naturam vterque in ſui proceſſione æquè recipit ſecundariò, non primariò,& per ſe,vel ſi Spiritus Sanctus non eſt Filius, quia non primariò,& per ſe ex vi ſuæ proceſſionis recipit eſſe Deum, ita ſimiliter nec Verbum erit Filius, quia ſecundum hunc Auctorem non recipit primariò eſſe Deum, ſed eſſe notitiam genitam.

Contra ſecundã reſpõſionẽ inutilis eſt illa diſtinctio,qua cõſiderãtur prædictæ perſonæ productę in eſſe conſtituti,& in eſſe producti,vt primo modo eſſentia diuina ſit prior in illis, & ſecundo modo proprietates perſonales ſint priores in illis, etenim vtraq; perſona conſiderata vt terminus productus, qui propriè dicitur totalis,& adæquatus terminus productionis, & quatenus quælibet includit in ſui conſtitutione eſſentiam, & proprietatem perſonalem,& quælibet in ſui productione recipit vtramque,quamuis vtraque perſona vt conſtituta,& vt producta vtramque includat. Si aliquis ordo admittendus erit in earum productione ſicut

in

in conſtitutione, prius dici debet vtramque in ſui productione recipere eſſentiam, quam proprietatem perſonalem, ſicut in earum conſtitutione prius eſt eſſentia, quam perſonalitas, ita Scot. in primo diſ. 13. quæſt. vn. §. Ad tertium dico, inquit. Primum in quacumque perſona eſt eſſentia, quia quàm aliquid continet in ſe plures perfectiones communicabiles, communicans illud vnum communicat omnes perfectiones in eo, eo ordine quo notæ ſunt eſſe in illo vno, exemplum ignis eſt ſubſtantia corporea inanimata, & elementũ, ſicut ſunt iſta per ordinem in igne generante, ita communicantur ſimili ordine igni genito, non eſt igitur ad huc reddita præciſa, & quidditatiua ratio, quare Spiritus Sanctus non ſit Filius, eiuſque productio non ſit generatio in eodem cardine vertitur opinio Patris Vulpes, prima parte diſput. 55. art. 3. num. 4.

His omnibus opinionibus propoſitis non videtur ad huc reſoluta difficultas, cum enim ad generationem ſufficiat, vt productum procedat viuens a viuente in ſimilitudinem naturæ, & Spiritus Sanctus hoc prorſus modo procedat, ſiue enim dicatur, quod productio per intellectum eſt per naturam, vt cum alijs etiam Scotus aſſerit in 3. diſ. 8. quæſt. vn. §. ad quæſt. ſiue dicatur, quod ſola generatio habet, vt ex vi ſua productum procedat ſimile in natura producenti, quod ſolus intellectus diuinus habet, & non voluntas, quod etiam cum alijs aſſerit idem Scot. in primo diſ. 10. quæſt. 1. §. ad prim. principale; ſiue dicatur, quod Verbum procedit vt natum, Spiritus Sanctus vt datus, ſecundum Auguſt. ſiue denique, quia Verbum eſt imago, & Spiritus Sanctus minimè; omnes tamen hæ rationes non ſunt finales reſponſiones ad dubium propoſitum, ſiquidem ad huc inquiri poteſt, quare Spiritus Sanctus non dicitur genitus cum procedat ſimilis in natura producenti, quod præcisè requiritur ad veram generationem, & quare procedere per modum naturæ, & eſſe ſimilem, ex vi proceſſionis, & eſſe natum, & eſſe imaginem, facit vt productio ſit generatio, cum etiam proceſſio per voluntatem diuinam habeat hunc eumdem effectum quem habet generatio, & productio per intellectum diuinum, quiquidem effectus præcisè, & per ſe requiritur ad generationem, ideſt eſſe ſimilem in natura, quam ſimilitudinem non minus habet in ſui proceſſione Spititus Sanctus, quam Filius, cum ſit eadem numerica, & ſingularis natura

tura

tura in tribus,& ab vtraq; perſona producta in ſui proceſſione recepta; eapropter non ſine magna ratione Diu. Aug. lib. 3. contra Maximin. cap. 14. inquit, *Quæris à me, ſi de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus Sanctus, cur vnus Filius ſit, & alius non ſit Filius*, deindè paulò inferius ſubdit, *Quid inter naſci, & procedere inter ſit de illa excellentiſſima natura loquens explicare quis poteſt? non omne quod procedit naſcitur, quamuis omne procedat, quod naſcitur; hæc ſcio. Diſtinguere autem inter illam generationem, & hanc proceſſionem neſcio, non valeo, non ſufficio, ac per hoc quia & illa, & iſta eſt ineffabilis, ſicut Propheta de Filio loquens ait, generationem eius quis enarrabit? ita de Spiritu Sancto veriſſimè dicitur proceſſionem eius quis enarrabit?* Sic etiã Damaſc. lib. 1. de fid. cap. 10. inquit; *Filius autem ex Patre eſt generationis modo, Spiritus verò Sanctus, & ipſe quoq; ex Patre eſt non tamen gignendi modo ſed procedendi, & quidem generationem, & proceſſionem inter ſe differre compertum habemus. Cæterũ quis differentiæ modus ſit prorſus nos fugit*; Tanta eſt igitur difficultas huius miſterij, quod prædicti PP. eam diſſoluere diffi i ſint, non quidem ignorabant proceſſionem Filij eſſe generationem, ſeù natiuitatem & Spiritus Sãcti nõ eſſe generationem, modum tamen differentiæ inquirebant; Cum ergo procedere per modum naturæ, aut ex vi proceſſionis recipere ſimilitudinem naturę, aut eſſe natum, aut eſſe imaginem verè pertineat ad eſſe Filium, & eſſe genitum, non colligitur proceſſionem Spir. San. non fore generationem, & ipſum non eſſe Filium, quod latere hos SS. PP. ex hac ſola ratione, quam etiam ipſi reddebant, non poterat, & tamen dubij manſerunt de vero diſcrimine inter proceſſ. Filij, & Sp. San. & quare alter dicatur Fili⁹, alter minimè.

Liceat deniq; inter tot lumina, nec pigeat quæsò quemquam, aut grauetur meũ audire ſuffragium, quod ſi placuerit recipiatur, ſin autem refellatur, quoniam refelli ſine pertinacia paratus ſum, eſt. n. acutè diſputãtis, nam quid quiſq; dicat, ſed quid cuique dicẽdum ſit videre, ſi quidem iudicia libera ſunt; duo vel tres modi dicendi mihi occurrunt in pręſenti difficultate.

Primus modus dicendi aptiſſimus mihi videtur, ſi rectè intelligamus quid propriè ſignificet procedere ex vi proceſſionis ſimile in natura producenti, quod eſt inueſtigare quid ſit illud, quod ex vi proceſſionis habent illę duę perſonę diuinę productę, in quo altera aſſimilatur producenti, altera verò minimè, quod quidem nõ

eſt aliud niſi habere illud tamquam primum terminum formalē, ſeù rationem ſub qua talis proceſſio ad illas perſonas tendit;nunc ad propoſitum ſolum Verbum habet pro termino formali naturā diuinam ſub propria,primaria,& quidditatiua ratione naturę diuinæ,non autem Spir.San. ex quo neceſſariò ſequitur ſolum Verbum eſſe Filium,eiq; conuenire rationem generationis,& nō Sp. Sancto. Probatur aſſumptum,natura diuina cum ſit eſſentialiter viuens debet eſſe in perfectiſſimo gradu viuentis, ac proindè in gradu intellectuali debet eſſe eſſentialiter,& quidditatiuè conſtituta,ſiquidem intellectuale eſt omnium primus,& perfectiſſimus gradus entium,atq; viuētium,& hic eſt primus proprius, & quidditatiuus cōceptus naturæ diuinæ,vt habetur ex Scoto in quodl. quæſt. 1. §. de 2. membr. ver. nam contradictio, vbi ait, quod ſi eſſentia diuina diffineretur vita intellectualis, vel intellectualitas eſſet eius definitio, hoc etiam habetur ex Aug.de Trin. lib.6.cap. vlt.& lib.15.cap.5.at verò cum eſſe liberum,atq; appetitiuum nō ſit conſtituens naturam,ſed conſequens eam conſtitutam, ſequitur quod is, cui ex vi ſuę proceſſionis cōmunicatur natura ſub ratione intellectualis,& ſic eſt terminus formalis proceſſionis ex vi eiuſdem proceſſionis ſit ſimilis producenti in natura,ſcilicet intellectuali,cuius modi non eſt is, cui talis natura communicatur ſub ratione liberi, aut appetibilis ſiuè amoris,ac per conſequens primi proceſſio dicitur generatio, & ipſe Filius,non autem ſecundi, quod quidē occurrit in Verbo,& in Sp.San.vt clarè cōſtat,quare.

Ex hoc ſequitur,quod quamuis Spiritus San.aſſimiletur Patri, & Filio in natura diuina,non propterea dicendus erit Filius, nec eius proceſſio generatio, quoniam hæc aſſimilatio ſolum eſt materialis,non formalis, ſi quidem Spiritus Sanct. ex vi ſuæ proceſſionis non recipit naturam diuinam ſub ratione intellectuali, ſed ſub ratione liberi,ſeù amoris, & ſic habet formaliter eſſe amorē, & materialiter eſſe Deum,& naturā diuinam,non quia illam habeat tamquam materiam, in qua vel circa quā, vel ex qua,ſed ad eum modū, quo ignis eſt calefactiuus, & illuminatiuus, & qui ad eum accedit vt calefiat formaliter recipit calorem, & materialiter illuminationem,ſicut è contra qui accedit vt illuminetur recipit formaliter illuminationem & materialiter calorem; quia sūt duæ qualitates neceſſariò,ac naturaliter igni annexę,vnde applicando iſta ad diuina dicendū erit Verbum diuinum ex vi ſuæ proceſſio-

ceſſionis formaliter recipere naturam diuinam ſub primaria ſui quidditate, materialiter verò recipere ſub ratione liberi ſiuè libertatis,aut amoris,ac cætera attributa,& perfectiones diuinas, & è contra Spiritum Sanctum formaliter recipere naturam diuinam ſub ratione liberi, materialiter verò ſub ratione naturæ intellectualis,atque cætera attributa,& perfectiones diuinas.

Alius modus dicendi eſſe poterit, & forte melior. Non debere vim fieri in eo præciſè,quod Verbum ex vi ſuæ proceſſionis recipiat ſimilitudinem naturæ ad hoc vt diſtinctio fiat inter ipſum, & Spiritum Sanctum, propter quam Verbum diuinum Filius, eiuſque proceſſio dicatur generatio, & non Spiritus Sanctus qui ex vi ſuæ proceſſionis non recipit talem ſimilitudinem, ſed dicendum eſt Spiritum Sanctum nec ex vi ſuæ proceſſionis, nec etiam in ſui proceſſione recipere ſimilitudinem naturæ,in qua aſſimiletur producenti,quia non recipit naturam diuinam ſub propria ratione naturæ, vt natura eſt, quapropter nec eius proceſſio erit generatio, nec ipſe Filius, & hoc nec ex parte principij quo producendi, nec ex parte termini formalis producti,hæc doctrina colligitur ex Scoto in primo diſt. 13.quęſt.vn. §. reſpondeo, & dico, vbi habet ad generationem pręcipuè vniuocam requiri vt primus terminus formalis productus ſit eiuſdem rationis cũ primo principio productiuo, at verò primum principium productiuum Spiritus Sancti non eſt natura diuina ſub ratione naturę ſicuti eſt in Filio,nec primus terminus formalis productionis Spiritus Sancti eſt eiuſdem rationis cum natura diuina, vt natura eſt, ſcilicet intellectualis, quæ eſt primum principium productiuum diuinarum proceſſionum vti eſt in Filio, cui communicatur in ſui proceſſione natura diuina vt natura, nam primus terminus formalis Spiritus Sancti eſt amor, ſeù natura communicata ſub ratione diligibilis,vel vt alij dicunt dilectæ, qui quidem terminus formalis diuerſæ rationis eſt à natura diuina vt natura;ac proindè proceſſio Spiritus Sãcti non eſt generatio,nec ipſe Filius, propterea notanter loquitur Scotus de primo principio productiuo, etenim licet potentia generatiua ſit proximum principiũ,in quolibet Patre,primum tamen principium in humanis eſt natura humana Patris,in qua aſſimilatur ſibi Filius,huius etiam natura humana eſt primus terminus formalis, eiuſdem rationis cum primo principio productiuo,quæ eſt natura humana Patris, hoc autem

non habet Spiritus Sanctus, ſicut Verbum, cuius natura diuina ſub ratione intellectualis eſt terminus formalis generationis, & eſt eiuſdem rationis cum primo principio ſui productiuo, quæ eſt eadem natura diuina vt natura in Patre, quæ vt natura eſt eſſentialiter intellectualis, & conſequenter Verbum eſt Filius, & Spiritus Sanctus non eſt Filius.

Quod ſi inſtetur ex verbis eiuſdem Scoti, quod natura vt natura non eſt principium productiuum, nec terminus formalis productionis, quia loco citato ſtatim ſubdidit, memoria eſt formaliter in notitia genita actuali, & notitia eſt formaliter in perſona generante vbi videtur Scotus ponere pro principio productiuo memoriam, & pro termino formali notitiam, ex quo ſequitur non eſſe naturam tale principium productiuum, & talem terminum formalem. Reſpondetur per ſubſequentia verba eiuſdem Scoti dicentis, licet neutrum illorum ſit prima ratio agendi, & prima ratio terminandi productionem, ex quo manifeſtè colligitur primam rationem ex vtraque parte nempè ex parte principij productiui, & ex parte termini formalis eſſe naturam vt natura eſt ad modum ſupra explicatum.

Alius modus dicendi addi poteſt, quod Verbum eſt imago Patris non Spiritus Sanctus, & conſequenter ille eſt Filius non iſte, ille generatur non iſte, & ad interrogationem factam, quare ſolum Verbum eſt imago Patris. Reſpondetur; quia aſſimilatur illi in totum, ideſt ex parte naturæ, & ex parte perſonalitatis; quod probatur, nā primo aſsimilatur Patri in natura, quia illa diuina eſſentia eſt quidditatiuè, & eſsētialiter intellectualis cui aſsimilatur intelligentia, ſeù notitia genita quę eſt ipsū Verbū. Secūdo aſsimilatur Patri in pſona quippè qui modo intellectuali, ideſt per actū intellectus conſtituitur in eſſe perſonę, qui quidē actus eſt dicere, cui etiam aſsimilatur intelligentia genita, quod eſt perſona Verbi; vndè ex vtraq; parte tùm eſsentiæ, tùm perſonę aſsimilatur Verbū Patri, & indè eſt perfectiſs. imago, & cōſequēter Filius Patris: modus autē producendi Sp. San. qui eſt ſpiratio nō cōſtituit Patrē, & Filiū in eſſe perſonali, ideoq; Sp. San. illis non aſsimilatur in perſona, & alioquin aſsimilatio in natura nō eſt formalis, ſed ſolū materialis in Sp. San. vt diximus, & cōſequenter Spir. Sanctus non eſt imago, nec Filius Patris, & Filij, nec eius proceſsio eſt generatio.

QVÆ-

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum Spiratio, & Generatio diſtinguantur ſeipſis, an aliquo alio, & quæ differentia ſit numerica nè? an ſpecifica.

CIrca primam partem huius quæſtionis plures opiniones refert, & oppugnat Scot. diſ. 13. quæſt. vn.

Prima opinio eſt Ægidij ead. diſt. artic. 2. aſſerentis. Emanationes diſtingui pęnes terminos productos, ideſt per perſonas productas iuxta dictum Philoſophi 5. phyſicorum. Sed contra arguit Scotus. Cum emanationes non habeant eſſe per terminos productos non poſſunt habere per illos diſtinctionem, ſequela patet; quia res ab eodem formaliter habet eſſe, & vnitatem in ſe, & diſtinctionem ab omni alio. Aſſumptum probatur, quia emanationes ſunt priores terminis productis, & alioquin nullum prius habet eſſe, nec diſtinctionem formalem per poſterius, ergo.

Secunda opinio eſt D. Thom. in prima parte quæſt. 27. artic. 4. ad prim. aſſerentis, quod dictæ productiones diſtinguuntur, quia vna eſt prior, altera poſterior. Sed contra arguitur, nam reddenda eſt adhuc ratio, quare vna ſit prior altera, quæ prioritas faciat diſtinctionem inter illas, ac per conſequens non diſtinguuntur primò, & per ſe vllo ordine prioris, & poſterioris.

Tertia opinio eſt eiuſdem D. Thom. in eadem prima parte quæſt. 36. artic. 2. ad 7. quod iſtæ duæ emanationes diſtinguuntur ex eo, quod vna eſt ab vna perſona, ideſt a Patre, altera eſt à duabus a Patre, & Filio. Sed contra, nam albedo, ſiuè ſit in equo, ſiuè in lapide, ſiuè in vno ſubiecto, ſiue in duobus, vel pluribus ſemper eſt ratio eiuſdem rationis immutandi viſum, igitur pęnes hoc, quod generatio ſit ab vno, & ſpiratio à duobus non differunt formaliter, ſed ſemper eſſet productio eiuſdem rationis; alia igitur eſt reddenda ratio prior, qua formaliter intrinſecè, & ſecundum propriam entitatem diſtinguantur.

Quarta opinio eſt Gotfredi in quodlib. 3. quæſt. 3. & quodlib. 2. quæſt. 4. quod diſtinguuntur, quia vna eſt cum alia, & cum oppoſito eius, non autem altera, vt ſpiratio actiua eſt cum generatione actiua in Patre, & cum oppoſita generatione paſſiua in

Filio, non autem generatio paſſiua ſtat cum generatione actiua. Sed contra, cum enim diſtinctio harum emanationum ſic proueniat ab oppoſitis relationibus, cum quibus vna ſtare poteſt, nempè ſpiratio actiua, quæ eſt poſterior generatione actiua, & paſſiua, cum quibus ſtat in Patre, & Filio, & non altera, nempè ſpiratio paſſiua ſemper poſterior relatio ſtare poſſet cum oppoſitis relationibus prioribus, & per conſequens non daretur terminus in productionibus diuinis, ſed infinitæ eſſe poſſent, & actualiter eſſent. Probatur ſequela, nam ſicut cum generatione actiua, & paſſiua ſtat ſpiratio actiua, quæ eſt poſterior illis, & alterius rationis, ita ſimiliter cum ſpiratione actiua in Patre, & Filio, & paſſiua in Spiritu Sancto poſſet ſtare ad intra, in tribus alia actiua emanatio poſterior, & alterius rationis, & propterea diſtincta ab ipſa ſpiratione actiua, & paſſiua, & ſic de alia, atq; alia in infinitum; danda eſt igitur alia ratio ad vitandum hunc proceſſum infinitum, qua intrinſecè hæ duæ productiones generatio, & ſpiratio formaliter diſtinguantur.

Quinta opinio eſt Henrici in ſum. artic. 32. quæſt. 2. dicentis. Hanc diſtinctionem eſſe pęnes principia formalia, & elicitiua, ideſt per vim generatiuam, & ſpiratiuam; ſed hoc dicere eſt deſignare diſtinctionem magis notam per minus notam, etenim generatio, & ſpiratio paſſiua, non poſſunt ſtare in eadem perſona, ſicut ſtant vis generatiua, & vis ſpiratiua in Patre, & conſequenter per has illæ non diſtinguuntur, vel ſaltem non redditur ratio ab intrinſeco, vel à magis noto ad minus notum, ſed è contra.

Sexta opinio eſt eiuſdem Henrici quodlib. 5. quæſt. 9. quod prædictæ productiones diſtinguuntur pęnes principia diſtincta ſecundum rationem, vt per naturam, & voluntatem, quæ licet in eſſentia diuina ſint ſola ratione diſtincta, habent tamen principiare per realiter diſtinctas emanationes, & ex tali diſtinctione rationis principiorũ prouenit diſtinctio realis emanationum. Sed contra arguitur, nullum ens ex natura rei præexigit neceſſariò ens rationis ad ſuum eſſe, ergo nulla diſtinctio ex natura rei, ſiuè realis, ſiuè formalis præ exigit ad ſui eſſe diſtinctionem rationis, nec ab illa dependet, & conſequenter diſtinctio realis emanationum non prouenit ab aliqua, & ſola diſtinctione rationis principiorum.

Septi-

Septima ſententia eſt Alexandri, & Adami lib. primo.quæſt. prima artic. 2. diſ. 6. Quod eſſentia diuina propter ſui illimitationem eſt principium vtriuſque productionis ſpecie diſtinctæ, ſumpta eſſentia ſub vna ratione omninò indiſtincta, in quo differt a principijs limitatis, quorum duo requiruntur ad duos actus, & probat; nam eſſentia diuina ſicut eſt immediatum principium, & radix ſapientiæ, & bonitatis ſine vlla diſtinctione in ipſa eſſentia, ita poteſt eſſe immediatum principium duarum productionum ſine diſtinctione in ipſa.

Sed contra arguitur; ſicut in nobis actus volendi non eſt formaliter liber, cum ſit quædam qualitas in ſe naturalis producta à voluntate, ſed eſt libera formaliter ipſa voluntas, à qua dicitur volitio libera; quia ſola voluntas habet inclinationem ad oppoſita, non autem volitio, ita eſt in diuinis volitio, & productio Spiritus Sancti, ſed ſi nulla diſtinctio præcedat productionem Filij, & Spiritus Sancti, prædicta diſtinctio harum productionum, vt ſunt oppoſitæ erit ab illo vno principio, ſub vna ratione indiſtincto, ideſt ab eſſentia diuina, igitur illę non ſunt diſtinctæ productiones, vt vna ſit per modum intellectus, & naturæ: altera ſit per modum voluntatis, & libertatis; quia nullum principium præcedit quod ex ſe aliter ſe habeat ad hanç, quam ad illam, & illæ productiones in ſeipſis, vt iam poſitæ in eſſe in ſui natura ſunt vniformes, quia non magis vna eſt indifferens ad oppoſita, quam altera, igitur non ſunt quidditatiuè, & eſſentialiter diſtinctæ. Sed iſta concluſio eſt falſa, & non eſt falſa maior, ergo minor; probatur maior. Actus volendi, & volitio quicquid producit naturaliter producit, igitur non eſt in ſe ipſa primò libera, ſed habet à voluntate, vt ſit libera; antecedens probatur, quia non minus naturaliter actus appetitus generat habitus appetitiuus, quam actus intellectus generet habitus intellectuales; & confirmatur; nam quilibet habitus naturaliter producitur ab actibus ſecundum Phyloſophum, ergo volitio vt productiua eſt, męrè naturaliter producit habitum non liberè, ergo non conſiſtit in ipſa libertas, & conſequenter à primo ad vltimus eſſentia diuina ſub vna ratione omninò indiſtincta propter ſui illimitationem non poteſt eſſe principium harum duarum productionum oppoſitarum.

Octaua ergo, & vltima ſententia eſt Scot. in primo diſ. 13.

quæſt. vn. Quod generatio, & ſpiratio diuina ſeipſis formaliter, & intrinſecè diſtinguuntur, nam circumſcripto quocumque alio à rationibus formalibus earum, impoſſibile eſt generationem eſſe ſpirationem, vel è conuerſo. Probatur hæc ſententia ex Aug. de Trin. lib. 5. cap. 9. & 14. vbi ad quæſtionem cur Spiritus Sanctus non ſit Filius cum procedat a Patre. Reſpondet, & reſoluit, ad diſtinctas emanationes aſſignans diſtinctionem perſonarum dicens, exit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus.

Duæ obiectiones poſſunt fieri breuiter contra hanc ſententiam. Prima à quo res habet eſſe ab illo habet vnitatem in ſe, & diſtinctionem à quocũque alio, ſed productiones habent eſſe à ſuis principijs; igitur per illa diſtinguuntur. Secunda ratio, generatio, & ſpiratio conueniunt in relatione, igitur non ſeipſis, & primo diſtinguuntur.

Ad primam reſpondetur, illæ duæ pruductiones diuinæ effectiuè, ſeù principiatiuè diſtinguuntur per principia, formaliter verò per ſeipſas, ſicut differentiæ vltimæ. Ad ſecundam reſpondetur, primò diſtincta, atque diuerſa dupliciter ſumuntur ſe totis ſubiectiuè, & ſe totis obiectiuè. Vltimę differentiæ ſunt primò diuerſæ. Secundò modo, quia non habent vnum conceptum communem prædicabilem de illis in quid, nec etiam ipſum ens, ſed tantum identicè, & realiter ens prædicatur de illis non formaliter, & quidditatiuè, productiones autem diuinæ diſtinguuntur primo modo, ſicut decem genera, quæ non conueniunt in vno prædicato contrahibili per differentias ad illa, quamuis conueniant in ente quidditatiuè, & ens quidditatiuè de illis prædicetur, & tamen decem genera ſeipſis diſtinguuntur formaliter, quia non habent differentias diſtinctas, huiuſmodi ſunt generatio, & ſpiratio diuina.

Quoad ſecundam verò partem quæſtionis de diſtinctione earum productionum ſpecifica, vel numerica breuiter per aliqua dicta reſoluitur. Primò propriè non eſt ibi diſtinctio ſpecifica, nec numeralis, quia ibi non eſt propriè ſpecies, nec propriè numerus, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt. Secundò in diuinis eſt impropriè differentia, vel ſpecies, & numerus; nam differentia capitur pro ratione formali entis, & cum ibi ſit ratio formalis omnium, quæ ibi ſunt, hoc modo dici poteſt eſſe in diuinis diffe-

ren-

rentiam. Tertiò maior eſt diſtinctio proprietatum perſonalium, quam ipſarum perſonarum, & hypoſtaſum, ſicut maior eſt differentia, & diſtinctio inter differentias indiuiduales conſtituentes Franciſcum, & Petrum, quam inter ipſos; ipſi enim conueniunt in ſpecie humana, eorum verò differentiæ, indiuiduales in nullo conueniunt, ſed ſunt primò diuerſę. Quartò perſonæ, & hypoſtaſes diuinæ propriè loquendo ſunt eiuſdem rationis, & eiuſdem quaſi ſpeciei ad modum, quo ſpecies admittitur in diuinis, quamuis proprietates ipſas conſtituentes ſint diuerſæ rationis, vt patet de Franciſco, & Petro, eorumque proprietatibus conſtituentibus. Quintò, Proceſſiones diuinæ ſunt alterius rationes, & ſpeciei ex proprijs rationibus formalibus ad modum, quo ſupra probatum eſt in prima parte quæſtionis, & hæc differentia non eſt ſumenda à principijs ipſarum productionum, quia non eſſet formalis, ſed effectiua differentia, nec à terminis, ideſt à perſonis productis, vel à proprietatibus perſonalibus earum, quia emanationes non habent formaliter ſuum eſſe per terminos, igitur nec diſtinctionem formalem, & intrinſecam, quamuis manifeſtatiuè pęnes terminos diſtinguuntur, quæ diſtinctio non eſt formalis, nec prior, ſed poſterior, atque extrinſeca.

QVÆSTIO QVARTA.

Vtrum ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio diſtingueretur realiter ab illo.

MVlti Auctores non admittunt pręſentem quæſtionem, tamquam in ſe includeret incompaſſibilia ſimpliciter, ad quam reſpondere fatuum eſſet, cum reducatur reſpondens ad methos redargutionis, ideſt contrarietatis, vel contradictionis ſuppoſitę ad quæſtionem propoſitam, vt puta ſi rationale per impoſſibile non haberet potentiam ad ratiocinandum. Vtrũ eſſet differentia ſpecifica hominis, ad quam quæſtionem ſiuè affirmatiuè, ſiuè negatiuè reſpondetur dicendo fore, vel non fore differentiam hominis, ſemper ſupponit, & concedit reſpondens duo contradictoria tamquam ſimul vera nimirum rationale, quod eſt potentia ad ratiocinandum non habere talem potentiam, quod eſt ſimul habere, & non habere potentiam ad ratiocinandum.

Ve-

Verumtamen preſens quæſtio admittenda eſt, non enim eſt illarum hypotheticarum, quæ ſimpliciter, & ex primo intelle-ctu includunt contradictionem, ſicuti includit allatum exemplum de rationali non habente potentiam ad ratiocinandum, per quã potentiam rationale in primo ſui eſſe conſtituitur, & nullo modo poteſt à rationali abſtrahi potentia ad ratiocinandum, quin deſtruatur ſuum eſſe, Filius autem diuinus non conſtituitur in primario ſui eſſe eſſentiali, & perſonali per ſpirationem actiuam, ſed per filiationem, & generationem paſſiuam, & hoc ſuppoſito inquiritur præciſa ratio diſtinguendi Filium à Spiritu Sancto, quæ ſit ſpiratio actiua nè, an filiatio? ſi enim eſt filiatio poteſt per intellectum ſecludi omnis alia ratio diſtinctionis, ita quod ſecluſa omni alia ratione, quæ non eſt de conſtitutione perſonali, Filij (abſtrahentium enim non eſt mendacium), ſiuè per intellectum, quia poſſibile eſt intelligi Verbum ſine ſpiratione, ſiuè ſecundum rem, quod eſt impoſſibile, attamen non includens contradictionem ex parte entitatis Verbi, licet includat ex parte qua neceſſario habet vim ſpiratiuam, & ſpirationem actiuam, ſicut etiam Auguſtinus dixit, ſi Pater non genuiſſet nihil prohiberet ipſum eſſe ingenitum, & tamen generare in Patre eſt magis intrinſecum, quam ſpirare in Filio, concluditur ergo iſtam quæſtionem habere locum, & poſſe inquiri ſi Spiritus Sanctus per impoſſibile non produceretur à Filio diſtingueretur nè ab illo?

Prima ſententia negatiua eſt D Thom. in prima parte quæſt. 36. artic. 2. & 4. contra gen. cap. 29. & quæſt. 10. de potentia artic. 4. quæ probatur auctoritatibus, & rationibus.

Auctoritates ſunt Conciliorum, nam Concilium Toletan. 2. aſſerit, perſonæ diuinæ plurificantur per hoc, quod ſunt ad inuicem, in tali autem hypoteſi Filius, & Spiritus Sanctus non eſſent ad inuicem, ergo non eſſent diſtincti, & Concilium Toletanum primum, Spiritus Sanctus non eſt Pater, neque Filius quia procedit ab illis, ſi ergo non procederet à Filio, Spiritus Sanctus, vel eſſet Filius, vel non eſſet diſtinctus ab illo, & Concil. Flor. ſeſſ. vlt. inquit, ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non eſſet Filius in diuinis.

Ratio autem, & præcipuum fundamentum huius ſententiæ eſt illud axioma ab omnibus receptum, & deſumptum, ex D.

Anſelm.

Anſelm. epiſt. contra Græcos cap. 3. in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non intercedit oppoſitio relatiua, ſed ſi Filius non produceret Spiritum Sanctum, non eſſet oppoſita relatio inter illos, igitur nec diſtinctio realis.

Secunda ſententia eſt Scoti in prima diſ. 11. quæſt. 2. Quod rectè diſtingueretur Spiritus Sanctus à Filio, etiam ſi per impoſſibiles non procederet ab illo, ita quod præciſa ratio diſtinctionis ſit ſpiratio paſſiua in Spiritu Sancto, & filiatio in Filio, quod probatur etiam auctoritatibus, & rationibus.

Auctoritates ſunt Sanctorum Patruum. Prima eſt D. Auguſt. de Trin. lib. 5. cap. 14. vbi reddens rationem diſtinctionis inter Filium, & Spiritum Sanctum inquit de Spiritu Sancto, *Exit enim non quomodo natus, ſed quomodo datus, & ideò non dicitur Filius, quia nec natus eſt, ſicut vnigenitus.* Secunda auctoritas eſt Anſelmi epiſt. con. Græcos de proceſſ. Spiritus Sancti, cap. 4. vbi ait, *Si per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus Sanctus, per hoc ſolum eſſent diuerſi, quia alter naſcendo, alter exiſtit procedendo*, & cap. 2. inquit, *Filius autem vt interim aliam cauſam dicam, quia non dum conſtat, quod Spiritus Sanctus de illo ſit, & procedat, ideò non eſt Spiritus Sanctus, nec Spiritus Sanctus eſt Filius, quia Filius naſcendo habet eſſe à Patre, & Spiritus Sanctus non naſcendo, ſed procedendo*, & ſimilia verba habet in cap. 3. in quibus locis Diuus Anſelmus, & pariter Auguſtinus non faciunt diſtinctionem inter Filium, & Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus procedit à Filio, & illi opponitur relatiuè, quia inquit Anſelmus, tunc non dum conſtaſſe Spiritum Sanctum procedere à Filio, & tamen diſtinctionem ponit inter illos, ex parte dumtaxat emanationum, quia emanatio Spiritus Sancti eſt alterius rationis à Filij emanatione ex quo ſequitur Filium diſtingui præciſè à Spiritu Sancto per ſui emanationem, ideſt generationem paſſiuam, atque filiationem, & conſequenter ſi Spiritum Sanctum non produceret adhuc iſte eſſet à Filio realiter diſtinctus.

Ratio autem, & fundamentam huius ſententiæ eſt axiomia illud; res vnde habet entitatem, inde habet entitatem in ſe, & diſtinctionem à quocúque alio à ſe, ſed Filius diuinus habet entitatem formaliter à filiatione, & generatione paſſiua, igitur ab illa habet intrinſecam diſtinctionem à quocúque alio, etiam à Spiritu Sancto, & ſimiliter Spiritus Sanctus habet ſuam entita-

tem

tem à ſpiratione paſſiua, & ab illa diſtinctionem à Filio, & à quocumque alio à ſe.

Ad hoc reſpondent Thomiſtæ, quod Spiritus Sanctus nullam haberet entitatem, ſi non procederet à Filio, cum enim ipſe ſit nexus, inquiunt, Patris, & Filij, ita ceſſat eſſe ipſe Spiritus Sanctus, ſi ceſſaret vna illarum perſonarum, ac ſi vtraque ceſſaret in hoc nexu in quo connectuntur Pater, & Filius, ſi quidem de ratione nexus neceſſariò eſt ipſum eſſe inter duos, vno igitur illorum circumſcripto iam diſſoluitur nexus.

Sed contra hanc reſponſionem arguitur; Non enim eſt ita nexus Patris, & Filij Spiritus Sanctus, quod eſſe nexum ſit, vel ipſamet eſſentia eius, vel principium producendi, vel actus productiuus; nam ſi dicas Spiritum Sanctum eſſe nexum Patris, & Filij in quantum ſe mutuò amant, iam in ſuperioribus probatum eſt amorem illum eſſentialem, quo ſe inuicem amant, nec eſſe principium, nec actum producendi, nec etiam eſſe ipſummet Spiritum Sanctum, quippè qui notionalis, non eſſentialis eſt. Secundò, Spiritus Sanctus tantum requirit vt producatur a voluntate diuina vt à principio productiuo, ſiuè illa ſit in duabus perſonis, ſiuè in vna ſola, hoc enim non eſt de ratione entitatis intrinſecæ Spiritus Sancti, nempè vt procedat ab vna, vel à duabus perſonis, non igitur in ſui entitate eſt nexus Patris, & Filij taliter, vt ceſſante ipſum eſſe nexum, ceſſaret ipſum habere ſuam entitatem, vt aſſumit dicta reſponſio.

Ad fundamenta opinionis contrariæ reſpondetur, ad Concilium Toletanum dicitur. Ipſum aſſumere diſtinctionem Filij, & Spiritus Sancti per relationem oppoſitam, tamquam per manifeſtiorem, non tamen inde ſequitur non eſſe aliam ex alia cauſa diſtinctionem inter illos, nimirum per diſtinctiua illorum, formaliter, & intrinſecè, & in eſſe illa conſtituentia, cuiuſmodi ſunt generatio paſſiua, & ſpiratio paſſiua.

Ad Concilium Florentinum reſpondetur latinos vſos fuiſſe hoc argumento contra grecos, ſi Spiritus Sanctus non procedit à Filio, ſequi debet, vel non eſſe Filium in diuinis, vel ſubſtantiam eius eſſe diuiſam à ſubſtantia Patris, ſed eſt Filius in diuinis, eiuſque ſubſtantia non eſt diuiſa à ſubſtantia Patris, igitur neceſſariò ſequitur, quod ab vtroque procedat Spiritus Sanctus, quæ eſt efficaciſſima ratio contra grecos. In preſenti autem hypoteſi, non

ſi, non ſequitur quod Spiritus Sanctus non diſtingueretur à Filio, quia poſſet procedere in tali caſu à ſolo Patre, & etiam eſſe de ſubſtantia Patris, & Filij ſi per impoſſibile non communicaretur à Patre vis ſpiratiua Filio, ſed ſola eſſentia diuina.

Ad argumentum autem deſumptum ex illo axiomate communi. Reſpondetur, quod relatio conſtituens perſonam non ſolum diſtinguit eam ab oppoſito relatiuo, ſed etiam à quocumque alio, quod non eſt dicta relatione conſtitutum; & ſi dicas relatio originis in tantum conſtituit perſonam in quantum opponitur relatiuè. Reſpondetur, quod quamuis relatio conſtituat perſonam, vt oppoſitam alteri relatiuè, ſed non omnis diſtinctio realis à relatiuo ſtat ſolum cum oppoſitione relatiua, ſed etiam relatione diſparata, vt v. g. Petrus Filius Ioannis diſtinguitur ab illo per filiationem, ſeù generationem paſſiuam oppoſitam; Nam Ioannes habet reſpectu ſui filij generationem actiuam oppoſitam paſſiuæ; hoc tamen non obſtante adhuc Petrus realiter diſtinguitur ab alijs rebus etiam per ſuam generationem paſſiuam in caſu, quod Petrus conſtitueretur in ſuo eſſe per illam, ſic etiam Spiritus Sanctus data hypoteſi diſtingueretur ſolum à Patre relatione oppoſita, à Filio verò relatione diſparata.

Hæc autem duplex relatio oppoſita, & diſparata vtraq; ſufficiens ad diſtinctionem realem extremorum relatiuorum colligitur ex Anſel. in epiſt. contra Grçcos cap. 2. vbi ait, *Nam quomodo Filius exiſtit de Deo naſcendo. & Spiritus Sanctus procedendo ipſa diuerſitate natiuitatis, & proceſſionis referuntur ad inuicem, vt diuerſi, & alij ad inuicem*; Vult ergo Anſelmus, quod Filius, & Spiritus Sanctus, non ſolum ſunt realiter diſtincti, atq; diuerſi relatione oppoſita, ſcilicet ſpiratione actiua, & ſpiratione paſſiua, ſed etiam relatione diuerſa, ſeù diſparata, ſcilicet natiuitate, ſeù generatione paſſiua, & proceſſione, ſiuè ſpiratione paſſiua, per quas referuntur ad inuicem, & ſunt relatiui ad inuicem, ſcilicet vt diuerſi, & alij, ſicut diuerſa, & alia eſt relatio natiuitatis, qua conſtituitur Filius à relatione proceſſionis qua conſtituitur Spirttus Sanctus in ſuo eſſe nimirum diuerſo, & alio ab eſſe Filij, non igitur ſine fundamento adinuenit Scotus hanc diuerſitatem relationis oppoſitæ, & diſparatæ, quæ ſufficiant ad multiplicandum peſonas per illas in eſſe perſonali conſtitutas, illaſq; diuerſifi-

ſificandum realiter, ſicuti genitus, & creatus non ſolum realiter diſtinguuntur à ſuis oppoſitis relatiuis generante, & creante, ſed à ſe inuicem ſunt diſtincti per ipſaſmet ſuas productiones, ſiquidem vnum, & idem generari ſimul, & creari impoſſibile eſt, ita in propoſito Spiritus Sanctus productus à ſolo Patre diſtinguitur ab illo per relationem oppoſitam, & ſi non procederet à Filio ad huc ab illo diſtingueretur per relationem, dumtaxat diſparatam; quod ergo Anſelmus protulit illam propoſitionem *in diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obſtat relationis oppoſitio*, pro illa oppoſitione relationis intellexit repugnantiam ſecundum quam vnum relatiuum cõſtitutum in eſſe perſonali per vnam relationem repugnat eſſe idem realiter cum relatiuo conſtituto in eſſe perſonali per aliam, atq; diuerſam, ſeù diſparatam relationem, ſi quidem repugnat idem conſtitui in eſſe perſonali duabus relationibus diuerſis, & diſparatis, ſicuti contingit in præſenti caſu, quod Filius diuinus eſt conſtitutus in eſſe perſonali per generationem paſſiuam, & Spiritus Sanctus per ſpirationem paſſiuam, quia repugnant duas relationes diuerſę rationis eſſe conſtitutiuas, alicuius in primo eſſe perſonali, ſiuè ſint oppoſitæ, ſiuè diſparatæ, vt inquit Anſelmus ipſa diuerſitate natiuitatis & proceſſionis referuntur ad inuicem, vt diuerſi, & alij, quamuis n. ſint relationes non oppoſitæ, ſed diuerſæ, vt ait Anſelmus, vel diſparatæ, vt ait Scotus, faciunt Filium, & Spiritum Sanctum eſſe diuerſos, & alios nimirùm in perſonis non in eſſentia.

Multas rationes contra noſtram ſententiam, & plurimas reſponſiones ad noſtras rationes adhibent Thomiſtę, ſed facili negotio ex hac doctrina illæ corruunt, & iſtæ eneruantur, & refelluntur.

QVÆSTIO QVINTA.

Vtrum pluralitas ſuppoſitorum per ſe requiratur in productione Spiritus Sancti.

PRima ſententia affirmatiua eſt D Thom. cum ſuis Diſcipulis in prima parte, quæſt. 36. artic. 4. & in prima ſentent. diſ. 10. quæſt. 2. artic. 2. & diſ. 29. quæſt. 2. artic. 4. ad 2. Patris Suar. libro 10. de Trin. cap. 6. & Vaſq. in prima parte diſputat. 150. ita quod ſi Spiritus Sanctus non procederet ab vtroq; ſed à

ſolo

ſolo Patre non fore realiter diſtinctum à Filio, vel non fore eumdem Spiritum Sanctum, qui nunc eſt, ſed aliam perſonam alia proprietate perſonali conſtitutam, & probant; Spiritus Sanctus neceſſariò ab vtroq; procedit, igitur neceſſariò, & per ſe ad ſui proceſſionem duo ſuppoſita requiruntur, antecedens probatur, perſonæ diuinæ realiter diſtinguuntur, ex oppoſitione relatiua, ſed ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non eſſet illi oppoſitione relatiua relatus, igitur ab eo non eſſet diſtinctus, ſed à ſolo Patre, cui relatiuè opponitur.

Alij aliter probant hanc ſententiam, nam proprietas conſtituens Spiritum Sanctum eſt eſſe nexum Patris, & Filij, nexus autem non poteſt eſſe vnius, ſed duorum adminus, duo igitur ſuppoſita per ſe requiruntur ad productionem Spiritus Sancti, maior eſt D. Auguſt. de Trin. lib. 6. cap. 5. vbi ait *Spiritus Sanctus eſt communis vnio Patris, & Filij*; vndè ſumpſerunt Theologi occaſionem nominandi Spiritum Sanctum nexum vtriuſq; & lib. 15. cap. 3. inquit, *Amor notitiæ genitæ eſt tertia pars imaginis, & ſic amor procedens eſt amor Verbi*, ſed eſſe vnionem, aut nexum, & eſſe Spiritum Sanctum amorem notitiæ genitæ neceſſariò, & per ſe requirit duo vnita, & Filium cum Patre eſſe principium Spiritus Sancti, igitur dualitas ſuppoſitorum per ſe requiritur ad ſpirandum. Secundò Spiritus Sanctus eſt amor mutuus Patris, & Filij ſecundum Riccar. 3. de Trin. cap. 10. ſed mutuitas amoris non poteſt eſſe niſi inter duas, igitur duo ſuppoſita requiruntur ad producendum Spiritum Sanctum.

Secunda ſententia negatiua eſt Scoti cum ſuis Diſcipulis in primo diſ. 12. quæſt. 1. & probatur. Principium æquè perfectum in vno ſuppoſito, ſicut in duobus æquè eſt principium agendi in vno, ſicut in duobus, ſed vis ſpiratiua, ideſt voluntas diuina fecunda habens eſſentiam diuinam in ratione obiecti amabilis eſt æquè perfecta in vno ſuppoſito, ſicut in duobus, & vnum ſuppoſitum eſt æquè perfectum perfectione requiſita ad ſuppoſitam agens ſicut duo, igitur dualitas ſuppoſitorum non eſt per ſe requiſita ad productionem Spiritus Sancti, maior probatur; nam ad actionem nihil aliud per ſe requiritur, niſi principium perfectum quo, & ſuppoſitum agens perfectum principium, quod huiuſmodi autem eſt voluntas diuina, & vnum ſolum ſuppoſitum diuinum, ergo.

Ad

Ad hoc argumentum reſpondent aduerſarij, quod voluntas non eſt principium productiuum, niſi in duobus ſuppoſitis, cum debeat Spiritus Sanctus eſſe vnionem, & nexum vtriuſq;

Sed contra hoc arguitur, nam eſſe nexum, & vnionem Patris, & Filij non eſt proprietas Spiritus Sancti conſtituens ipſum in eſſe perſonali, vt infra probabitur, ergo.

Secundò probatur ad productionem creaturarum non requiritur per ſe pluralitas ſuppoſitorum, igitur neq; ad productionem Spiritus Sancti, antecedens patet, quia æquè benè eſſent creaturæ, ſi eſſet vna perſona in diuinis, ſequela probatur ex Auguſtino de Trin. lib. 5. cap. 4. vbi ait, *Sicut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vnum principium creaturæ ſic Pater, & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti*, quæ quidem ſimilitudo non curreret ſi ad vnum principium requirirur pluralitas ſuppoſitorum, & non ad alterum, ſed reſpectu creaturæ non poteſt requiritur pluralitas ſuppoſitorum, igitur nec reſpectu Spiritus Sancti.

Ad rationes primi modi dicẽdi prioris ſententię reſpondetur, negando Spiritum Sanctum non fore diſtinctum à Filio ſi à ſolo Patre procederet, aut fore aliam perſonam, vt latè probauimus in ſuperiori quæſtione. Ad rationes autem ſecundi modi dicendi reſpondetur eſſe nexum ſiue vnionem Patris, & Filij non pertinere ad proprietatem perſonalem, & conſtitutiuam Spiritus Sancti ad quam per ſe, & primario ſolum requiritur vt ſit amor productus, ad quod conſequitur ipſum eſſe nexum vnionemq; vtriuſq; quatenus Pater, & Filius in eo connectuntur, ſiuè vniuntur tamquam communi producto, ſicuti duo agentia vniuntur communi effectui, vel etiam dicitur nexus, quatenus appropriate ſibi conuenit amor ille eſſentialis, quo ſe inuicem perſonæ diuinæ amant, & connectuntur, ſicut etiam dicitur Pater dicere Verbo, ideſt effectiuè declarare Verbo, cui ſecundariò, & appropriatè conuenit eſſe repreſentatiuum omnium, quæ ſunt ad intra, & ad extra. Ad ſecundum reſpondetur, Auguſtinum non ponere ſimilitudinem tertiæ partis imaginis in eo, quod amor noſter procedat à notitia noſtra, quia hoc eſt falſum, quãuis notitia præſupponatur ad amorem, ſed ſicut de facto amor ille diuinus à Verbo producitur ſic de facto vocauit Spiritum Sanctum amorem notitiæ genitæ, ideſt Verbi, de poſſibili autem, quod quærit quæſtio in hypoteſi prædicta poſſet etiam dici Spiritus

ritus Sanctus eſſe amor, & idem amor, atq; idem Spiritus Sanctus, ſi per impoſſibile ab vno ſuppoſito procederet, ſicut amor noſter a ſola voluntate non a noſtra notitia procedit vt a principio; quamuis ipſa notitia præſupponatur. Ad id autem quod inquit Riccardus de amore mutuo infra dicetur.

Secundò dicendum tamen eſt duo ſuppoſita neceſſariò requiri ad productionem Spiritus Sancti, non ex parte Spiritus Sancti, ita quod ſi non procederet a duobus non eſſet idem Spiritus Sanctus, vel non eſſet realiter diſtinctus ab eo ſuppoſito, à quo non procederet, ſed talis neceſſitas duorum ſuppoſitorum prouenit ex ordine naturali inter intellectum, & voluntatem diuinam, & ex neceſſaria communicatione diuinarum perfectionum debita Filio à Patre in eius productione, cum ergo prius naturaliter producatur Filius, quam Spiritus Sanctus, & in illo priori neceſſariò communicetur Filio voluntas fecunda, quæ eſt vis ſpiratiua neceſſariò productiua neceſſariò in vtroq; eſt principium ſpirandi, & eadem vnica vi ſpiratiua neceſſariò vterq; Pater, & Filius ſpirant, ex hac ergo parte neceſſaria eſt dualitas perſonarum ſpirãtium, quod eſt extrinſecum, & non pertinens ad intrinſecam conſtitutionem Spiritus Sancti, ad quam per ſe non requiritur pluralitas ſuppoſitorum. ſed vnum eſſet ſufficiens, ſi per impoſſibile non communicaretur Filio vis ſpiratiua, ab eoq; nõ procederet.

QVÆSTIO SEXTA.

Vtrum Pater, & Filius ſint vnum principium Spiritus Sancti.

QVamuis ad rationem conſtitutiuam Spir. Sancti per ſe, & intrinſecè non pertineat dualitas ſuppoſitorũ, ſed vnum ſufficiat, adhuc inquiri poteſt; ſuppoſito quod de facto duo ſuppoſita ſpirent, Pater, & Filius. Vtrum ſpirent vt vnum principium, an vt duo principia.

Prima opinio eſt Gregorij Ariminenſis in primo diſ. 12. quæſt. 1. Dur. diſ. 11. q. 3. & diſ 29. q. 2. & Patris Vaſq. in 1. par. diſp. 149. aſſerentiũ. Potius dicendũ eſſe in Patre, & Filio eſſe vnũ principium Spiritus Sancti, quam Patrem, & Filium eſſe vnum principium, cum enim vna ſit in ipſis voluntas, atque vis ſpiratiua,

vnum eſt principiũ in illis,& è contra cum ipſi ſint duo ſuppoſita ex hac parte minimè dicendũ videtur illa eſſe vnum principium.

Hæc opinio cenſetur ab aliquibus temeraria, vel etiam periculoſa,cũ enim concilia magna circa hanc rem ſollicitudine adhibita propter Græcos recuſantes confiteri Spiritum Sanctum à Filio procedere, ne in aliam hæreſim,vt ipſi exiſtimabant,laberentur,nimirũ quod Pater,& Filius in tali caſu eſſent duo principia contra Sanctos Patres oppoſitum aſſerentes, expreſsè definierunt Patrem, & Filium re vera eſſe vnum principium ſic in recto,& non quod in Patre & Filio ſit vnũ principium ſic in obliquo, aut quod in rigore ſermonis non ſit vera hæc propoſitio, quia Patres propriè, & verè loquentes eam protulerunt ſumpto exẽplo ex creatione,in qua tres perſonæ dicuntur vnũ principiũ.

Catholica ergo ſententia, & veritas eſt. Patrem,& Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti,quæ probatur auctoritatibus, & rationibus.

Auctoritas eſt D. Aug. de Trin. lib.5.cap.14.vbi ait,*Fatendum eſt Patrem & Filium vnum principium eſſe Spiritus Sancti non duo principia, ſed ſicut Pater,& Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus Creator,& vnus Dominus,ſic relatiuè ad Spiritum Sanctum vnum principium,ad creaturam verò Pater, & Filius,& Spiritus Sãctus vnum principium ſicut vnus Creator, & vnus Dominus*; hoc idẽ definitũ eſt in Conc.Florent.ſeſſ.vlt.& Conc.Lugdunen. ſub Gregor. X.& extra de ſum.Trin.& fid. cath.& habetur in 6. decretalium. Ratione etiam probatur à Scoto loc.cit.in illo ſigno priori,quo producitur Filius ante proceſſionem Spiritus Sancti communicatur ſibi a Patre omnis perfectio ſimpliciter, & conſequẽter fęcunditas voluntatis,ergo Pater,& Filius eadem vna, atque ſimplici vi ſpiratiua,ſeù voluntate fęcunda producunt Spiritum Sanctum,vt vnum principium, ſicut propter vnam vim creatiuã dicuntur tres perſonæ diuinæ vnum principium ad extra,ſufficiat iſta ratio, quæ eſt Achylles huius ſententiæ.

Duo dubia oriuntur ex hac opinione. Primum eſt,quamuis Pater,& Filius ſint vnum principium Spiritus Sancti, vtrum dicendi ſint vnus ſpirator,non enim continuò ſequitur Pater, & Filius ſunt vnum principium,ergo ſunt vnus ſpirator, quia poſſent dici vnum principium propter vnicam vim ſpirandi,& duos ſpiratores propter duo ſuppoſita; propterea Scotus poſtquã concluſerat

Pa-

Digitized by Google

Patrem,& Filiũ eſſe vnum principium, vltra quæſiuit, Vtrum ſit vnus ſpirator,non igitur proponenda eſt quæſtio. Vtrum ſit vnũ principiũ,& vnus ſpirator;nam reddenda eſt ratio, quare etiam ſint vnus ſpirator,quoniam aliqui PP.concedentes Patrem,& Filium eſſe vnũ principiũ,adhuc apud illos inuenitur,quod ſunt duo ſpiratores,qui tamen intelligi debent, vt inquit Scotus, ſanè, & in bono ſenſu, ſicut exponit Magiſter in primo diſ.12.

Ratio dubitandi eſt iſta.Pater,& Filius ſunt duo ſpirãtes,ergo duo ſpiratores.Sequela probatur; Sicut ſingulare infert ſingulare, ſic plurale infert plurale,vt vna perſona eſt vnus Deus,igitur tres perſonæ ſunt tres Dij.Reſpondetur negando ſequelam, etenim participium illud ſpirans ſignificat actũ vt in fieri,quia conſignificat tempus,ſicut verbum quemadmodũ paſſus ſignificat in præterito,& patiens in preſenti,& paſſurus in futuro,& ita ſicut conceditur Pater.& Filius ſpirant,ita conceditur, quod ſunt duo ſpirantes,non tamen indè ſequitur,quod ſint duo ſpiratores, quia illud nomen verbale, ideſt ſpirator non ſignificat actum per modũ actus,& in fieri,ſed per modum habitus, & quietis ſicut qui peccauit heri,& hodie dicitur,ꝙ bis peccauit ſic in fieri,& tamẽ dicitur vnus peccator,quia hoc nomẽ eſt per modũ habitus,& quietis.

Ad probationẽ autem reſpondetur,quod tunc conſequẽs, ideſt ſuperius,& commune numeratur,ad numerationem antecedentis ideſt minus communis, quando illud conſequens diſtinguitur in antecedentibus,quod oportet eſſe ſuperius,& commune ad illa, ſicut genus diſtinguitur in ſpeciebus, & ideò ſequitur duo homines,ergo duo animalia,nunc autem vis ſpiratiua non diſtinguitur nec multiplicatur in ſuppoſitis illius antecedentis, quia licet ſint duo ſuppoſita ſpirantia,quæ ſpirant, vnicam tamen habent vim ſpiratiuam,& ideò non ſequitur ſunt duo ſpirantes, ergo duo ſpiratores,quia ſpirator conſignificans actum ſpirandi per modum quietis,& habitus,ſolum ſignificat vim ſpiratiuam vti permanẽtẽ,quæ eſt vna in duobus Patre,& Filio.

Alia ratio redditur à Scoto quare non ſequitur duo ſpirantes, ergo duo ſpiratores;Quoniam omne dependens dependet ad omninò,& ſimpliciter indepẽdens,ad quod ſolum ſufficienter terminatur eius dependentia,quod ſi plura ſimul vniuntur dependentia ad aliquod ſimpliciter independens terminari debent, quia nullum illorum natum eſt terminare alterius dependentiam; ſubſtã-

Digitized by Google

tiuũ autẽ eſt omninò indepẽdens,ad quod adiectiuũ, vel termin⁹ numeralis terminari poſſunt,vndè cum ly duo additur ſpiratori, tunc ſufficiẽter eſt terminatum,& quia additum determinat illud, quod eius dependentiam terminet,ideò denotatur per illum terminũ numeralem duo,ſignificatum talis ſubſtantiui numerari,cũ autem ſignificatum ſpiratoris ſit vis ſpiratiua,& hęc non plurificetur in Patre,& Filio,ideò falſum eſt dicere ſunt duo ſpiratores, quia ſignificaretur eſſe in illis duas vires ſpiratiuas;quando autem vniuntur terminus numeralis;ideſt duo, & adiectiuum, ideſt ſpirans,quæ ambo ſunt dependentia, neutrum illorum terminat alterum, ſed ambo terminari habẽt ad omninò independens,nẽpè ad ſubſtantiuũ,at verò ſubſtantiuum ſpirantis eſt perſona à qua exit actus ſpirandi,& duę ſunt perſonæ diuinę,quæ ſpirant, ideò tum duo,tum ſpirans ad illas terminantur, & ideò verè dicuntur duæ perſonæ ſpirantes.

Secundò quæritur pro quo ſupponat hoc nomen ſpirator, aut enim ſupponit pro vi ſpiratiua,& principio quo ſpirandi,aut prò ipſo agente, & principio quod,non eſt dicendum primum, quia vis ſpiratiua non poteſt dici in recto de Patre, & Filio nimirum Pater,& Filius eſt vis ſpiratiua, ſed in obliquo, ideſt in Patre, & Filio eſt vis ſpiratiua,alioquin vis ſpiratiua ſpiraret, & ſic realiter diſtingueretur à ſpirato,quod eſt inconueniens dicere, nec eſt dicendum ſecundum;quia cum principiũ quod agẽs ſit ſuppoſitũ, ſic vnũ eſſet ſuppoſitũ quod ſpirat,& ita Pater,& Filius eſſet vnũ ſuppoſitum agens, & producens Spir. Sanctum quod eſt falſum.

Ad hoc dubium reſpondet Suar. lib. 10. de Trin. cap. 7. quod ſpirator ſupponit pro indiuiduo quodam ex eſſentia, & ſpiratione actiua conſtituto commune Patri, & Filio, & non diſtincto ab illis, ad modum quo creator ſupponit pro indiuiduo Deitatis præſuppoſito, & communi tribus perſonis. Sed contra hoc arguitur,ex indè ſequi in diuinis eſſe aliquod indiuiduum, ac ſingulare præſuppoſitum perſonis Patris, & Filij, & commune illis, quod referretur realiter ad intra, ideſt ad Spiritum Sanctum ab illo indiuiduo productum, & ſic non omnis relatio realis ad intra eſſet relatio perſonæ. Hoc autem eſt inconueniens ſecundum Scot loco cit. §. ad 2. Reſpondendum eſt igitur hoc nomen ſpirator ſupponere pro vi ſpiratiua, connotante tamen perſonam Patris, & Filij,quibus eſt forma,& ratio agendi.

QVÆ-

QVÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum poſſit concedi in aliquo ſenſu, quod Pater, & Filius ſpirent vt diſtincti.

PRæſuppoſita vna vi ſpiratiua, ac principio quo producendi, ideſt voluntate fęcunda in Patre, & Filio, propter quod dicuntur vnum principium ſpirandi, & vno ſpirator, adhuc inquiri poteſt, an hæc duo ſuppoſita per ſe potius ſpirent hac voluntate in quantum vna, an in quantum concors, ſi enim primo modo dicatur, nullatenus poteſt dici Patrem, & Filium, vt diſtincti producere Spiritum Sanctum; ſi autem ſecundo modo profectò ſpirabunt, vt diſtincti, ſi quidem concordia connotat aliquam diſtinctionem concordium.

Prima opinio eſt Henric. in ſum. artic. 54. quæſt. 6 aſſerentis, quod quamuis Pater, & Filius ſint duo ſuppoſita diſtincta, nequaquam tamen dici poſſunt ſpirare in quantum plures, & diſtincti cum habeant vnam vim ſpiratiuam, attamen cum illa vis ſpiratiua non omninò ſub ratione ſubitatis ſuæ ſit principium proximum ad ſpirandum, ſed ſub ratione voluntatis concordis, vbi cõnotatur aliqua diſtinctio, propter hanc diſtinctionem connotatatam ex parte principij quo concedi po eſt, quod ſpirent in quantum diſtincti.

Probatur hæc ſententia primò ex Auguſt. de Trin. lib. 15. cap. 5. aſſerente Spiritum Sanctum eſſe communem vnionem Patris, & Filij, hæc autẽ vnio non eſt niſi amoris in ſe inuicem impenſi, atque repenſi, in quo ſignificatur aliqua diſtinctio amantium, igitur Pater, & Filius vt diſtincti ſpirant. Secundò eſt auctoritas Ricar. de Sancto Victore de Trin. lib. 3. cap. 10. dicentis. *Spiritum Sanctum amore mutuo produci*, Mutuitas autem amoris ſignificat diſtinctionem amantium, igitur ex parte voluntatis concordis, & mutuæ in amando Pater, & Filius ſpirant vt diſtincti.

Contra hanc ſententiam arguitur ex Scoto loc. cit. ſi amore mutuò, atq; concordi producitur Spiritus Sanctus; ergo ſunt in diuinis duo Spiritus Sancti; conſequens eſt falſum, ergo, & antecedens; ſequela probatur, antequam ſit iſte amor, quo con-

cord.ter ſe amant, & amando ſe inuicem ſpirant Spiritum Sanctum, voluntas habens eſſentiam diuinam præſentem ſub ratione obiecti amabilis eſt principium ſufficiens, & non impeditum in Patre, & Filio producendi amorem infinitum, qui eſt Spiritus Sanctus, tunc ergo eſt iam productus Spiritus Sanctus, & ſic duo Spiritus Sancti, antecedens probatur, in quocumq; ſigno naturæ, vel originis eſt principium productiuum perfectum in ſe, & in ſuppoſito conuenienti actioni, tunc in illo ſigno poteſt eſſe tali ſuppoſito ratio producendi, ſic eſt ex vtraq; parte in propoſito, ideſt ex parte principij agendi, & ſuppoſiti agentis, igitur vnus erit Spiritus Sanctus productus à Patre, & Filio voluntate volente, quo ſe mutuo diligunt, ideſt actuali amore, & alter Spiritus Sanctus eadem voluntate vt eſt actus primus in Patre, & Filio habentibus eſſentiam ſub ratione obiecti amabilis, non amati, ante amorem illum mutuum.

Quod autem voluntas vt voluntas, non vt actu volens ſit principium producendi Spiritum Sanctum, ſicut etiam memoria eſt principium producendi Verbum nulla prȩſuppoſita actuali intellectione, & volitione, vt principio producendi, vel vt actu productiuo, nec alio modo per ſe neceſſaria ad producendum, ſed ex fȩcunditate propria intellectus, & voluntatis producantur perſonæ in diuinis, ſatis probatum eſt in quæſtione 10. 2. diſput. de Filio diuino.

Secunda ſententia eſt Scoti aſſerentis. Voluntatem diuinam habita eſſentia præſente ab intellectu ſibi propoſita in ratione obiecti non amati, ſed amabilis, vt vna, atq; ſimplici concepta in actu primo ſine vlla concordia, aut mutuitate in actuali amore in Patre, & Filio eſſe proximum principium, atq; completum producendi Spiritum Sanctum, ſecluſo omni amore actuali tum mutuo, tum non mutuo tamquam neceſſariò, ac per ſe requiſito ad talem productionem, vnde ſequitur Patrem, & Filium etiam ex parte eiuſdem vis ſpiratiuæ, vt principij proximi nullo modo debere dici in quantum diſtinctos producere Spiritum Sanctum. Hæc concluſio probata manet in quæſt. illa de productionibus Verbi, & Spiritus Sancti, quod illæ non ſint actus operatiui, ſcilicet intelligendi, & volendi, nec ipſas neceſſariò requiri ad eorum productiones, ſed quod dictio, ſeù actus dicendi, & ſpiratio, vel actus ſpirandi

ſint

ſint actus, quibus Pater producit Verbum, & vterq; Spiritum Sanctum.

Ad rationem deſumptam ex D. Auguſt. quamuis per illam vnionem ſignificetur diſtinctio ſuppoſitorum, hæc tamen ſuppoſita ſicut eadem ac ſimplici voluntate ſe inuicem amant, ita eadem vna voluntate ac ui ſpiratiua producunt Spiritum Sanctum, & ideò vt vnum non vt duo ſpirant, ſicut vt vnum principium propter vnam vim creatiuam non vt plura principia, atque diſtincta omnes tres perſonæ creanti quamuis ex ordine naturali, ſecundum quem prius debent fieri productiones ad intra, quam ad extra omnes tres concurrant ad creandum; ad rationem tamen intrinſecam creationis, & creaturæ per ſe ſufficit vnum ſuppoſitum, & propter eamdem rationem ex ordine naturali, ſecundum quem Pater diuinus habens duas fęcunditates naturaliter ordinatas, oportet prius habere actum primæ fæcunditatis, & ſic producere Verbum, deindè actum ſecundæ fęcunditatis, quo ſimul cum Filio producit Spiritum Sanctum, vnde non ab intrinſeca ratione Spiritus Sancti prouenit, vt ſpiretur à duobus ſuppoſitis, nec à voluntate, vi in duobus aut concordi, ſiue mutua; quoniam ab vno ſuppoſito,& à voluntate vt in vno, & ſine vlla concordia vnione, & mutuitate amoris poſſet Spiritus Sanctus à ſolo Patre produci, ſi non eſſet per impoſſibile neceſſaria communicatio eiuſdem vis ſpiratiuæ à Patre ſecundæ perſonæ Trinitatis neceſſariò fienda, propter quod neceſſariò ambo ſpirant.

Ratio autem à priori, quare in Patre potentia ſpirandi non eſt proxima, & expedita ad ſpirandum niſi ſit in Filio, & Pater ſpiret ſimul cum illo non eſt ex parte termini ſpirati, ſed eſt ex naturali ordine potentiarum, ac principiorum agendi, nullum enim ſuppoſitum agens habens duas potentias naturaliter ordinatas poteſt habere actum poſterioris potentiæ, nec eſt in proxima potentia habendi illum actum, niſi habito actu prioris potentiæ, vt homo non poteſt velle antequàm intelligat, nec eſt in potentia proxima volendi, niſi poſt actum intelligendi. Sic in propoſito duæ ſunt potentiæ, & rationes agendi in Patre diuino intellectus, & voluntas, non ergo poteſt velle, & amare eſſentiam diuinam niſi habita intellectione eſſentiæ, & ſimiliter non poteſt per voluntatem producere Spiritum Sanctum niſi

producto Filio per intellectum, nunc autem Filio producto ante productionem Spiritus Sancti neceſſaria communicat Pater eamdem voluntatem, ſicut & eamdem numero eſſentiam, atque cætera attributa, inde fit propriè, & præcisè ac per ſe, quod Pater, & Filius ſimul producant Spiritum Sanctum, qui ex hoc præciſè dicitur eſſe vnio vtriuſq; quia ab eadem vna voluntate eorum procedit, & ſic potius vt vnum in tali voluntate, viq; ſpiratiua Pater, & Filius ſpirant, quam vt diſtincti, quod quidem non pertinet ad intrinſecam rationem Spiritus Sancti, qui intrinſecè, & de ſe tantum requirit ſui principium productiuum quod, & quo, ſiue ſit vnum, ſiue plura.

Ad auctoritatem Riccardi reſpondetur, tripliciter conſiderari poteſt voluntas concors, aut concordans, ſiue mutua in aliquo actu ſecundo elicito, ideſt amando idem obiectum in diuinis, primò amando eſſentiam; ſecundò amando ſe inuicem; tertiò dicitur concors quaſi habitualiter in quantum actus primus, ideſt voluntas nata eſt habere quaſi actum ſecundum, hoc tertio modo ſolummodò Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum voluntate, vt actu primo, in quo nati ſunt concordare in actu ſecundo concorditer producendo amorem, ideſt Spiritum Sanctum, quod ſi aliter intelligat Riccardus poſtponendus Diuo Auguſtino aſſerenti Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus Sancti.

QVÆSTIO OCTAVA.

Vtrum Pater, & Filius ſpirent vniformiter Spiritum Sanctum.

RAtio dubitandi in præſenti quæſtione eſt varietas modorum loquendi SS. PP. aliorum quidem aſſerentium *Spiritum Sanctum principaliter procedere à Patre*, vt ait Auguſt. de Trin. lib. 15 cap. 17. ex quo videtur ſequi non procedere principaliter à Filio; Aliorum verò dicentium, *Spiritum Sanctum propriè procedere à Patre per Filium*, vt D. Hieron. epiſt. 88. & Hylar. de Trin. lib. 22. vnde videtur ſequi, quod ſi à Patre propriè procedit, non procedat propriè à Filio, & quod ſi per Filium procedit, à Filio non procedat; Alij etiam dicunt, *Spiritum*

San-

Sanctum procedere à Patre mediatè, & immediatè, à Filio autem immediatè tantum, vt Ricc. de Trin. lib. 6. non igitur vniformiter procedit à Patre, & Filio Spiritus Sanctus.

Ratio etiam ſuadet, non vniformiter procedere, ſi quidem omnis cauſa prima plus, & prius producit quam ſecunda, ſed Pater diuinus ſe habet vt cauſa prima reſpectu Filij, cui dat producere, ergo prius, & plus producit quam Filius, & conſequenter non vniformiter ſpirant.

Dicendum tamen nobis eſt. Patrem, & Filium vniformiter, & ſimul non vniformiter ſpirare Spiritum Sanctum.

Prima pars huius concluſionis probatur; Vna eſt vis ſpiratiua, & principium, ratioq; ſpirandi, vt vnicus actus ſpirandi in Patre, & Filio, & vnicus eſt terminus ſpiratus, igitur vniformiter ex hac parte, & ex æquo ſpirant Spiritum Sanctum. Secunda pars probatur Filius à Patre habet vim ſpiratiuam, & actum ſpirandi, igitur Pater à ſe, & Filius à Patre ſpirat, igitur non vniformiter ex hac parte ſpirant.

Contra ſecundam partem concluſionis arguitur; ſi non vniformiter ſpirant, quia Pater à ſe, Filius à Patre ſpirat, igitur Pater prius ſpirat, quam Filius, & conſequenter in aliquo priori procedit Spiritus Sanctus à Patre, ſi ergo Filius ſpirat produceret Spiritum Sanctum iam præexiſtentem ſpiratum à Patre. Reſpondetur, Spiritum Sanctum procedere prius à Patre, quam à Filio prioritate à quo, non in quo; vnde non ſequitur Spiritum Sanctum præexiſtere antequam producatur à Filio, vel quod bis ſpiretur; quia ſimul ſpiratur ab vtroq; à Patre à ſe, à Filio à Patre, vnde Scotus in quodlib. quæſt. 8. §. de 2. artic. inquit, quod in cauſando prius origine eſt cauſare à ſe, & poſterius origine eſt cauſare ab alio, ſicut autem ab alio habet virtutem cauſandi, vel à ſe, ſic & cauſare, nec eſt verum quod ſic prius cauſatum ab alio non poteſt poſterius cauſari ab alio. quia huiuſmodi intellectu[illegible] iſte, quod aliquid non poteſt cauſari ab vno à ſe, & ab alio non à ſe, qui intellectus falſus eſt, vbi eadem virtus actiua eſt in producente, & producto, ex quo rectè intelligitur, quod aliquid poteſt cauſari ſimul à duobus, ideſt in eodem inſtanti in quo, & nõ ſimul cauſari à duobus, ſed prius ab vno, quam ab alio, quia vnum cauſat à ſe, & aliud ab alio, alioquin vnũ non poſſet cauſari ſimul à duobus ab vno à ſe, & ab altero ab alio, quod eſt falſum.

Sed

Sed contra hoc arguitur. Omne principium productiuum, quod in priori ſuppoſito intelligitur habere terminum adæquatum non poteſt eſſe principium producendi in poſteriori ſuppoſito, at verò voluntas, & vis ſpiratiua eſt principium producendi Spiritum Sanctum in Patre, ergo non poteſt eſſe principium producendi in Filio, & ſic Filius non ſpirat, ſuppoſito quod Pater prius ſpiret quam Filius. Reſpondetur, quando principium productiuum in vno ſuppoſito non habet terminum adæquatum antequam producatur, ſecundum ſuppoſitum, non poteſt eſſe ratio producendi in priori ſuppoſito, niſi poſt productum ſecundum ſuppoſitum, cui communicari debet illud idem principium productiuum, ſic in propoſito ex naturali ordine potentiarum intellectus, & voluntatis, non poteſt voluntas eſſe ratio. & principium proximum producendi ſuum terminum, niſi prius intellectus producat ſuum, igitur ante productionem Verbi non poteſt produci Spiritus Sanctus, nec voluntas poteſt eſſe in Patre potentia proxima, & expedita ad producendum Spiritum Sanctum niſi poſt productum Verbum, huic autem Verbo neceſſariò Pater communicat illud principium nempè voluntatem, vimq; ſpiratiuam ſecundum totam eius fecunditatem, cum ei communicet eamdem numero naturam; hinc ergo ſequitur Patrem ſimul, & Filium eodem principio, eodemq; actu productiuo ſpirare Spiritum Sanctum, ſimul in quam in inſtanti in quo, non ſimul, ſed cum prioritate, & poſterioritate à quo, quia Pater à ſe, & Filius à Patre ſpirat.

Ad auctoritates PP. reſpondetur, primò Auguſtinus ipſemet ſe explicat ſubdens ideò principaliter dixi, quia quod Filius ſpiret hoc habet à Patre, & ex hac parte non omninò vniformiter ſpirant iuxta ſecundam partem noſtræ concluſionis, Diuus aut Hieronymus intelligitur, quod Pater dicitur propriè ſpirare ſicut proprietarius; quia in habendo rem non habet ab alio, ſicut Filius habet à Patre vt ſpiret, & ſic non propriè ſpirat, vt diſtinguitur contra proprietarium, ſed propriè ſpirat, ideſt non impropriè, vel imperfectè. Ad alias auctoritates, quod Spiritus Sanctus procedit à Patre per Filium, & à Patre mediate non ſunt intelligendæ, quod Spiritus Sanctus procedat ſicut in creaturis Nepos ab Auo mediante Patre, vel per Patrem, ſed connotatur ibi principium ſub auctoritatiuum, quatenus Filius à Patre

recipit vim ſpiratiuam, & ab ipſo ſpirat ſimul, & immediatè cum illo.

Ad rationem autem reſpondetur. Propoſitionem illam eſſe veram in cauſis, & cauſatis, quia in cauſis eſſentialiter ordinatis eſt alia virtus cauſandi, & principalior in priore, non autem eſt vera in principio, quod non eſt cauſa, quia ibi non eſt alia virtus cauſandi, & ideò non plus principiat primum principium, quam ſecundum, vt in propoſito.

QVÆSTIO NONA.

Vtrum hæc propoſitio ſit vera, & propria Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto.

PRima ſententia eſt Gotfredi aſſerentis. Hanc propoſitionem eſſe falſam, & retractatam à D. Auguſtino lib. primo retracta. capit. 26. vbi retractauit illam propoſitionem, Pater eſt ſapiens ſapientia genita, quæ ſecundum hunc auctorem ſimilis eſt huic propoſitæ propoſitioni, ſed ex falſo fundamento procedit hæc ſententia; non enim ſunt ſimiles vel eædem hæ duæ propoſitiones; nam ſapere ſemper eſſentialiter ſumitur, & ſic Pater non poteſt ſapere ſapientia genita, ſed ingenita tamen, diligere autem etiam notionaliter, & alio modo ſumi poteſt, vt infra dicetur, non igitur idem iudicium fiendum eſt de vtraq; & ſi primam retractauit Auguſtinus, non ſequitur ſecundam etiam retractaſſe.

Secunda ſententia eſt Durandi aſſerentis. Hanc propoſitionem eſſe impropriam, & in rigore falſam, poſſe tamen reduci ad verum ſenſum, vt ſit idem ac Pater, & Filius diligunt ſe amore eſſentiali, qui appropriatur Spiritui Sancto; ſed neq; hæc ſententia eſt vera; quia ita Pater, & Filius poſſent dici boni, & dona, quia bonitas, & donum appropriantur Spiritui Sancto.

Tertia ſententia aſſerit eſſe veram, ſed impropriam, & eſt idem ac dicere Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto, qui eſt ſignum dilectionis diuinæ; ſed contra hoc eſt, nam etiam creatura eſt ſignum dilectionis diuinæ, & ſic etiam poſſet dici Pater, & Filius diligunt creatura.

Quar-

Quarta ſententia eſt D. Thom. diſtinguentis diligere in eſſentiale,& notionale, primo modo non eſt vera propoſitio, Pater, & Filius diligunt ſe eſſentialiter Spiritu Sancto, quia ſic eſſentiali amore diligunt ſe inuicem. Secundo modo eſt vera, & habent hunc ſenſum, Pater, & Filius diligunt ſe, ideſt ſpirant, vel producunt ſe Spiritu Sancto, ſicut eſt vera hæc propoſitio, Pater dicit ſe Verbo,& arbor floret floribus,quia producit illos, & probat; Nam agens denominatur non ſolum ab actione, ſed etiam à termino talis actionis,qui eſt effectus agentis, quando in intellectu actionis includitur talis effectus, ſicut eſt in propoſito de his tribus propoſitionibus.

Sed contra hoc arguitur; Nam indè ſequitur ſemper agens denominari poſſe à termino ſuæ actionis formaliter, vt ædificator ædificio ædificat, quod tamen eſt falſum. Secundò diligere ſecundum hanc ſententiam in hac propoſitione ſumitur notionaliter prò ſpirare, ſed iſta non conceditur, quia eſt falſa, Pater, & Filius ſpirant Spiritu Sancto; nam ſpirant Spiritum Sanctum, igitur & illa erit falſa Pater, & Filius diligunt ſe notionaliter Spiritu Sancto. Tertiò exemplum de arbore florente non eſt ad propoſitum; quia florere floribus non eſt producere flores; nam ita floret arbor quando ſe ipſo producit flores, ſicut ſi non produceret illos, ſed à Deo per miraculum in illo producti fuiſſent, & quando ipſe producit flores non floret illis in quantum producit, quia ſic non diceretur floret floribus, ſed floret flores, quia producit illos, non illis, ſed floret in quantum habet in ſe flores vt ornamentum ſui, & ſic florere non denotat producere, & emittere flores, ſed eſſe floridum, quia non eſt verbum actiuum, ſed neutrum, ſicut ergo accipiendo florere actiuè pro producete eſt falſum dicere arbor floret floribus, ſed dicendum eſt floret flores, ita ſimiliter hæc eſt falſa ſumendo diligere notionaliter pro ſpirare,Pater,& Filius diligunt ſe Spiritu Sancto; ſed eſſet dicendum diligunt ſe notionaliter Spiritum Sanctum, ideſt ſpirant, & ſic exemplum eſt contra ipſum D. Thomam.

Quinta, & vltima ſententia eſt Scoti in primo diſ. 32. quæſt. prima aſſerentis. Sicut dicere quadrupliciter capitur vt viſum eſt diſputat. præced. quæſt. quinta, ita diligere. Primò,eſſentialiter. Secundò, notionaliter. Tertiò, medio quodam modo,& hoc dupliciter vel formaliter, vel principiatiuè; ex qua doctrina colli-

colligũtur quatuor propoſitiones, ſimul declarãdo terminos earũ.

Prima propoſitio. Pater, & Filius non diligunt ſe Spiritu Sancto eſſentialiter, quia hoc modo amore eſſentiali ſe diligunt, & ita quælibet perſona tum coniuncta cum alijs, tum ſeorſum ab illis diligit ſe, & diuinam eſſentiam, & alias perſonas, & etiam creaturas dũtaxat tali amore eſſentiali, ſicut etiam verè dicitur, Pater dicit Verbo eſſentiali non notionali, ideſt intelligit.

Secunda propoſitio. Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto notionaliter eſt falſa, quia nullo modo ſpirant ſe, nec ſpirant ipsũ Spiritum Sanctum Spiritu Sancto, ſed ſe ipſis ſpirant illum, & ſic dicendũ eſt Pater, & Filius diligunt notionaliter Sp. Sanctũ, ideſt ſpirant ipſum, ſicut Pater non dicit Verbo, ideſt generat Verbum Verbo.

Tertia propoſitio. Pater, & Filius non diligunt ſe Spir. Sãcto, quatenus diligere importat formaliter habitudinem ad res dilectas, quia ſic quælibet perſona diuina ſe ipſa diligit ſe ipſam, & alias perſonas, & eſſentiam diuinam, & creaturas; quia quælibet perſona habet dilectionem dicentem habitudinem ad rem amatam formaliter, ſicut dicitur Pater ſe ipſo formaliter dicit ſe, & Verbum, & alias res, ideſt declarat quamuis diligere hoc modo ſumptum approprietur Spiritui Sancto, quia amorem, & dilectionem habet ex vi ſuæ productionis.

Quarta propoſitio. Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto eſt vera, & propria propoſitio, ſi diligere ſumatur vt dicit habitudinem ad rem dilectam non formaliter, ſed principiatiuè, ſicut enim producens ſpeculum declarat ipſo ſpeculo principiatiuè ſe ipſum, ideſt quia producit ſpeculum, ipſum ſpeculũ declarat, & oſtendit ſuũ productorẽ, & hoc modo ipſemet producẽs ſe ipsũ declarat ſpeculo à ſe producto ſicut principiatiuè non formaliter, ita ſimiliter Pater, & Filius producentes Spiritum Sanctum, qui eſt dilectio, & amor diligunt ſe inuicem Spiritu Sancto duntaxat principiatiuè, quia Spiritus Sanctus productus ab illis diligit illos, ſicut ſpeculum productum ab agente declarat ipſum agens, & ſicut Verbum productum à Patre declarat ipſum Patrem, & ſic Pater ſe ipſum Verbo dicit, ideſt declarat principiatiuè, ita quod ſenſus huius propoſitionis Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto eſt quod Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum diligentem ipſos, ſicut verbi gratia

Petrus

Petrus producens Franciſcum amantem ipſum Petrum, & alios, & vt ſic amantem ipſum, & alios, Petrus amat ſe ipſum Franciſco à ſe producto, & amat alios eodem Franciſco.

Contra hanc vltimam propoſitionem primò arguitur diligere principiatiuè eſt idem quod ſpirare, ſicut ergo non eſt vera iſta Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto, ita nec diligunt ſe Spiritu Sancto. Reſpondetur, quod diligere principiatiuè ptout in propoſito huius propoſitionis ſumitur non eſt ſpirare, quia ſpirare eſt reſpectus ſpirantis ad amorem ſpiratum, ideſt Spiritum Sanctum, ſed diligere principiatiuè de quo loquimur eſt reſpectus amoris ſpirati ad rem amatam, qui amor cum ſit id quo formaliter res amatur habet principiatiuè à producēte vt ipſo ametur res, & ſic dicitur res amata formaliter amore, & principiatiuè à producente amorem, ſic ergo Pater amat Filium amorem, ideſt Spiritu Sancto, quatenus producit Spiritum Sanctum, qui amat Filium, & è conuerſo Filius amat Patrem Spiritu Sancto, in quantum producit Spiritum Sanctum, qui amat Patrem, vndè ſic diligere non eſt ſpirare, ſed propriè eſt eſſe principium vt aliud ametur per aliud, ſi non eſt aliquod nomen actum ad explicandum talem actionem ſicut explicatur illa, Pater dicit ſe Verbo, ideſt declarat ſe Verbo principiatiuè, nempè producendo Verbum, quod declarat Patrem formaliter, ſicut ſpeculum formaliter declarat res.

Secundò arguitur, hæc eſt falſa ignis producit calorem calore producto, igitur etiam iſta eſt falſa Pater & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto ab eis producto. Reſpondetur, quod verba actiua ſunt in duplici differentia. Primò reſpiciunt rem productam tantum, vt generare Filium reſpicit ipſum Filium. Secundò per rem productam reſpicit aliquid aliud, in quod producit illam rem, vt in ſubiectum, & in materiam, circa quam primo modo non denominatur agens à reproducta; non enim dicitur ignis producere calorem calore ſecundo modo denominatum: nam bene dicitur ignis calefacit lignum calore à ſe producto, ſic Pater non diligit Spiritum Sanctum Spiritu Sancto, ideſt non producit ipſum ipſo, ſed diligit ſe, & Filium Spiritu Sancto, quia producere, & dicere, & ſpirare reſpiciunt ſolum terminum productum, diligere autem medio amore producto reſpicit rem in qua terminatur ille amor, & hoc modo agens poteſt denominari à termino actionis, vt

ignis

ignis calore calefacit lignum , non autem primo modo .

Sed contra hoc replicatur, hæc eſt falſa ignis calefacit ſe calore à ſe producto , ergo pariter falſa eſt iſta Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu Sancto a ſe producto . Reſpondetur, quod eſt differentia inter diligere, & calefacere ; nam diligere poteſt reflecti ſupra agentem , cum vtrumque extremum ſit obiectum dilectionis , non autem calefacere poteſt reflecti ſupra ignem , quia ipſe non poteſt calefieri , ſicut amans poteſt reamari .

Denique arguitur, Pat[illegible] dicit Verbum Verbo , ergo Pater diligit Spiritum Sanctum Spiritu Sancto ; prima videtur vera ; ſecunda falſa ; ergo. Reſpondetur vtramque eſſe veram . Prima quia Pater producit Verbum , quod ſeipſum declarat , & ſic Pater producendo Verbum dicit , & declarat ipſum Verbum principiatiuè , quia Verbum ſeipſum declarat formaliter , ſic Pater producendo Spiritum Sanctum diligit ipſum principiatiuè , quatenus Spiritus Sanctus ſe ipſum diligit formaliter , & per conſequens vtraque propoſitio eſt vera ad hunc ſenſum declarata ;
Verbum enim eſt terminus productus per generationem ,
& eſt obiectum per ſeipſum declaratiuum formaliter ,
& principiatiuè à Patre , & Spiritus Sanctus eſt
terminus productus per ſpirationem , & eſt
obiectiuum amatiuum ſeipſo forma-
maliter , & prnicipiatiuè à Pa-
tre, Filioque, qui cum
Spiritu Sancto
viuunt,
&
regnant in ſęcula
ſęculorum
Amen.

✠
✠ ✠
✠

QVÆ.

Digitized by Google

QVÆSTIO

VTRVM IN DEO SIT VNA EXISTENTIA abſoluta propria diuinæ eſſentiæ & tres exiſtentiæ relatiuæ propriæ perſonarum, & ſimiliter ſi ſit vna ſubſiſtantia abſoluta, & tres ſubſiſtantiæ relatiuæ.

PRimò notandum eſt, quod ens, & res dupliciter ſumitur. Primò vt eſt in potentia obiectiua. Secundò vt eſt extra nihil in rerum natura. Primo modo nihil eſt rei proprium, atque formale reale, ſed eſt eſſe in virtute cauſæ, & ſic dicitur actus primus, quia virtus cauſæ actus primus eſt, & cum hoc modo ſit in eſſe cognitio nominatur eſſe diminutum, & ſecundum quid à Scoto. Secundo modo eſt aliquid in rerum natura actu exiſtens, propter quod dicitur actus ſecundus perfectior actu primò, & eſt eſse ſimpliciter; hoc autem eſse ſimpliciter, & exiſtere in rerum natura triplex eſt, aut enim res exiſtit in alio vt in ſubiecto, & ſic eius exiſtentia dicitur inhærentia, vel exiſtit in alio vt pars in parte, vel in toto ſicut forma ſubſtantialis eſt in materia, & vtraque in compoſito, & hæc exiſtentia dicitur in exiſtentia, vel nullo modo eſt in alio, ſed in ſe, & per ſe exiſtit res, & huiuſmodi exiſtentia dicitur ſubſiſtentia, ex quo apparet, ex alio capite deſumi exiſtentiam ſcilicet ex eſse actuali in rerum natura, vel eſt ipſummet eſse, & exiſtere actu, & ex alio capite deſumi ſubſiſtentiam, inhærentiam, & in exiſtentiam nempè à modo eſsendi in rerum natura; vel eſt ipſemet modus eſsendi, & exiſtendi rei exiſtentis: ex quo ſequitur quod hi modi exiſtendi neceſsariò includunt exiſtentiam, eamque præſupponunt.

Secundò notandum eſt, quod hoc exiſtere aut eſt ex ſe, & de ſe exiſtere, aut ab alio, à quo producitur in eſse, atque extrahitur à ſuo eſse potentiali, & poſſibili ad eſse actuale reale. Primo modo eſse, & exiſtere eſt de eſsentia, & quidditate rei cuius eſt; hoc enim ſignificat illud de ſe, & ex ſe, quod dicit cauſam, & rationem formalem, & quidditatiuam, & hoc modo ſolus

ſolus Deus exiſtit, qui dat omnibus eſſe, & exiſtere non accipiens illud ab alio, & iam in ſuperiori quæſtione probatum eſt exiſtentiam Dei eſſe pe eius quidditate, quod autem ab alio eſt, & producitur, ab eo recipit ſuum eſſe actuale, quod eſt exiſtentia in rerum natura, & ſic ab extrinſeco aduenit exiſtentia quidditati, & eſſentiæ talis rei, & conſequenter non eſt de eius eſſentia, & quidditate, ſed eſt modus ipſius eſſentiæ rei. His prænotatis.

Prima opinio aſſerit in Deo eſſe vnam tantum exiſtentiam dumtaxat abſolutam, qua tres perſonæ diuinæ exiſtunt, & conſequenter nullam eſſe in Deo exiſtentiam relatiuam, qua perſonæ diuinæ debeant exiſtere, & è conuerſo aſſerit, tres eſſe ſubſiſtentias relatiuas, quibus perſonæ diuinæ per ſe exiſtunt, & ſubſiſtunt, nullamque eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, qua eſſentia diuina; vt præconcepta perſonis ſubſiſtere debeat, nec ſi eam haberet in vſu eſt vocare ſubſiſtentiam, ſed exiſtentiam dumtaxat; vtramque partem tuetur Vaſques in prima parte diſput. 125. & 126. priorem ſolam partem tenet Vulpes in prima par. diſp. 58. art. 8.

Prima pars huius opinionis probatur. Primò ex auctoritate Patruum, & Conciliorum in vniuerſim aſſerentium in Deo eſſe vnum tantum eſſe quod eſt exiſtere. Secundò ſi quælibet perſona haberet ſuam propriam exiſtentiam, haberet etiam ſuam durationem, & conſequenter ſuam propriam æternitatem, quia duratio in diuinis eſt æternitas, ex quò denique ſequitur, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint tres æterni, non vnus æternus contra Symbol. Athan. prima ſequela probatur, nam duratio rei eſt permanentia ſeu continuatio exiſtentiæ rei. Tertiò exiſtentia non diſtinguitur realiter ab eſſentia ſecundum Scotum ſi ergo in diuinis ſunt tres exiſtentiæ perſonarum, tres etiam eſſent eſſentiæ, hoc autem eſt hæreticum ergo. Quartò Pater Vulpes loco citato num. 3. probat auctoritate Scoti in primo diſ. 5. quæſt. 2. §. tertia difficultas circa finem vbi ait Scotus, dico igitur, quod relatio, & eſſentia ita ſunt in perſona, quod neutra eſt forma informans alteram, ſed ſunt perfectè idem licet non formaliter, vt tamen non ſunt formaliter idem, relatio nullo modo perficit eſſentiam

tiam, nec eſt terminus formalis receptus in eſſentia; ſed eſſentia hoc modo eſt forma relationis, quia eſt qua relatio eſt, & ſimiliter quo eſt Deus, & concludit Vulpes ergo non habet relatio propriam exiſtentiam cum exiſtat ſimpliciter per eſſentiam veluti per propriam formam. Quintò idem Vulpes num. 5. adducit alium locum, Scoti in 4. diſ. 45. qu. 3. §. ad qu. ergo, vbi ait, reſpondeo, exiſtentia actualis primò conuenit naturæ, quę verba ſic explicat primò hoc eſt primariò ſeu in recto, alijs verò realitatibus diuinis conuenire ſecundariò, & in obliquo, & concludit, affirmamus quidem omnium realitatum eiuſdem rei vnũ dari exiſtere, ſeu vnam exiſtentiam naturæ. Sextò arguit ſi perſonæ habent diſtinctam exiſtentiam, ergo ſunt diſtincta entia, cum eſſe conſtituat formaliter ens. Septimò tres perſonę vna Deitate ſunt Deus, vnaque ſapientia ſapiunt, igitur vna exiſtentia exiſtunt, & exiſtere debent.

Hæc opinio exploſa manebit in noſtra ſententia, & ad primum ex auctoritate PP. reſpondetur, intelligendas eſſe de primariò fundamentali, atque abſoluto eſſe diuino, quod quidem vnum eſt in diuinis, exiſtentiæ autem de quibus in pręſentiarum eſt ſermo ſunt relatiuę, ideoque multiplicantur in diuinis. Ad ſecundum Pater Vulpes diſp. 56. art. 3. concedit tres exiſtentias relatiuas contra id quod aſſerit loc. ſupra cit. & pariter concedit, tres perſonas habere tres ęternitates, nec implicare, ęternitatem formaliter ſumptam multiplicari in diuinis, ſicut & multiplicantur ſecundum Scotum in primo diſ. 13. quæſt. vn. littera N. & alibi, infinitates perfectionum diuinarum formaliter à inuicem, & ab eſſentia diſtinctarum. Hęc tamen aſſertio non quadrat, etenim ſicut cuilibet quo, ſeu cuilibet formæ correſponde t ſuum proprium quod habens per talem formam tale eſſe, ita ſi tres eſſent eternitates in diuinis tres eſſent ęterni. Secundò reſpondet Pater Martinus in de Trin. cap. 2. qu 5. concedendo tres durationes, & negando tres eternitates, ſicut inquit quęlibet duratio relatiua non eſt infinita formaliter, ſed tantum identicè, ita nec eſt ęternitas ſeu eterna formaliter, ſed tantum identicè. Hęc etiam reſponſio neque quadrat etenim duratio in diuinis, eſt formaliter ipſa eternitas ſicut in creaturis duratio eſt tempus, ſi ergo ſunt tres durationes, ſunt tres æternitates. Reſpondetur ergo negando ex multiplicatione exiſtentiarum durantium multipli-

cari

cari durationes, & ęternitates. Vnde in diuinis tres exiſtentiæ relatiuę vnica duratione communi, idest vna eadem ęternitate exiſtunt, atque durant ſicut tres homines exiſtentes ſimul vno tempore durant, & menſurantur, ſi quidem exiſtentia rei permanens, & continuans in eſſe non eſt ipſa continuatio, & duratio, & menſura, ſed eſt menſurata tali menſura, in qua continuat, & durat in eſſe, & exiſtere. Ad tertium reſpondetur quod dupliciter ſumitur eſſentia primo modo pro natura rei propriè, & ſtrictè ſumpta; ſecundo modo pro quacumque quidditate ſeu realitate vel formalitate ſiue ſit propriè res, & natura ſiue ſit modus, aut circumſtantia res. Primo modo ſumendo eſſentiam non eſt neceſſe vt exiſtentia multiplicata multiplicetur eſſentia ſiue natura, ſi quidem plurimę ſunt exiſtentiæ in vna re ſicut plurimæ realitates vel accidentia, quorum quodlibet ſua propria exiſtentia gaudet in iſpa re, quę dicitur vel inexiſtentia vel inhærentia, vt v.g. albedinis, & coloris & odoris in pomo, ipſa tamen re non multiplicata multiplicantur exiſtentię quæ dicuntur inhęrentiæ illorum accidentium, & pariter eſſentiæ eorumdem nempè quidditates, ſeu eſſe quidditatiuum illorum, & hoc idem accidit in propoſito quod multiplicatis exiſtentijs relatiuis perſonarum multiplicantur etiam eſſentię ſcilicet quidditates ſeu rationes formales earum, quæ pariter ſunt relatiuæ, non autem eſſentia ſeu natura diuina. Ad quartum reſpondetur, aliud eſt dicere homo humanitate formaliter eſt homo, & aliud homo humanitate formaliter eſt. Prima eſt vera, quia humanitas eſt forma dans eſſe humanum homini. Secunda eſt falſa, quia homo exiſtentia formaliter eſt, & exiſtit; ſed quid dicendum eſt ad illa verba Scoti, quod eſſentia communicatur non vt forma informans materiam, ſed vt quidditas communicatur ſuppoſito tamquam formaliter exiſtenti per eam, & iterum dicit, quibus ſuppoſitis dat eſſe vt quo formaliter illa ſuppoſita ſunt. Ex quibus verbis colligitur ſuppoſita diuina exiſtere formaliter per eſſentiam diuinam, ſed facilis eſt expoſitio verborum ſe ſe declarantium; nam ſi eſſentia eſt vt quidditas quæ communicatur ſuppoſito, & quæ dat eſſe ſuppoſitis, dupliciter ſuppoſitum intelligitur habere eſſe per aliud fundamentaliter ſeu originatiuè, & formaliter ſic perſonæ diuinæ, & relationes originis habent eſſe per eſſentiam diuinam non formaliter, ſed fundamentaliter, & originatiuè;

quia ab ipſa tamquam à fundamento pullulant, & ſecundo modo ſcilicet formaliter habent eſſe, & exiſtere per exiſtentiam ſicut homo dicitur formaliter exiſtere per Deum à quo accipit eſſe, & exiſtere quo formaliter exiſtit ſua exiſtentia. Ad quintum reſpondetur neque hoc loco Vulpam aſſequutum eſſe mentem Scoti, vbi nulla mentio fit de eſſe primariò, & ſecundariò, in recto, & in obliquo, de eſſe naturæ diuinæ, & realitatum, quæ ſunt in ea, ſed ſolum inquit Scotus, quod eſſe primò conuenit naturæ, quam ſingularitas, & hæcceitas dicens. Exiſtentia actualis primò conuenit naturæ, vnde hæc natura non eſt exiſtens formaliter quia hæc, ſed per naturam, ideſt natura non eſt exiſtens qua ſingularis eſt, ſed qua natura eſt; loquitur ergo Scotus de natura diuina in reſpectu ad ſeipſam, non ad alia quæ ſunt in ea, & quidem in ambiguo laborat Vulpes ſumendo exiſtere in recto, & in obliquo, quaſi illud ſit propriè exiſtere, hoc non. Si enim ſumit exiſtere in recto pro exiſtere per ſe, & in ſe, & in obliquo pro exiſtere per aliud, & in alio, tunc exiſtentiam confundit cum ſubſiſtentia, quæ inſeitas, & perſeitas ab aliquibus dicitur, & de hoc non eſt ſermo in præſentiarum; quia loquimur de exiſtentia, prout diſtincta à ſubſiſtentia: Dum ergo eſse in alio, vel per aliud ſit exiſtere in rerum natura ſemper habet ſuam peculiarem exiſtentiam, vt exiſtentia accidentis quæ dicitur inhærentia diſtincta à ſubſiſtentia ſubiecti, quæ dicitur ſubſiſtentia, ita Scotus in 3. aſserit, naturam humanam habere propriam exiſtentiam in Verbo, & in Collationibus inquit, accidentia ſubſiſtere ſubſiſtentia ſubiecti, non inquit exiſtere, ſed ſubſiſtere, nimirum, quia ſunt duæ exiſtentiæ vna ſubiecti, quæ dicitur ſubſiſtentia, altera accidentis, quæ dicitur inhærentia, ambo tamen vnica ſubſiſtentia ſubſiſtunt. Ad id autem quod ſubdit Vulpes dicens. Alioquin non implicaret contradictionem perſonam in diuinis per relationem ſimpliciter eſſe contra communem ſententiam PP. & Conciliorum dicentium, in diuinis reperiri vnum eſſe. Reſpondetur duplex eſſe reperiri in diuinis ſecundum Scotum in quodlibet. quæſtione quarta ad primum principale. Alterum eſt eſſe ſimpliciter; alterum eſt eſſe hypoſtaticum. Primum eſſe, & exiſtere eſt vnicum in diuinis abſolutum, & proprium diuinæ eſſentiæ, atque commune tribus perſonis.

Secun-

Secundum eſt eſſe relatiuum, & proprium trium perſonarum, & conſequenter triplex eſſe relatiuum, & tres exiſtentiæ relatiuæ.

Ad ſextum reſpondetur. Non eſſe quod hæreamus vti faciunt quidam Scotiſtæ, Bargius, Rada, Herrera, Fauentinus, Martinus Meuriſſe cap. 2. quæſt. 2. concluſione prima, & ipſe Vulpes hac quæſtione. Si in vno ente, & vna re poſſint eſſe plures realitates habentes proprias exiſtentias nec ne? nimirum ſi ex plurificatione exiſtentiarum neceſſariò ſequatur plurificatio rerum, & entium, & quidem omnes prædicti Auctores exiſtimant neceſſariò ſequi talem plurificationem, ea propter priores admittentes tres exiſtentias relatiuas in diuinis concedunt eſſe ibi tres res, & tria entia relatiua dumtaxat, Vulpes autem negans pluralitatem entium relatiuorum in diuinis, negat pluralitatem exiſtentiarum relatiuarum; etenim album cum ſit quoddam vnum ens includit duas realitates habentes proprias exiſtentias vnam parietis, quæ dicitur ſubſiſtentia, cum paries per ſe exiſtat, alteram albedinis, quæ dicitur inhærentia cum exiſtat in pariete, veriſſima quidem exiſtentia vtriuſque ni velimus confundere exiſtentiam cum ſubſiſtentia, quod eſt contra intentum præſentis quęſiti diſtincti a quęſito ſequenti, vbi quæritur ſi ſint in diuinis plures ſubſiſtentiæ perſonarum relatiuæ, & vna abſoluta eſſentiæ, ſic in propoſito in diuinis ſunt plures realitates præſertim relatiuæ, quæ ſunt diſtinctæ a ſe inuicem realiter, & ab eſſentia formaliter ſcilicet tres relationes originis, & ſunt extra nihil ſecundum Scotum in quodlib. quæſt. 3. artic. primo, fatendum eſt igitur illas propriam exiſtentiam habete ea ratione, qua ſunt extra nihil, & in rerum natura, quamuis ea ratione qua non ſunt ibi vt in ſubiecto, vel in compoſito, & ſubſiſtere dicantur, & propriam habere ſubſiſtentiam eodem modo relatiuam, vt in ſequenti probabitur, ex quo patet, non oportere, vt ad eas anguſtias redigamur; quod ex pluralitate exiſtentiarum relatiuarum cogamur concedere tres perſonas eſſe tria entia relatiua, quamuis Auguſtinus in primo de Doctrtna Chriſtiana cap. 4. vel 5. dixerit, res quibus fruendum eſt ſunt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, & ſic tres perſonæ de mente Auguſtini poſſint dici tres res, ſicut etiam Anſelm. lib. de Incarn. Verbi cap. 3. dixit, nihil prohibet duas perſonas dicere duas res,

Digitized by Google

ſi tamen intelligamus cuiuſmodi ſunt res, volebant dicere res relatiuæ attamen abſtinuerunt tres perſonas dicere tria entia, ſicut etiam Scotus in primo diſ. 23. littera B. abſtinuit. Vnde tres perſonę ſunt tres exiſtentes relatiui, exiſtentes in quam exiſtentijs relatiuis tamquam rationibus formalibus exiſtendi ſic relatiuè, & vna res. vel vnum ens ſcilicet abſolutum.

Ad ſeptimum reſpondetur. Deitatem, & ſapientiam non poſſe diſtingui in abſolutam, & relatiuam ſicut exiſtentia diſtinguitur; hæc enim altera eſt abſoluta, qua Deus, & Deitas vt præciſa à perſonis exiſtit, & eadem exiſtentia perſonæ etiam exiſtunt, & ſunt nimirum ſimpliciter; altera eſt exiſtentia relatiua, qua perſonæ ad aliud ſunt, quod eſt eſſe hypoſtaticum relatiuum in diuinis ita ex Scoto in quodlib. quæſt. 4. §. ad primum principale.

Secunda opinio in alio extremo admittit tres exiſtentias relatiuas, & nullam abſolutam, & è contra vnam ſubſiſtentiam abſolutam, & nullam relatiuam.

Prima pars huius opinionis probatur, natura diuina exiſtit exiſtentijs relatiuis, ergo non habet exiſtentiam propriam, & abſolutam. Secundò quæ ſunt communia Deo, & creaturis ſunt eiuſdem rationis, at verò exiſtentia eſt communis Deo, & creaturis, & in his exiſtentia naturæ non eſt alia ab exiſtentia ſuppoſiti, igitur hoc idem in diuinis contingit.

Secunda pars probatur; natura diuina ſubſiſtit ſubſiſtentia propria, & abſoluta, ergo non ſubſiſtit ſubſiſtentijs relatiuis, & conſequenter ſubſiſtentiæ hæ relatiuæ non ſunt ponendæ in diuinis. Hæc opinio improbabitur in noſtra ſententia, & ad rationes reſpondetur.

Ad primam rationem pro prima parte reſpondetur, negando ſequelam, quamuis enim eſſentia etiam exiſtat exiſtentijs relatiuis propter identitatem realem cum illis, earumque perſonis exiſtentibus, hoc eſt quaſi ſecundariò, quia primariò exiſtit propria exiſtentia abſoluta, vt infra probabitur.

Ad ſecundum reſpondetur, præterquam quod exiſtentia creata non eſt eiuſdem rationis cum exiſtentia increata, vt viſum eſt ſuperiori quæſtione, & præterquam quod falſum eſt, naturam creatam non habere exiſtentiam propriam diſtinctam ab exiſtentia ſuppoſiti, vt patet de humanitate Chriſti propria exi-

ſten-

ſtentia creata exiſtente in ſuppoſito Verbi, natura creata vt præciſa à ſuppoſito nullum eſſe actuale in rerum natura habet, vel habere concipitur, quia in productione ſuppoſiti recipit eſſe, & exiſtere; in diuinis autem diuerſa eſt ratio, vbi omnia emanant, ac pullulant ab eſſentia diuina, & conſequenter præſupponitur eius eſſe in vltima actualitate, & exiſtentia ad omnia, quæ ibi ſunt, cum à non exiſtente nihil emanare poſſit.

Ad rationem ſecundæ partis reſpondetur, negando vltimam ſequelam, quia cum debeat in diuinis ponit eſſe incommunicabile perſonarum, quod eſt proprium, & relatiuum ac in vltima actualitate independens; quod non poteſt eſſe, niſi eſſe per ſe, & in ſe (licet ſit ad aliud) quod eſt ſubſiſtere hypoſtaticum incommunicabile relatiuum, ac proprium perſonarum, ſic ipſa ſubſiſtentia incommunicabili, & relatiua tamquam ratione formali ſubſiſtendi ſubſiſtunt perſonæ diuinæ ea ratione, qua ſunt diſtinctæ formaliter ab eſſentia diuina, illa autem ratione, qua ſunt ipſi eſſentiæ realiter idem ſubſiſtunt ſubſiſtentia abſoluta.

Sed contra hoc arguitur. Sicut perſonæ propter identitatem realem, quam habent cum eſſentia ſubſiſtunt ſubſiſtentia eſſentiæ, ſic è contra propter eamdem identitatem realem eſſentia ſubſiſtit ſubſiſtentijs relatiuis, ex quo oritur confuſio; nam vnum eſt in altero, & alterum in vno, & vnum ſubſiſtit per alterum, & alterum per vnum. Reſpondetur, potius eſſe dicendum ſuppoſita diuina eſſe in Deitate, atque exiſtere, & ſubſiſtere iſta Deitate ſiue exiſtentia, & ſubſiſtentia Deitatis, quam è contra, vt inquit Scotus in primo diſ. 5. quæſt. 2. §. tertia difficultas dicens, eſſentia eſt infinita perfectio potens in ſecundo ſigno naturæ communicari alicui vt quidditas communicatur ſuppoſito tamquam formaliter exiſtenti per eam, & ita pullulant relationes ex ea, & perſonæ in ea, & ex ea, non quaſi quædam formæ dantes eſſe ſibi, vel quaſi quædam ſuppoſita, in quibus recipiat eſſe cum ſit ſimpliciter ens, ſed quibus ſuppoſitis dat eſſe, vt quo formaliter illa ſuppoſita ſunt, & quo ſunt Deus, & ita relatio illa pullulans cum ſit per ſe ſubſiſtens ipſa pullulat non vt forma eſſentiæ, ſed vt nata eſſe Deus ipſa Deitate formaliter, licet non vt informante ipſam, ſed vt exiſtente eadem ſibi perfectiſſima identitate; nullo autem modo è conuerſo relatio eſt

eſſentiæ vt quo formaliter eſſentia eſt determinata, vel aliquo modo actuata per ipſam; quia hæc omnia repugnant infinitati eſſentię, & ſubdit, ſicut ſubſiſtens dicitur eſſe in natura vt ſortes dicitur ſubſiſtere in humanitate, quia ſortes humanitate eſt homo, ſic perſonę diuinę ſunt in eſſentia, vt ſuppoſita ſunt in propria natura, & non e contra.

Tertia opinio conſiſtit in pluribus concluſionibus.

Prima concluſio. In Deo eſt vna exiſtentia abſoluta eſſentiæ diuinæ, & pariter ſunt tres exiſtentiæ relatiuæ perſonarum.

Prima pars probatur ex Scoto in primo diſ. prima quæſt. 2. §. per hoc ad argumenta vbi ait, quod eſſentia diuina eſt de ſe hęc, & ideò poteſt videri ſine perſonis, nihil autem poteſt habere propriam hæcceitatem niſi habeat propriam exiſtentiam, quinimmò hęcceitas naturæ præſupponit eius exiſtentiam ex eodem Scoto in 4. diſ. 45. quæſt. 3. §. ad quęſt. vbi ait, vndè hęc natura non exiſtit formaliter quia hæc ſed per naturam, & ſic exiſtentia actualis primò conuenit naturæ, deinde hęcceitas, & diſ. 5. quęſt. 2. §. tertia difficultas ait, hęc eſſentia communicatur vt quidditas ſuppoſito tamquam formaliter exiſtenti per eam, & inferius ait, quibus ſuppoſitis eſſentia dat eſſe vt quo formaliter illa ſuppoſita ſunt, & quo ſunt Deus; nihil autem poteſt eſſe quo aliud eſt, & quod alteri dat eſſe niſi habeat proprium eſſe, igitur eſſentia diuina maximè eſt, atque exiſtit, & paulo ſuperius dixerat, ita igitur hic oportet eſſentię dare eſſe, vel in ſuppoſito, vel eſſe eſſentię ſecundum ſe, hoc autem eſſe eſſentię eſt actuale eſſe, & ſic eſt exiſtentia, & diſ. 7. quęſt. vn. verſus fin. ait, fundamentum aliquo modo pręcedit relationem ſaltem non ex ratione formali habet relationem, quia eſt aliquid pręter eam, ex Auguſt. 7. de Trin. cap. 3. igitur eſſentia, quę eſt fundamentum relationum originis, quod prius dixerat Scotus loc. cit. diſ. 5. quęſt. 2. propriam exiſtentiam vt pręciſa à relationibus originis, & perſonis habet, & in quodlibet. quæſt. 1. §. reſpondeo ait, habetur ergo iſta concluſio quod in diuinis oportet ponere aliquam entitatem realem in exiſtentia actuali, & aliquam vnam, & primam, & illam eſſe ad ſe, quę rationabiliter à Sanctis vocatur eſſentia, eſt igitur in Deo exiſtentia abſoluta propria eſſentię diuinę. Deindę probatur ratione de-

ſumpta

ſumpta ex auctoritate PP. nam Auguſtin. libr. 7. de Trinit. cap. 4. inquit, ab eo quod eſt eſſe appellatur eſſentia, propter quod Deus cui proprijſſimè, & veriſſimè conuenit eſſe, veriſſimè dicitur eſſentia, & c. 6. ſubſtantia Patris ipſe Pater eſt, non quo Pater eſt, ſed quo eſt: quod autem eſt alteri ratio eſſendi maximè eſt, & exiſtit, igitur eſſentia diuina habet ſuam propriam exiſtentiam abſolutam formaliter diſtinctam ab exiſtentia perſonarum, & Damaſcen. libro primo cap 12. ait, eſſentia diuina eſt radix fundamentum, & fons omnium quæ ſunt in diuinis, quę ab ea emanant, ſed à non exiſtente nihil emanare poteſt, ergo.

Secunda pars probatur. Perſonę diuinę ſunt à ſe inuicem diſtinctę realiter, & ab eſſentia diſtinctę formaliter, ergo habent eſſe perſonalia diſtincta realiter inter ſe, hoc autẽ eſſe perſonale non eſt potentiale, ſed maximè actuale, & in rerum natura, igitur perſonæ diuinę exiſtunt proprijs exiſtentijs relatiuis, & perſonalibus à ſe inuicem realiter diſtinctis ab exiſtentia verò abſoluta eſſentię ſolum formaliter ex natura rei diſtinctis.

Vtramque partem huius concluſionis comprehendit Scotus in quodlib. quęſt. 4. §. ad argum. principale dicens eſſe in diuinis poteſt accipi, vel pro eſſe ſimpliciter, vel pro eſſe incommunicabili, ſimpliciter non eſt ibi niſi vnicum eſſe, ſicut ſępè dictum eſt per Auguſtinum, vt eſſentię; eſſe autem incommunicabile ſiuè hypoſtaticum eſt ibi aliud, & aliud ſicut alia, & alia perſona: eſse autem eſt exiſtere, ſicut ergo duplex eſt eſse in diuinis, alterum eſse ſimpliciter, quod eſt abſolutum, & proprium eſsentię diuinę, alterum eſse incommunicabile ſiuè hypoſtaticum, & relatiuum & proprium perſonarum, ſic duplex eſt exiſtere, alterum eſsentię, alterum perſonarum; illud abſolutum, hoc relatiuum, & propterea illud vnum, hoc trinum.

Secunda Concluſio. In Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ perſonarum, & vna ſubſiſtentia abſoluta eſsentiæ diuinæ.

Prima pars probatur, cum aſsumit ſubſiſtentias relatiuas, non ſolum in concreto ſecundum quod dicitur in diuinis eſse tres ſubſiſtentes relatiui, de quo non eſt controuerſia, ſed etiam in abſtracto ſecundum quod dicitur in diuinis eſse tres rationes ſubſiſtendi relatiuè; nunc probatur ſic.

Sicut

Sicut vnicuique quo correſpondet ſuum proprium quod, ſic è conuerſo vnicuique quod correſpondet ſuum proprium adæquatum, ac proportionatum quo ſeu ratio, & forma, qua illud tale dicitur, & eſt tale, at perſonę diuinę ſunt quod ſubſiſtunt, & ſunt tres ſubſiſtentes ſecundum Conc. Florent. Ergo debet illis correſpondere ſuum quo ſcilicet forma, ac ratio ſubſiſtendi, quę eſt ipſa ſubſiſtentia, qua formaliter ſubſiſtunt, & ſicut perſonæ ſunt relatiuę, ita ſimiliter, & ſubſiſtentię ſunt relatiuę. Secundo probatur ex Scoto in quodlibet quęſt. 4. §. ad argum. principale vbi ait; eſſe autem incommunicabile ſeu hypoſtaticum eſt ibi aliud, & aliud ſicut alia, & alia perſona, ſed eſſe incommunicabile eſt verum, & proprium eſſe ſubſiſtens, & eſſe hypoſtaticum in diuinis eſt eſse relatiuum, igitur ſunt ibi tres ſubſiſtentes relatiui, & conſequenter tres ſubſiſtentię relatiuę.

Secuuda pars probatur ex Scoto in 3. diſ. prima quęſt. 2. §. ad quęſt. igitur, vbi ait, quod autem ipſa eſſentia per ſe exiſtens poſſit eſſe terminus proximus illius vnionis videtur, quia ipſa nullum eſſe habet à perſona, ſed eſt prius naturaliter quam ſit in perſona, & dat eſſe perſonę; eſt enim natura de ſe hęc, & per ſe ſubſiſtens licet non incommunicabiliter, hoc idem tenet in eod. 3. diſ. 5. quęſt. prima & in primo diſ. 7. quęſt. vn. hęc autem opinio multipliciter declaratur à Doctoribus.

Primò Caietanus in prima parte quęſt. 39. artic. 3. & 4. & alibi aſſerit, quidem hanc ſubſiſtentiam communem tribus, & propriam naturę diuinę, quam propterea vocat ſemi perſonam; ad perſonam enim requiritur tùm ſubſiſtentia, tùm incommunicabilitas, natura enim diuina quamuis non habeat incommunicabilitatem, cum tamen habeat ſubſiſtentiam ſemi perſona vocatur; hęc tamen ſententia ab omnibus refellitur tamquam ex proprio Marte, & vndequaque improbabilis.

Secundò Capreolus in 3. diſ. prima quęſt. prima, adeò aſſeruit hanc ſubſiſtentiam eſſentialem, & communem tribus, quod pręter illam non ſint in diuinis alię ſubſiſtentię, quę à Theologis relatiuę vocantur, hanc eamdem ſententiam ſequitur Ferrarien. 4. contra gen. cap. 26. & probat, quoniam ſi paternitas conſtituit perſonam Patris, non prout eſt diſtincta ab eſſentia, ſed vt eſt eadem illi, nulla alia ſubſiſtentia inueniri poteſt in Patre niſi illa naturę diuinę, cum relatio originis conſtituens Patris

tris

tris perſonam non ſit aliquo modo diſtincta ab eſſentia, & conſequenter nullam ſubſiſtentiam illi tribuere poſſit aliam à ſubſiſtentia eſſentię diuinę, nec ſit vnde aliqua ſubſiſtentia perſonę Patris aduenire poſſit, idem ſimiliter dicitur de Filio, & Spiritu Sancto. Secundò probat relatio diuina eſt actu quidam modus exiſtentię diuinitatis ſecundum Damaſcen. primo de fide cap. 9. 10. & 11. ſed modus exiſtentię nec eſt exiſtentia, nec ipſam tribuit alicui, igitur exiſtentię non multiplicantur in perſonis, cum ex relatione omnia in diuinis multiplicentur, probatur minor, nam Anima rationalis habens exiſtentiam per creationem ex modo exiſtendi in ſe dum eſt ſeparata, & ex modo exiſtendi in corpore dum eſt vnita nulla alia noua exiſtentia ſibi additur, ſed nouus modus exiſtendi, ergo ſimiliter Deo habenti ſuam propriam exiſtentiam per ſe, & ex ſe nulla noua per relationes originis additur; relatio ergo originis non dat exiſtentiam perſonis, ac per conſequens perſonę vnica tantum exiſtentia, & ſubſiſtentia communi, & eſſentiali exiſtunt.

Hæc opinio penitus falſa, & magis abſurda quam prior eſt, loquitur enim ſaltem contra intentum Synodi quintę Conſtantinopolitanę, quę actione 11. definit Trinitatem eſſe numerabilem tribus ſubſiſtentijs perſonalibus, nec poteſt intelligi de ſubſiſtentijs in concreto, ita vt ſint tres perſonę ſubſiſtentes vnica illa ſubſiſtentia communi eſſentię diuinę, etenim negatoria eſſet loquutio Concilij, & ſenſus eſſet, quod Trinitas eſſet numerabilis tribus perſonis perſonalibus, ſi ſubſiſtentia à Concilio poſita eſt idem quod perſona ſcilicet ſubſiſtens concretum, & confirmatur quoniam ſecundum Concilium ſunt tres ſubſiſtentes relatiui in diuinis, igitur ſunt tres ſubſiſtentię relatiuę in abſtracto, ſequela probatur quoniam ſubſtantiuum non numeratur nec multiplicatur niſi multiplicentur formæ, ergo.

Ad primum argumentum reſpondetur, falſum eſt relationes conſtituere perſonas vt idem eſſentie; ſunt enim diſtinctę ab eſſentia nedum ratione verum etiam ex natura rei, & formaliter, & vt ſic diſtinctę ab eſſentia conſtituunt cum eſſentia perſonas, ſiue ſint diſtinctę ratione, ſiue à parte rei, ſi ergo ea ratione qua relationes ſunt idem cum eſſentia non poſſunt habere propriam ſubſiſtentiam diſtinctam à ſubſiſtentia eſſentiæ vt prædicti Auctores diſcurrunt, eadem ſimiliter ratione, qua relationes diſtinguuntur

guuntur ab eſſentia, vt verè diſtinguuntur ſecundum omnem opinionem, & vt ſic diſtinctæ conſtituunt perſonas, debent habere ſubſiſtentiam propriam, atque diſtinctam ab eſſentia diuina. Ad auctoritatem Damaſceni, & rationem conſequentem reſpondetur, quod Damaſcenus non ita vocauit relationem diuinam eſſe modum, quin vera res ipſa ſit, quoniam modus vt diſtinctus a re, & qui nullam entitatem actualem ex ſe dicit, imperfectionem includit, cuiuſmodi non eſt relatio originis in diuinis, & hoc idem patet ratione; nam ideò perſonalis ſubſiſtentia, & relatiua Verbi terminat naturam humanam, quia non tantum modus ſed vera res eſt actualis, ſiue potius actualitas eius entitatis, per quam perſona diuina actualiter ſubſiſtit in rerum natura.

Tertiò alij aſſerunt, quòd vna eſt ſubſiſtentia in diuinis illa ſcilicet communis, & eſſentialis, quæ tamen prout eſt quaſi determinata ad tres perſonas per tres relationes, & proprietates relatiuas habet rationem trium ſubſiſtentiarum, & ex hoc tres perſonæ dicuntur tres ſubſiſtentes, ſi quidem ſubſiſtentia eſſentialis, vt eſt determinata per paternitatem ad Patrem induit rationem ſubſiſtentiæ perſonalis, & ſic de alijs perſonis, & hoc modo vna, & ſimplex ſubſiſtentia eſſentialis fit trina perſonalis ſubſiſtentia.

Sed non minus abſurda eſt hæc ſententia, quam præcedentes, inde enim ſequeretur, eſſentiam ipſam diuinam ſic determinatam ad perſonas per proprietates relatiuas vnicam exiſtentem fieri triplicem ſiue trinam eſſentiam in tribus, ita vt ſicut ſubſiſtentia eſſentialis in Patre alia eſt, & alia in Filio propter diuerſam determinationem, ita pariter alia eſſet diuina eſſentia in Patre, alia in Filio propter eamdem diuerſam determinationem, quia non eſt maior ratio de vno abſoluto, quam de alio. Secundò determinari, modificari, & quodammodo actuari dicit imperfectionem, non ergo diuina eſſentia, nec ſubſiſtentia illa communis, nec aliquod aliud abſolutum in diuinis actuatur, ſeu determinatur per relationes originis, ergo.

Quarta & vera nobis ſequenda ſententia eſt, quod datur ſubſiſtentia communis eſſentialis, & abſoluta diuinitatis, vt præciſa à perſonis diuinis, quæ dicitur hic Deus ſubſiſtens, & indiuiduum Deitatis, præter tres illas ſubſiſtentias proprias perſonales, &

rela-

relatiuas, quibus tres diuinæ perſonæ incommunicabiliter per ſe exiſtunt, & ſubſiſtunt, ſicut eſſentia diuina communicabiliter per ſe exiſtit, & ſubſiſtit. Hæc ſententia eſt his temporibus communis in ſcholis, & tuetur à Scoto in primo diſ.4. quæſt. 2. & diſ. 7. quæſt. 2. & in quodlibet. quæſt. 4. & quoad ſecundam partem quæſtionis eſt magis nota, & antiqua, quam etiam oſtendit Scotus in primo diſ. 18. quæſt 3

Primò probatur hæc ſententia; eſſentia diuina vt præciſa à perſonis, & ſecundum ſe, & ſuam propriam rationem concepta eſt perfectio ſimpliciter, igitur ei conuenit per ſe exiſtere & ſubſiſtere quod etiam eſt perfectio ſimpliciter. Probatur ſequela ex ſupradictis in quæſtionibus præcedentibus, cuicumque perfectioni ſimpliciter eſt compoſſibilis omnis perfectio ſimpliciter propter rationes ibi traditas, at in diuinis idem eſt eſſe, & poſſe eſſe, habere, & poſſe habere, igitur eſſentia diuina actu habet ſubſiſtentiam propriam ſiue formaliter ſiue ratione diſtincta a ſubſiſtentijs relatiuis perſonarum, & confirmatur: nam eſſentia diuina vt ſic eſt infinitè perfecta in genere entis ergo eſt infinitum, & perfectum ens, & conſequenter per ſe exiſtens, & ſubſiſtens, ideſt habens vltimam actualitatem, quæ maximè conuenit perfectioni rei.

Ad hoc reſpondere poſſunt aduerſarij, quod diuinitas vt ſic habet omnem perfectionem in ratione naturæ, ad quam rationem non pertinet per ſe exiſtentia, quia vt ſic non eſt in ſe, ſed in perſonis, & ideò non ſubſiſtit, nec habet aliam ſubſiſtentiam à ſubſiſtentia perſonarum.

Sed contra hoc eſt illa doctrina à nobis tradita in loc. cit. de Incarn. de duplici illa ſubſiſtentia, prima ſecundum quam res non exiſtit in alio, vt in ſubiecto vel in toto vel in altera parte, & eſt propria ſubſtantiæ completæ, & perfectæ, quæ quidem ſubſtantia vel eſt ipſummet ſuppoſitum vel natura ſubſtantialis, quæ ita eſt in ſuppoſito, vt non determinetur, nec actuetur ad ſuppoſitum per ſuppoſitalitatem, cuiuſmodi eſt ſola natura diuina, in qua nec potentia nec quaſi potentia cadere poteſt, vt determinetur, & actuetur ad differentiam naturarum creatarum ſubſtantialium, quæ determinantur, & contrahuntur ad ſuppoſita, & ſic actuanrur, & dicta ſubſiſtentia ex ſui perfectione ſingularis exiſtens communicabilis eſt tribus. Altera ſubſiſtentia

eſt

Digitized by Google

eſt incommunicabilis, prima eſt naturæ diuinæ, quia ſeipſa eſt ſingulariſſima, & ſubſiſtit complete, & perfectè in rerum natura, etiam vt præciſa à perſonalitatibus, atque perſonis; ſecunda ſubſiſtentia eſt ſuppoſitorum.

Secundò probant aliqui hanc ſententiam, ex eo quod vnicuique quo correſpondet neceſſariò ſuum proprium quod, ſed non omni quo ſuæ naturæ neceſſariò correſpondet ſuum proprium ſuppoſitum, & tamen illi correſpondet ſuum proprium quod, ideſt ſingulare, atque indiuiduum, cuiuſmodi eſt inter alias naturas natura diuina, cui exiſtenti quo immediatè correſpondet ſuum proprium quod, ideſt ſingulare, & indiuiduum; cui præciſè competit quæcumque competunt perſonis diuinis, vt eſſe Deum Dominum, Creatorem, & Conſeruatorem. Dicitur enim in Symbol. Athan. Deus vel Dominus Pater, Dominus Filius, & Dominus Spiritus Sanctus, & tamen non tres Dij, & Domini, ſed vnus Deus, & Dominus: Hoc autem dicitur, quod iſta competunt perſonis non in ratione perſonæ, quia ſic eſſent tres Dij, ſed in ratione naturæ, quæ eſt ipſum indiuiduum Deitatis, cui vt quod competit eſſe Dominum creare, & conſeruare, & cætera huiuſmodi. Probatur illa minor, nam in accidentibus cuicumque naturæ, quæ eſt principium quo non correſpondet ſuppoſitum, vt patet, ſed neceſſariò correſpondet ſuum proprium indiuiduum, ſiquidem nulla natura poteſt eſſe realis, & non ſingularis, atque indiuidua, indiuiduum igitur non ſuppoſitum eſt proprium quod ipſius naturæ, quæ eſt quo, hoc enim accidens mouet ſenſum, & ſic eſt ipſum quod mouet, ſimiliter in natura ſubſtantiali poteſt eſſe ſuum proprium quod, quod non ſit ſuppoſitum, ſed indiuiduum, vt in natura humana Chriſti non eſt ſuum proprium ſuppoſitum, & tamen poteſt ipſa agere, & ſic habere ſuum proprium quod, quod erit ſuum indiuiduum non ſuppoſitum, ſiquidem in materia de Incarn. diximus, naturam humanam Chriſti Verbo diuino vnitam poſſe peccare non concurrente ſuppoſito diuino, vt ibi diximus, igitur in illa natura erit ſuum proprium quod, & hoc non ſuum ſuppoſitum, quod iam non habet, nec ſuppoſitum Verbi, quod iam peccare non poteſt; igitur erit ſuum proprium indiuiduum principium quod peccandi, vel alias actiones operandi; hoc idem contingit in natura diuina, quæ habet ſuum proprium quod vt præciſa

à per-

Digitized by Google

à perſonis, quod eſt ſitum indiuiduum, cui immediatè competit creare, gubernare, & alias actiones ad extra operari.

Ad hoc reſponderi poteſt, veram eſſe doctrinam in natura non habente ſuppoſitum, quę autem habet ſuppoſitum, vel proprium, vel alienum vt natura Chriſti habet pro principio quod ipſum ſuppoſitum in quo eſt, & non indiuiduum vt diſtinctum a ſuppoſito, ſic in diuinis ſunt propria ſuppoſita naturę diuinæ, quæ ſunt ipſius principia vel principium quod.

Sed contra hoc eſt. Quoniam in natura humana Chriſti, etiam ſi habet ſuppoſitum Verbi, non poteſt ipſum ſuppoſitum eſſe principium quod maximè peccandi, quia influeret in peccatum, & peccaret, & in diuinis quamuis ſint ſuppoſita propria naturę diuinæ, non poſſunt eſſe ipſa vt ſic, ideſt vt ſuppoſita eſſe principium quod actionum ad extra, etenim Pater non vt Pater creat ad extra nec Filius, & Spiritus Sanctus vt ſic: quia ſi vt ſic eſſent principia quod creandi, eſſent tres creatores diſtincti, ſicuti ſunt tres perſonæ diſtinctæ, creat igitur Pater non vt Pater, & vt perſona ſed vt Deus, ſicut è contrario Pater vt Pater generat, & Filius vt ſic generatur, & ſic perſonæ ſunt principia quod actionum ad intra realiter diſtincta, ſicut & ipſæ perſonæ realiter diſtinguntur.

Secunda concluſio pro principali intento quæſtionis tres perſonæ diuinæ ſunt idem prædictæ ſubſiſtentiæ communi abſolutę, & eſſentiali, probatur nam tres perſonæ ſunt vna eſſentia diuina, & vna Deitas ſiue vnus Deus, igitur tàm in abſtracto ſunt vna ſubſiſtentia abſoluta, quàm in concreto ſunt vnum ſubſiſtens abſolutum; ſequela probatur de quo prædicatur aliquid prædicatur, & eſſentia illius, ſed Deus, & Deitas prædicatur de tribus, & exiſtentia ſeu ſubſiſtentia eſt de eſſentia Dei, vt patet ex dictis in ſuperioribus, ſubſiſtentia igitur prædicatur de tribus, & ſic tres ſunt vnum ſubſiſtens commune dumtaxat, & abſolutum, quamuis ſint tres ſubſiſtentes relatiui.

Notandum eſt in calce huius quæſtionis, ſecundam rationem quam aliqui magnifaciunt non eſſe præcipuum fundamentum huius ſententiæ, propter multas difficultates quas patitur, & quę non omnia ab omnibus conceduntur; ſola igitur prima ratio eſt præciſum fundamentum ſententiæ, ſiquidem ab omnibus conceditur perfectiones ſimpliciter eſſe neceſſariò ſibi inuicem compoſſi-

poſſibiles, & in diuinis neceſſariò de facto compati, & ab omnibus conceditur etiam, ſubſiſtentiam aut per ſe exiſtentiam, cum ſit vltima actualitas rerum eſſe perfectionem ſimpliciter.

Tertia concluſio vni exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ abſolutæ, & tribus exiſtentijs, & ſubſiſtentijs relatiuis correſpondet vnum exiſtens, & ſubſiſtens abſolutum, nempè indiuiduum Deitatis, quod dicitur hic Deus eſſentialiter enunciatus, & tria exiſtentia, & ſubſiſtentia relatiua nempè tria ſuppoſita diuina. Probatur vtraque pars ex communi illa, & recepta propoſitione, vnicuique quo correſpondet ſuum proprium, & proportionatum quod, at exiſtentia, & ſubſiſtentia tum abſoluta, tum relatiua eſt quo, ſcilicet ratio exiſtendi, & ſubſiſtendi relatiuè, & abſolutè, igitur exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ abſolutè correſpondet vt quo ſuum quod proportionatum ſcilicet abſolutum, & vnum indiſtinctum, ideſt hic Deus, & indiuiduum Deitatis, vt præconceptum perſonis diuinis, & exiſtentijs, ac ſubſiſtentijs relatiuis correſpondent tria quod nempe tria ſuppoſita diuina diſtincta à ſe inuicem realiter ab relationem originis inter ipſa.

Quarta concluſio. Huic Deo indiuiduo Deitatis eſſentialiter enunciato, & pro illo communi ſupponente immediatè, ac primariò conueniunt omnia, quæ ſunt eſſentialia, & communia tribus, quibus ſecundariò, & mediante illo communi conueniunt prædicta, ac de illis enunciantur vt intelligere velle eſſe beatum, creare, & gubernare, ſuppoſitis autem diuinis, vel Deo prout ſupponit pro aliqua perſona immediatè, & primariò conueniunt, quæ ſunt in diuinis propria, vt generare, & ſpirare, ſic ergo dicendum eſt, ideò Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus creant, quia Deus creat; & è conuerſo, ideò Deus generat, quia Pater generat, ideoque Deus ſpirat, quia Pater, & Filius ſpirant.

Contra tertiam concluſionem arguitur. In creatis natura quælibet immediatè ſupponit pro ſuo ſuppoſito, illudue primò ſignificat, & non aliquod ſingulare, & indiuiduum, ſcilicet humanitatis, vel equinitatis, vt hic Homo, vel hic Equus, ſed Franciſcus legit, Brunellus rudit, non autem hic homo habens humanitatem, vt diſtinctus à ſuppoſito humano, ergo hoc idem contingit in diuinis.

Reſpondent Carouin. in prima par. & lib. primo diſputat. 2. quæſt.

quæſt. 12. & ferè idem dicit Martinus Meuriſſe cap. 2. quæſt. 6. quod natura creata dum eſt ſingularis neceſſariò habet pro ſuo materiali adæquato quod non aliquod indiuiduum diſtinctum à ſuppoſito creato, ſed immediatè ipſum ſuppoſitum, non enim natura Franciſci de ſe eſt hæc, ſolum modò indiuidualis, ſed neceſſariò eſt adiuncta ſuppoſito, ita vt ſuum adæquatum quod ſit ſuppoſitum, at natura diuina de ſe eſt hæc, ideoque in ratione naturæ vt natura eſt adæquatè talis, quia Deitas eſt de ſe hæc, ergo eſt adæquatè Deus in ratione abſoluta Dei, ſiue Deitatis. Sed inquiro ab his Auctoribus, natura humana antequam ſuppoſitetur eſt ne ſingularis, & hæc an non? Si abnuas, ergo idem iudicium at qui de diuina, ſi renuas, igitur Verbum non aſſumpſit naturam athomam ideſt ſingularem, & hanc, quod eſt contra Damaſcenum lib. 3. de fide ortodoxa cap. 11. ex quo ſequitur, quod non ex ea ratione, qua natura eſt hæc vel non correſpondet ei pro ſuo quod aliquid aliud à ſuppoſito vel non, quia quælibet natura etiam creata prius ſingulariżatur, & haecheizatur, quam ſuppoſitetur; igitur ſecundum hanc doctrinam etiam naturæ creatæ in illo priori deberet ei correſpondere aliquod quod prius quam ſuppoſitetur, quod eſt contra hos Auctores. Dicendum eſt igitur, quod ex ea ratione præciſè, qua eſſentia diuina prius eſt in ſe, ac per ſe exiſtens, & ſubſiſtens, vnaque ſingularis exiſtens, communis tamen eſt tribus, quod non conuenit naturæ creatæ, nimirum quod ſit ſingularis, & ſit in pluribus ſuppoſitis, eaque ratione, qua Deo conueniunt aliqua eſſentialia communia, & aliqua notionalia, & propria, neceſſe eſt, vt attribuamus illi communi Deo, & indiuiduo Deitatis eſſentialia, & communia, vt ſibi propria, & non Deitati in abſtracto; ſuppoſitis verò ac perſonis diuinis attribuamus, quæ ſunt notionalia, & propria conuenientia vni perſonæ, & alteri inconuenientia, & mediatè ſeù ſecundariò hæc propria attribuamus Deo, ſicut mediate & ſecundariò communia, eſſentialiaque attribuimus perſonis.

QVÆSTIO.

VTRVM IN FILIO SIT POTENTIA generandi.

QVONIAM multipliciter ſumitur potentia actiua, eſt enim alia remota, alia proxima, & potentia generandi in diuinis diuerſas generationes reſpicere poteſt, vel hanc huius Filij, vel aliam alterius Filij quæſtionem in plures articulos diuidere oportet.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ ſunt requiſita ad conſtitutionem potentiæ proximæ generandi in diuinis.

PRima ſententia eſt P. Vulpes in prima parte diſp. 49. art. 7. num. 4 aſſerentis, memoria diuina, quæ eſt potentia generandi ex ſe ponitur operatiua, & productiua, comparatione duorum effectuum, vel quaſi effectuum ſiue actuum alterius rationis inter ſe ordinatorum ratione cuius ordinis proximè exire in effectum, vel actum remotum non poteſt, quin prius exierit in effectum, vel actum propinquum, & ita conſiderata ſub actu priori dicitur potentia proxima reſpectu poſterioris, & ſine illo potentia remota, ſic reuera ſubdit Theologizandum eſt de memoria fecunda in Patre ſecundum Scot. in primo diſ. 2. quæſt. 7. infra littera O. & adducit quædam verba Scoti, quæ ſunt iſta, memoria eſt ex ſe operatiua, & productiua, & cum ſit prius naturaliter operatiua, quam productiua proximè diſpoſita ad actum producendi non dicitur, quin prius ſub actu operandi intelligatur; quare fit vt rectè à nobis (concludit hic Auctor) ſub illo actu operandi iudicetur vt proxima. & abſque illo prius concepta remota non quidem propter aliquem defectum in ea à parte rei, ſed propter ſolum noſtrum concipiendi vſum.

Hæc ſententia ex diametro eſt oppoſita doctrinæ Scoti pluribus locis prolatæ, & à ſuis Diſcipulis admodum proclamatæ nimi-

nimirum non eſſe neceſſarium actum intelligendi ad actum dicendi cum concurrat memoria ad actum dicēdi ideſt ſub actu primo, non vt ſub actu ſecundo intelligendi; etenim ſecundum Scotū in primo diſt. 2. qu. 7. §. Aliter memoria conſtituitur ex intellectu, & eſſentia vt actu intelligibili, non vt actu intellecta, & vt ſic eſt proximum principium, atque immediatum producendi Filiū, vt patet in primo diſ. 2. & 3. & 6. & 7. qua propter ſæpè à Scoto memoria vocatur notitia, & ſcientia habitualis in dictis locis, & diſ. 27. præſertim diſ. 2. qu. 7. §. ad 2. dub. inquit, Dico quòd memoria in Patre eſt principium operatiuum Patris, quo ſcilicet vt actu primo Pater formaliter intelligit, vt in actu ſecundo; eſt etiam eadem memoria Patri principium productiuum, quo Pater exiſtens in actu primo producit vt in actu ſecundo notitiam genitam, & actus primus prior eſt prioritate originis actu ſecundo, ſi verba huius Auctoris adducta ſunt ex hoc paragrafo, nec ſunt eadem, nec habent eumdem ſenſum; etenim quando Scotus in his verbis inquit, quod actus primus eſt prior actu ſecundo nō ponit prioritatem in actu operatiuo reſpectu actus productiui, quamuis ille ſit prior iſto, ſed ponit prioritatem memorię, qui eſt actus primus tùm reſpectu actus intelligendi, tùm etiam dicendi, qui ſunt actus ſecundi reſpectu quorum memoria ſemper ſe habet vt actus primus, ita quod quamuis prius operatur, quā producat, producit tamen notitiam genitam vt eſt in actu primo, non vt eſt in actu ſecundo operatiuo ſcilicet intelligēdi, quiquidē actus operatiuus exiſtens naturaliter prior actu productiuo non eſt neceſſarius ad illū taliter quod ſi prius Pater non intelligeret non eſſet in proxima potētia ad generandū, quinimò ſi per impoſſibile nō intelligeret ad huc neceſſariò generaret nimirùm ex fęcunditate memorię; non enim eſt idē ordo naturalis cum depēdentia poſterioris actus à priori in actu intelligendi, & dicēdi, ſicut eſt in actu intellectus, & voluntatis, in quibus non poteſt volūtas eſſe principiū proximum ad ſpirandū, quia prius fuerit intellectus in actu ſuo, quia talis eſt dependentia actus voluntatis ab actu intellectus vt non poſſit eſſe, niſi illo preſuppoſito; ſi quidē voluntas fęcundari nō poteſt ſuo obiecto niſi obiectū fuerit cognitū, & cōmuniter etiā dicitur nihil volitū niſi præcognitum; actus verò operatiuus intellectus in diuinis prior eſt naturaliter actu productiuo nō tāquam neceſſarius ad illum, ſed tantùm ex ordine naturali, qui eſt

inter eſſentialia,& notionalia. Vtrumq; hoc de intellectu, & voluntate declarat Scotus ead. diſ. 2. q. 7. Primò de intellectu §. aliter inquit, ſed memoria perfecta ſiue quod idem eſt explicandū intellectus habens obiectū intelligibile ſibi præſens ex ſua ratione formali eſt principiū productiuum notitiæ genitæ, & de voluntate, paulo inferius §. idē, inquit, voluntas habens obiectū ſibi præſentatum ex ſua ratione eſt productiua amoris perfecti producti; ex quibus ſequitur, quod ad productionem Spiritus Sancti requiritur neceſſariò act⁹ operatiu⁹ intelligēdi, nō autē ad productionē Filij.

Deindè quandocumq; Scotus inquirit requiſita ad conſtituendū potentiam propinquam generandi nuſquam dixit memoriam debere eſſe prius in actu operatiuo, quam productiuo, ad hoc vt ſit potentia proxima ad producendum; ſed in primo diſ. 7. §. quia autem inquit, ſicut autem approximatio requiritur in creaturis, vel amotio impedimentorū, ita dicitur in propoſito, quod requiritur ſuppoſitū conueniēs ad agendum, itaque Auctor iſte veram rationem potentiæ propinquæ relinquit, & non rationem pro ratione reddit.

Sed quia in eadem quæſt. §. ideò reſponderi poteſt, ſimilia verba Scotus habet, quæ eumdem ſenſum præſeferre videntur, quē verba prolata ab Auctore, inquit enim Scotus, ſecundū idem regulam realem, In quibuſcumq; duobus comparatis ſecundum ordinem ad idē primum potentia propinqua non eſt ad ſecundum, niſi primo poſito; hæc tamen verba eumdem hunc noſtrum propoſitū confirmant, & ſenſum Auctoris excludunt; etenim Scotus ibi hanc regulam applicat productionibus ad intra, & ad extra, quoniā iſtæ fieri non poſſunt, niſi præcedant illę tamquam neceſſariè adictas, quoniam natura diuina non poteſt producere, nec eſſe principium producendi ad extra vt præſcindit à ſuppoſitis, igitur neceſſe eſt productio ſuppoſitorum ad intra ante productionē ad extra, & in ſuperiori §. quia autē inquit ex quo illud ſuppoſitum requiritur ad potentiam propinquam agendi non poterit talis forma per ſe agere, ita ſi eſſentia per ſe exiſtat in aliquo inſtanti naturæ antequam intelligatur eſſe in ſuppoſito in illo priori non eſt potentia propria qua ad agendum. Ex dictis ſequitur, quod ſuppoſitum conueniēs actioni in diuinis ſit de ratione potentiæ proximæ, ſicut in creatis approximatio paſſi, & remotio impedimenti.

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

In quo conſiſtit conuenientia ſuppoſiti ad actionem, & hoc ſuppoſitum conueniens ad quam potentiam pertinet.

PRo prima parte articuli conueniens ſuppoſitum ad actionem alicui potentiæ illud erit, cui conuenit id quo poſito, potentia in illo ſuppoſito eſt productiua, quo ſublato non eſt in illo ſuppoſito productiua; quamuis ex ſe ſit productiua. Ratio autem huius conuenientiæ ex duplici capite ſumitur.

Primum caput eſt habere rationem prioris reſpectu actus, ita quod principium agendi ſit prius actu, & in ſuppoſito agente habeat etiam rationem prioris ad illum actum, ideſt quod ſuppoſitum agens ſit etiam prius illo actu, & tunc principium agendi habet in illo ſuppoſito rationem prioris ad actum, quod ſi ſuppoſitum non eſt prius actu, potentia illa quamuis eſſet prior actu non haberet in illo rationem prioris ad illum actum, & conſequenter non poterit in illo ſuppoſito habere rationem potentię, ita Scotus in primo diſ. 20. quæſt. vn. §. vlterius tamen vbi inquit, & ſi idem abſolutum quod eſt potentia ſit in Patre, & Filio non tamen ſub ratione potentiæ quantum ad actum notionalem eſt in vtroque, quia non eſt ſub ratione prioris ad illum actum; ſi quidem potentia ſiuè principium requirit ordinem prioritatis ad terminum, loquitur Scotus hoc loco de actu notionali, qui eſt generatio huius Filij, qua quidem cum non poſſit ipſe Filius eſſe prior vt patet, potentia generandi in illo non eſt ſub ratione prioris ad hunc actum.

Secundum caput eſt, quod principium ex ſe productiuum ſit in illo ſuppoſito, in quo non ſit cum productione adæquata intenſiuè, & extenſiuè, nec ſit in ſuppoſito acceptum per productionem eodem modo adæquatam illi principio, ex cuius oppoſito principium illud, quod eſt ex ſe productiuum non conuenit, quod in illis ſuppoſitis ſit productiuum. Ita Scotus in primo diſ. 2. quæſt. 7. §. aliter poteſt argui, & vtraque hęc ratio conuenientiæ ſuppoſiti eſt neceſſaria, ita quod vna deficiente principium quamuis ſit ex ſe productiuum, non tamen eſt productiuum

in illo ſuppoſito, cui deficit altera harum rationum.

Pro ſecunda parte articuli Pater Vulpes in prima parte diſ. 49. artic. 7. num. 5. opinatur, hanc vtramque rationem pertinere ad rationem potentiæ vt potentia eſt, non autem ad rationem potentiæ propinquæ, cuius propinquæ potentiæ rationem reddiderat ſuperiori numero quarto, quam modo ſupra improbauimus, & hoc probat ex Scoto in primo diſ. 20. quæſt. vn. §. vlterius tamen, vbi inquit Scotus, & ſi idem abſolutum, quod eſt potentia ſit in Patre, & Filio non tamen in vtroque eſt ſub ratione potentiæ quantum ad actum notionalem, quia non eſt ſub ratione prioritatis ad illum actum, à quo autem tollitur ratio potētię, tollitur & omnis potentia tùm propinqua tū remota.

Oppoſita tamen ſententia probabilior mihi videtur, quod huiuſmodi ſuppoſitum illo duplici modo conueniens pertineat ad ſolam potentiam propinquam probatur, nam Ariſtoteles à Scoto productus in primo diſ. 7. quæſt. vn. § ad quæſtionem, duplicem definit potentiam, alteram ſcilicet metaphy. cap. 10. vel 17. quod ſit potentia agendi, vel tranſmutandi aliud in quantum aliud. Alteram definit 9. metaphy. cap. 4. quod ſit cum alijs omnibus concurrentibus, ac neceſſariò requiſitis ad actionem, quæ autem ſit neceſſariò requiſita ad actum generandi in diuinis exponit Scotus eadem quęſtione §. quia autem, dicens, ſicut autem approximatio requiritur in creaturis, & amotio impedimentorum, ita dicitur in propoſito, quod requiritur ſuppoſitum conueniens ad agendum, at verò approximatio, & amotio impedimentorum pertinent ad rationem, ac definitionem potentię propinquæ ſecundum Ariſtotelem, & Scotum, illa igitur quæ faciunt ſuppoſitum eſſe conueniens ad agendum pertinent ad rationem, definitionemque potentiæ propinquæ, & conſequenter his ſublatis a potentia non tollitur ratio potentiæ vt potentia eſt, ſed remanet in ſui eſſe, atque ratione, & definitione potentiæ, vt ſit de ſe actiua, vel tranſmutatiua, quamuis cætera concurrentia, & neceſſaria deficiant.

Cum autem conuenientia ſuppoſiti ad agendum ex duplici capite ſumatur, & aliter ſuppoſitum ſit conueniens ad hanc generationem huius Filij, aliter ad aliam generationem alterius Filius (vt ex dicendis amplius patebit) ideò ſequuntur alij articuli, vt diſtinctè in hac re procedamus,

AR-

ARTICVLVS TERTIVS.

Quæ ſit ratio conſtitutiua potentiæ proximæ ad hunc præciſè actum generandi, propter quam rationem deficientem in Filio potentia iſta conuenit ſoli Patri.

CVm Pater diuinus habeat potentiam generandi hunc Filium, & non habeat potentiam generandi alium Filium, & reſpectu huius alterius generationis, & Filij eadem ſit, atque communis ratio negandi potentiam iſtam vtrique inquiritur præciſa ratio ex duabus allatis præcedenti articulo; propter quam rationem deficientem in Filio, & non in Patre ſoli Filio denegatur non Patri potentia generandi reſpectu huius generationis, quæ debet eſſe diuerſa a ratione negandi potentiam hanc reſpectu alterius generationis, cum reſpectu illius alterius communis ſit ratio in vtroq; dempto igitur communi propter quod negatur potentia generandi vtrique, remanet præciſa ratio, & propria; propter quam vni conceditur alteri negatur potentia generandi reſpectu huius generationis ſecundum illam regulam mathematicam, ſi ab inæqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt inæqualia.

Dicendum videtur, quod præciſè in habendo rationem prioris ad actum conſiſtit differentia inter Patrem, & Filium reſpectu huius generationis; quia hæc eſt ſpecialis ratio, atque præciſa; propter quam conuenit Patri, facitque ipſum eſſe ſuppoſitum conueniens ad hunc actum; igitur ex negatione præciſè huius rationis denegatur Filio potentia generandi, facitque ipſum non eſſe ſuppoſitum conueniens ad hanc generationem.

Primò probatur ratione, nam reſpectu alterius generationis alterius Filij haberet iſte Filius rationem prioris vt patet; quia eſſet prior illa, & ſic eſſet ſuppoſitum conueniens ad illam, & conſequenter potentia generandi haberet in illo rationem prioris ad aliam generationem, & alium Filium, ac per conſequens non deficit ei ratio potentiæ ad illum actum; ex quò denique ſequitur ex hac ratione præciſè non poſſe Filio denegari poten-

 tiam

tiam generandi alium Filium, niſi aliundè obſtaret, hæc igitur ratio prioritatis ad actum ad nihilum valet vltra niſi vt denegetur Filio potentia generandi reſpectu huius ſolius generationis, nimirùm quia cum Filius non ſit prior ſua generatione (ſecus eſſet ipſe antequam eſſet) non poteſt potentia generandi habere in illo rationem prioris ad hunc actum, & conſequenter nec habet rationem potentiæ dumtaxat proximæ ad quam requiritur ſuppoſitum conueniens.

Secundò probatur ex Scoto qui negans in Filio potentiam generandi habere rationem prioris, loquitur præcisè de actu notionali generationis loc. cit diſ. 20. § alterius tamen, ſic dicens, ita in propoſito loquẽdo de potentia hoc modo extenſiuè ad actũ notionalem æquales ſunt Pater, & Filius in potentia extenſiuè, & intenſiuè, quia potentia quæ eſt in Patre ad actum generandi eſt æquè perfecta in Filio, & paulo inferius inquit, reſpondeo, & dico, quod & ſi idem abſolutum quod eſt potentia ſit in Patre, & Filio non tamen ſub ratione potentiæ, quantum ad actum notionalem eſt in vtroque, ſi enim loqueretur Scotus de alia generatione alterius Fillj, illa non eſſet actus notionalis, quia in tali caſu, quod eſſet alia generatio proueniens à Filio, eſſet actus communis generandi Patri, & Filio quinimò, & Spiritui Sancto, cum in eo ſit etiam illud idem abſolutum quod eſt potentia ad actum generandi ſicuti eſt in Patre, & Filio, & hac potentia generandi poſſet generare tertium Filium, ſicut primus Filius generaret ſecundum ſiue eadem generatione omnes tres generarent illos tres Filios, quomodo ſe habent reſpectu creaturarum, quas eadem potentia creandi, eademque creatione creant, ſiue diuerſa generatione vnuſquiſque generaret ſuum Filium eadem communi potentia generandi, hoc quomodocumque foret, ipſum generare in tali caſu iam eſſet commune tribus, & conſequenter minimè notionale, non igitur loquitur Scotus loc. cit. de alia generatione alterius Filij, ſed de hac quæ verè eſt notionalis ſicut notionalis nominatur ab ipſo, & qua ſola Filius non eſt prior, & ſic reſpectu huius actus potentia generandi non habet in Filio rationem prioris, & conſequenter non habet in illo ſuppoſitum conueniens, ex quo ſequitur, quod non habeat in illo rationem potentiæ dumtaxat proximæ.

Quando igitur agitatur quæſtio de alia generatione alterius

Filij,

Filij, ſi poſſit eſſe in Filio potentia generandi nec ne? male applicatur ad hoc propoſitum illa ratio, atque doctrina, quod potentia debeat habere rationem prioris reſpectu actus generationis, quam tanti facit Pater Vulpes, quod pluries pro reſponſione vtitur ad argumenta, aut potius abutitur, quia eam applicat ad aliam generationem alterius Filij, ad quam applicari non poteſt, cum Filius eſſet prior alio Filio, & alia generatione, & ſic eſſet ſuppoſitum conueniens ad illam, ac per conſequens ex hac ratione concedi non negari deberet in Filio potentia etiam proxima generandi alium Filium, niſi aliud obſtaret vt obſtat.

Si alicui improbabile videtur, quod Scotus loquatur de potentia generandi in Filio reſpectu eiuſdem Filij, cui ſine vlla ratione neganda erat talis potentia reſpectu ſui ipſius, præſertim cum in primo diſ. 2. quæſt. 7. §. aliter poteſt argui, neget eam Filio ſicut Spiritui Sancto potentiam ſpirandi ex illa ratione quod in illis potentia generandi, & ſpirandi eſt per generationem, & ſpirationem illi potentiæ adæquatam accepta, vbi apertè loquitur de alia generatione, & alia ſpiratione. Ad hoc reſpondetur mirabile videndum non eſſe Scotum loc. cit. diſ. 20. loqui de potentia reſpectu huius generationis, quam nominat actum notionalem, nam alia generatio eſſet actus eſſentialis, vt dictum eſt, & reſpectu huius actus notionalis potentia generandi non habet in Filio rationem prioris, quam rationem haberet reſpectu alterius generationis ſi poſſibilis eſſet, & in loc. cit. diſ. 2. loquitur de potentia generandi alium Filium, & ſpirandi alium Spiritum Sanctum ex alia ratione nempè quia in illis accepta iam eſt potentia generandi, & ſpirandi per generationem, & ſpirationem adæquatam illi potentiæ, & inquirit ibi Scotus ſi in Filio, & Spiritui Sancto ſit potentia generandi, & ſpirandi, nempè alium Filium, & alium Spiritum Sanctum; Inquirimus enim præciſam, & propriam rationem, quare negetur Filio potentia generandi tùm ad hunc actum notionalem, tùm ad alium actum generationis, qui eſſentialis eſſet ſi eſſet, & ſicut diuerſæ ſunt generationes in hoc præciſè quod vna eſt notionalis, altera eſſentialis diuerſas habere debent rationes potentiæ ſeu principij generandi, ad hoc vt aſſignari poſſit ratio præciſa quare vni ſuppoſito negetur iſta potentia, & non alteri, & ſi eadem an

diuerſa

diuerſa ſit ratio negandi potentiam ad hunc actum generationis, & ad alium actum, cumque potentia ad alium negetur tribus, & ad hunc actum negetur duabus perſonis, & vni concedatur, diuerſa profectò debet eſſe ratio negandi; eapropter quæritur, quid ſit illud, quod facit ſuppoſitum eſſe conueniens, & conſtituit potentiam propinquam, & facit, vt illi ſuppoſito conueniat hic actus notionalis, & non alteri, & talis concluſio ponitur.

Concluſio. Eſſe primum ſuppoſitum in diuinis conſtituit principium generandi in ratione potentiæ proximæ. Probatur ex ipſamet ratione potentiæ proximæ, quæ ſecundum Scotum loc. cit. diſ. 7. eſt ſuppoſitum conueniens; ſicut in creaturis de ratione potentiæ proximæ eſt approximatio paſſi, & remotio impedimenti, tunc autem dicitur ſuppoſitum conueniens quando potentia ſeù principium producendi habet in illo rationem prioris reſpectu actus; Ad actum autem vnicum illud dicitur ſuppoſitum conueniens, quod prius eſt illo actu, illud autem eſt prius quòd eſt primum in illo vnicò actu, cætera verò ſuppoſita actu iam illo perfecto dicuntur poſteriora; igitur hoc quod eſt eſſe primum eſt ſuppoſitum conueniens ad actum vnica vice fiendum. Exemplum eſt ſi vas aquæ vnicum eſſet in Mundo adæquatum intenſiuè vni potationi ideſt æquè ſatians ſitim, & extenſiuè quia non eſt aliud vas aquæ, tunc illi ſoli ſuppoſito (inter plura ſuppoſita habentia vim potandi aquam illam) vis potandi eſt potentia proxima quod erit primum in illa potatione, & conſequenter prius illa, cætera verò ſe habent vt poſteriora illa potatione, vndè licet in illis ſit potentia, & vis potandi æquè perfecta ac in primo non poteſt in illis iam eſſe potentia proxima ad potandum cum non ſint priora illa potatione, & conſequenter non ſint ſuppoſita conuenientia ad illam, ita in propoſito eadem, & æque perfecta potentia generandi eſt in Patre, & Filio vt dixit Scot. loc. cit diſ. 20. cum autem generationis actus ſit vnicus, & vnica vice fiendus, in illo ſuppoſito talis potentia habet rationem potentiæ proximæ, in quo habebit rationem prioris reſpectu huius actus, igitur hoc quod eſt eſſe primum in diuinis pertinet ad rationem potentiæ proximæ generandi, & in illo ſolo eſt principium productiuum, in alijs verò quamuis ſit principium, tamen vt in illis non eſt principium productiuum reſpectu huius

ge-

generationis,quia illa non ſunt priora,ſed poſteriora ad generationem. Hoc idem reſpectiuè dicendum eſt de actu ſpirationis qua Pater, & Filius ſunt priores non Spiritus Sanctus, & ſic hoc quod eſt eſſe primum in ſpirando conſtituit potentiam proximã ſpirandi.

Et confirmatur ex eodem Scoto in 1.diſt.13.q.vn. §.aliter ponitur, in quocumque eſt principium quo reſpectu alicuius productionis ei eſt principium producendi, ſi illud ſuppoſitum conueniat tali productioni, conueniens autem ſuppoſitum in diuinis ad producendum perſonam in diuinis eſt, quod non habeat talem naturam productione illa, nec aliqua productione priore illa, & ſubiungit,talis autem eſt Pater. Ex hoc diſcurſu tria colliguntur ad propoſitum noſtrum. Primum eſt, principium quo reſpectu alicuius productionis ei ſuppoſito eſt principium producendi, quod non habet talem naturam, & principium quo productione iſta, quia ſi producitur iſta productione non eſt prior illa, & conſequenter principium hoc non habet in illo ſuppoſito rationem prioris ad iſtam productionem, quod eſt verum de Filio reſpectu ſuæ generationis, & ideò natura, & principium quo non eſt ei principium producendi reſpectu huius productionis, ſed ſoli Patri qui non habet naturam hac productione, ſed prior eſt illa, & ſic eſt ſuppoſitum conueniens ad iſtam, & illa natura, ac principium quo eſt ei principium producendi reſpectu huius productionis. Secundum eſt quod illud ſuppoſitum non habeat naturam, quæ eſt principium quo reſpectu productionis aliqua productione priore iſta, quia nimirum debet illud ſuppoſitum eſſe improductum ad hoc, vt poſſit producere in diuinis, vbi non poteſt eſſe niſi vnica productio vnius rationis. Hoc autem quod eſt eſſe improductum tali productione eſt propriè eſſe primum in illa, & ita in hoc, quod eſt eſſe primum conſiſtit conuenientia ſuppoſiti ad productionem in diuinis, propter quod excluditur à Filio potentia generandi, & ſoli Patri conuenit, ſicut etiam excluditur à Spiritu Sancto potentia ſpirandi reſpectu ſuæ ſpirationis, quia non eſt prior illa nec primum in illa, ſed poſterius. Tertium eſt quod excluditur à Filio ſola potentia generandi proxima non remota propter duas rationes. Prima ratio eſt, quia cum ſuppoſitum conueniens pertineat ad potentiam proximam (vt conſtat ex dictis) & ſuppoſitum Filij non ſit conueniens ad

hanc

hanc productionem ſicut Pater; propterea Filio negatur, Patri conceditur potentia proxima. Secunda ratio eſt in eo, quod dicit Scotus, In quocumque eſt principium quo reſpectu alicuius productionis ei eſt principium producendi, ſi illud ſuppoſitum conueniat tali productioni, igitur ſublata conuenientia a ſuppoſito, quod facit ipſum non habere potentiam proximam, remanet in ipſo principium quo, licet non ſit ei principium producendi, & hoc eſt quod nos dicimus, naturam diuinam (de qua hic loquitur Scotus) eſſe potentiam generandi remotam, & fundamentaliter ſumptam, vt infra patebit, & hoc eſt quod dicitur, quod quamuis potentia, propter aliquod impedimentum, vel abſentiam alicuius ex neceſſario requiſitis non ſit proxima, & ſic non poteſt producere, non deſinit eſſe vera potentia in eſſe potentiæ, ſcilicet remotæ, & fundamentaliter ſumptæ.

Duo dubia ſuperſunt. Primum eſt, vtrum hoc quod eſt eſſe primum pertineat tamquam conditio ad potentiam propinquam, an tamquam eius eſſentia, & quidditas. Pater Caroninea lib. 3. diſt. prima quæſt. 10. num. 9. & Pater Martinus Meuriſſe cap. 5. quæſt. 2. Opinantur, pertinere ad conditionem requiſitam non modum ad hoc vt memoria fęcunda ſit principium vltimate propinquum ſui actus, cum autem ſecundum Philoſophum 9. metaphy. cap. 4. relatum à Scoto, concurrentia ad actionem in quibus annumerantur approximatio paſſi, & remotio impedimenti pertineant ad rationem potentiæ propinquæ in creaturis, & hoc requiritum in diuinis eſt ſuppoſitum conueniens ſecundum Scot. loc. cit. diſ. 7. §. quia autem, vbi inquit, quia approximatio paſſi vt dictum eſt prius requiritur ad rationem potentiæ propinquæ, ita in propoſito requiritur ſuppoſitum conueniens ad agendum, conueniens autem ſuppoſitum ad hanc actionem eſt illud, quod eſt primum in illa, igitur ad rationem definitionem.que, non ad conditionem pertinet potentiæ propinquæ hoc, quod eſt eſſe primum. Tria ergo iſta conſtituunt potentiam proximam generandi, natura ſeu memoria fęcunda vt principium quo, ſuppoſitum vt agens quod, & proprietas perſonalis, ſiue exiſtentia, & ſubſiſtentia ſuppoſiti vt conditio agentis; Quapropter falluntur qui aſſerunt, approximationem paſſi, & remotionem impedimenti eſſe conditionem agentis ſine qua non fieret actio, etenim talis approximatio, & remotio

tio ex æquo ſe habent à parte vtriuſque tam agentis quam paſſi, & poſita approximatione, atque ablato impedimento adhuc agens eſt in actu primo agendi, & ideò Phyloſophus ad definitionem potentiæ propinquæ prædicta applicauit; conditio verò agentis, & paſſi eſt eorum propria exiſtentia ſingularitas, & ſuppoſitalitas, ita Scot. in primo diſ. 3. quæſt. 4. §. ad argumenta inquit, ideò reſpondeo quod alia poteſt eſſe ratio agendi, & alia ratio agentis, ſingularitas eſt conditio agentis non ratio agēdi, ſed ratio agendi eſt ipſa forma exiſtens in ſingulari ſecundum quam ſingulare agit.

Secundum dubium eſt vtrum hoc ſuppoſitum conueniens ad hunc actum generationis ſit conueniens vt Pater an alio modo; idem Pater Martinus eodem loco aſſerit eſſe Patrem quia prima communicatio naturæ fit per generationem; Ideoque ſecunda perſona neceſſariò debet eſſe genita, & conſequenter prima generans; dicendum tamen videtur ſuppoſitum conueniens ad hunc actum notionalem non pręcisè vt determinatum ad eſſe Patrem, ſed præcisè vt primum eſſe conueniens, nam ſi per impoſſibile actus ſpirandi eſſet prior actu generandi tunc non Pater ſed ſpirator eſſet ſuppoſitum conueniens ad primam productionem, & communicationem naturæ, conuenientia igitur ſuppoſiti ad aliquem actum vnicum, & vnica vice fiendum non eſt præcisè ex eo quod ſit talis vel talis actus, ex quo proueniat vt ſit tale vel tale ſuppoſitum, ſed præcisè ex eo quod ſit primum in tali actu, quia vt ſic præcisè eſt prius illo, & potentia habet in tali ſuppoſito rationem prioris reſpectu illius actus; eſſe igitur primum formaliter ſe habet in hoc actu, eſſe autem Patrem ſolum materialiter ſe habet, & quaſi ex conſequenti; quare autem generatio diuina ſit vnica, & vnica vice fienda, quodue ſit ſuppoſitum conueniens ad alteram generationem ſi eſset, quo deficiente non poteſt eſse potentia ad illam aliam generationem videbitur in vltimo articulo.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Filio ſit aliqua potentia ad hunc actum ſaltem remota, ſeù fundamentaliter ſumpta.

PRima opinio aſserit, nullam prorſus potentiam generandi admittedã eſse in Filio, & inuehitur cõtra aſserẽtes in Filio repe-

reperiri potentiam generandi fundamentaliter, ita Pater Vulpes in prima parte diſ. 49. art. 7. vbi negat potentiam propinquam, & remotam, & fundamentaliter ſumptam in Filio, ex eo quod non eſt in eo cum illis neceſſarijs per ſe requiſitis ad eius eſſentiam conſtituendam; quæ autem ſint hæc requiſita, & ad quam potentiam pertineant iam viſum eſt. Probat hanc ſententiam quibuſdam rationibus deſumptis ex Scoto in quodlib. quæſt. 2. §. ad 2.

Primò forma quæ eſt in aliquo ſuppoſito principium producendi productione illi formæ adæquata alteri ſuppoſito ſic principium producendi amplius eſſe non poteſt, at in diuinis memoria fęcunda eſt in Patre reipſa principium producendi Filium productione ſibi prorſus adæquata, ergo licet illa forma ſit in Filio, non poteſt tamen illi eſſe principium producendi alium, nec proindè in illo retinet rationem potentiæ generandi. Maior exemplo declaratur, ſi calor eſſet igni principium calefaciendi lignum calefactione illa calori adæquata, vt ille idem numero calor communicetur ligno, non poſſet amplius eſſe ligno principium calefaciendi, non enim calefaciendi ſe; quia tunc calor eſſet principium producendi calorem in eodem ſuppoſito, cumque calefactio noua non fiat ſine calore de nouo producto, ſed non alium produceret calorem, cum ſupponatur idem numero in igne prius calefaciente, & in ligno calefacto, ergo in re produceret ſeipſum quod implicat, nec eſſet principium calefaciendi alterum, cum ſupponatur calefactio adæquata illi calori. Secundò ſuppoſitum accipiens formam per productionem illi adæquatam nequit amplius per illam formam producere, tum quia productio illa omnimodè adæquata non foret, tum etiam quia in illo amplius rationem formalem principij agendi retinere non valet, cum in eo ordinem illum prioritatis ad ſuum terminum, ſine quo ratio principij non exiſtit amplius non præſeferat. Alias rationes adducit, quæ ad quid valent, infra videbitur.

Hæc tamen ſententia excludens à Filio omnino potentiam generandi improbabilis eſt, & contra eumdem Scotum, ex cuius apertiſſima mente neutiquam denegari poteſt Filio potentia generandi remota, & fundamentaliter ſumpta nimirùm ad hunc actum notionalem, etenim in primo diſ 7. quæſt. vn. §. ad quęſt.
diſtin-

diſtinguit hoc nomen potentia, vel pro eo quod per ſe ſignificat, vel pro eo quod connotat, quod eſt proximum fundamentum talis relationis. Primo modo potentia ſignificat relationem ſicut potentialitas, & principiatio, & de hac non eſt ſermo in præſentiarum, nam quæſtio hoc modo non habet difficultatem, quia potentia generandi in diuinis dicit eſſentialiter relationem. Secundo modo eſt difficultas quæſtionis quærendo, quid ſit illud abſolutum, quod eſt fundamentum proximum iſtius relationis, tunc diſtinguo vlterius de potentia denominatiuè ſumpta, quia aliquando ſumitur pro ſuo fundamento præcisè, aliquando autem pro ipſo fundamento cum omnibus alijs, quæ concurrunt ad hoc, vt poſſit elicere actum, quæ ſcilicet requiruntur ad rationem potentiæ propinquæ. Deindè in ſequenti paragrapho inquit, loquendo tunc de potentia, ideſt de proximo fundamento iſtius relationis præcisè ſumpto, dico quod potentia generandi Patris non eſt relatio, ſed aliquid abſolutum. Ex his dictis colligitur, quod duplex eſt potentia ſecundum Scotum, altera remota, altera proxima. Potentia remota eſt illud fundamentum potentialitatis præcisè ſumptum, cuius definitio ſecundum Scotum traditur ab Ariſt. 5. metaph. cap. 10. vel 17. quod potentia actiua eſt principium agendi, vel tranſmutandi aliud in quantum aliud. Definitio autem potentiæ proximæ traditur 9. metaphy. cap. 4. hoc modo, quoniam aliquid poſſibile, & quando, & quomodo, & quæcumque alia neceſſe eſt adeſſe in definitione inter quæ numerantur approximatio paſſi, & excluſio impedimenti à Phyloſopho, & in diuinis vbi non cadit impedimentum, nec eſt neceſſaria approximatio, id quod eſt neceſſarium concurrens ſecundum Scotum in primo diſ. 7. §. quia autem, eſt ſuppoſitum conueniens, aſſerendo igitur Scotus quod potentia ſumpta pro fundamento præcisè ſit aliquid abſolutum (quod quidem iuxta veram Theologiam eſt commune tribus) non denegat Filio potentiam generandi remotam, & fundamentaliter ſumptam, quamuis deneget illi potentiam proximam, nimirùm quia ipſe non eſt ſuppoſitum conueniens, quod ad proximam potentiam generandi pertinet, vt præcedenti articulo probatum eſt, ſecus nullum eſſet diſcrimen inter potentiam remotam, & proximam, ſi denegando iſtam denegetur, & illa, quod eſt contra Phyloſophum loco citato.

Rur-

Digitized by Google

Rurſus confirmatur ex Scoto eodem loc. cit. & §. quia autem; vbi volens probare, quod natura diuina præcisè ſumpta vt abſtracta a ſuppoſitis non poſſit generare, ex eo probat, quod vt ſic non habet ſuppoſitum quod requiritur ad potentiam propinquam agendi, & concludit dicens. In nullo ſuppoſito eſt natura in quantum intelligitur per ſe eſſe ſi per ſe ſit aliquo modo antequam in perſona, & ideò non poterit per ſe agere iſta actione, vbi clarè negat Scotus ſolam potentiam propinquam, non remotam in natura diuina ad producendum, quod ex ſe patet; etenim natura diuina potentia eſt, & principium generandi quo, & ſic eſt remota, cum principio autem quod ideſt ſuppoſito agente complet potentiam propinquam, & diſ. 20. quæſt. vn. §. quoniam ergo, vbi agit de potentia agendi ad extra inquit, prius igitur communicatur principium producendi tribus perſonis, quam poſſit habere actum reſpectu poſſibilium ad extra, igitur natura vt præciſa a perſonis non poteſt habere actum illum, & ſic non poteſt habere rationem potentiæ dumtaxat proximæ; ex quo non ſequitur, quod non ſit vera potentia, & quod non habeat rationem potentiæ remotæ, & diſ. 7. quæſt. vn. §. ad quęſt. inquit, aliquando autem ſumitur potentia pro ipſo fundamento cum omnibus aliis, quę concurrunt ad hoc, vt poſſit elicere actum quæ ſcilicet requiruntur ad rationem potentiæ propinquæ; idem igitur eſt habere rationem potentiæ, at qui eſſe potentiam proximam, & poſſe elicere actum; quapropter Scotus de mente Ariſtotelis illa, quæ concurrunt, & conſtituunt potentiam proximam non inquit concurrere ad hoc vt potentia eliciat actum, ſed vt poſſit elicere, ex quo non ſequitur, quod non ſit vera potentia, quæ non habeat rationem ſeù definitionem verę potentiæ vt potentia eſt ſumendo illam pro fundamento præcisè, ideſt ſine concurrentibus ad actum, ſine quibus non poteſt elicere actum, quia non eſt proxima potentia ſine illis, quamuis ſit vera potentia, vndè rectè dici poteſt potentiam non habere rationem potentiæ, quando non poteſt habere actum, vel quia deſunt concurrentia, vel quia adſunt impedimenta, ex quo non ſequitur potentiam generandi in Filio eſſe, vel imperfectam, vel otioſam, vel impeditam; non primum, quia ſecundum Scotum loc. cit. potentia generandi eſt eadem, & æquè perfecta in Patre, & Filio: non ſecundum quia ſufficit, vt potentia habeat

actum

actum in vno ex ſuis ſuppoſitis ſicut in propoſito habet in Patre: nec tertium quia aliud eſt ad eſſe impedimentum, & aliud eſt de eſſe neceſſarium, quia ad tollendum potentiam propinquam ſuffieit vnum illorum, & quamuis in Filio potentia generandi non habeat impedimentum, attamen ei deeſt in illo id, quod eſt neceſſarium concurrens, nempè ſuppoſitum conueniens. Hic autem eſt in Filio defectus negatiuus nimirùm quia non eſt capax, vbi autem non eſt capacitas ad aliquid non eſt propriè defectus in illo, ſi non habeat illud.

Rurſus in primo diſ. 20. quæſt. vn. §. alterius tamen, inquit, ita in propoſito loquendo de potentia hoc modo extenſiuè ad actum notionalem æquales ſunt Pater, & Filius in potentia extenſiuè, & intenſiuè, quia potentia quæ eſt in Patre ad actum generandi eſt æquè perfecta in Filio, & adæqualia obiecta, non tamē eſt hoc modo omninò eadem potentia ſicut potentia eſt eadem, quæ eſt reſpectu eiuſdem poſſibilis, & hoc modo concedendum eſt, quod in Filio non eſt omnis potentia, vel non eſt in eo potentia ad omne, accipiendo ſic potentiam extenſiuè licet in ipſo ſit omnipotentia, quæ dicit potentiam ad omnia poſſibilia. Hoc loco Scotus facit diſtinctionem de æqualitate potentiæ Patris, & Filij reſpectu diuerſorum obiectorum, nam reſpectu ad extra eſt omninò eadem, & æqualis potentia in illis, reſpectu autem ad intra ad actum notionalem generationis eſt eadem, & æquè perfecta in Filio ſicut in Patre, quia nimirum in vtroque eſt idem abſolutum, quod eſt potentia, non tamen eſt omninò eadem potentia generandi ſicut potentia eſt eadem omninò in vtroque reſpectu poſſibilium ad extra, & concludit dicens, & ſi idem abſolutum, quod eſt potentia ſit in Patre, & in Filio non tamen ſub ratione potentiæ quantum ad actum notionalem eſt in vtroque quia non eſt ſub ratione prioris ad illum actum, & potentia ſiuè principium requirit ordinem prioritatis ad terminum; vult dicere Scotus, quod in Patre, & Filio eſt æqualis ac omninò eadem potentia reſpectu poſſibilium, quæ in vtroque eſt ſub ratione prioris ad actum producendi creaturas, ſi quidē actiones ad extra præſupponunt actiones ad intra, quibus producūtur perſonę diuinę, in quibus eſt potētia creādi, & conſequenter principiū, & potentia producendi ad extra habet in illis rationē prioris reſpectu actionū ad extra; vndè in tribus eſt eadē omninò potentia, quia ipſa habet in illis requi-

ſita neceſſaria ad ꝑducēdū,nēpè tria ſuppoſita couenietia,qa sūt priora actionibus ad extra,quę cōplent potentiā propinquam,at verò reſpectu actus notionalis generationis potentia generandi, quæ eſt illud abſolutū ſupradictum non habet in Filio illud requiſitum ad potentiā proximam,ideſt ſuppoſitū conueniēs;quia ſuppoſitū Filij non eſt ante ſuam generationē,atq; ideò potentia generandi non habet in Filio rationē prioris ad terminū huius generationis,& ſic non eſt eadem omninò potentia generandi in vtroq; quia nimirū in Filio non eſt propinqua ſicut in Patre, in quo(cū ſit ipſe prior hac generatione)principiū generandi habet rationē prioris ad iſtū actum,eſt tamen eadem potentia generādi,& æquè perfecta in Filio ſicut in Patre nimirum remota, & fundame italiter ſumpta.

Dicet Pater Vulpes, vbi deficit ratio potentiæ ibi nullo modo eſt potentia,at ſecundū Scotum loc.cit.deficit in Filio ratio potētiæ dum dicit,& ſi idem abſolutum,quod eſt potentia ſit in Patre, & Filio,non tamē ſub ratione potentię,quantū ad actum notionalē eſt in vtroq; igitur in Filio nullo modo eſt hęc potentia. Reſpondetur duplicem eſſe rationem,ſeù definitionem potentiæ,alteram potentiæ remotæ traditam à Phyloſopho 5. met. alteram potentiæ proximæ traditam 9. metaphy. vbi eſt habere concurrentia requiſita ad agendum, quod in propoſito eſt ſuppoſitum conueniens;denegans igitur Scotus in Filio rationē potētiæ proximæ,quatenus ipſe non eſt ſuppoſitū conueniens ad hunc actum notionalem,nō negat potentiam ſub ratione definitionis potentiæ remotę,quę eſt eſſe principium agendi, quia quamuis potentia hęc ex ſe ſit productiua,vt in Filio tamen non eſt productiua; cum in illo non ſit proxima, quia non habet in illo ſuppoſitum conueniens, & ideò in illo dicitur non habere rationem potentię,quia vt in illo non poteſt producere, ſicut quamuis ſit in aliqua potentia agendi,dum tamen non adſunt requiſita concurrentia(cuiuſmodi ſunt approximatio paſſi,& impedimenti remotio) non poteſt in illo producere;remanet tamen in illo potentia remota, & fundamentaliter.

Sed contra arguitur. potentia remota poteſt fieri propinqua ex approximatione, vel alio modo, ideò enim dicitur remota, quia poteſt fieri propinqua, ſed in Filio potentia generandi reſpectu ſuæ generationis non poteſt fieri propinqua vt patet, igi-

tur

tur nec eſt in illo potentia remota. Reſpondetur aliter dici potentiam remotam in diuinis, aliter in creatis, in his potentia conſtans ex principio quo, ideſt ratione agendi, & principio quod, ideſt ſuppoſito agente adhuc remota manet, quia requiritur approximatio, & fit propinqua, quia approximatio poſſibilis eſt, at verò in diuinis potẽtia remota eſt natura ſiuè memoria fęcunda vt principium quo, & ratio agendi, & requiritur ſuppoſitum conueniens, vt ex illis fiat potentia, completa, & propinqua, vbi autem hoc ſuppoſitum conueniens eſt impoſſibile ſicut in Filio reſpectu huius generationis remanet ſolum principium quo, adeſt potentia remota, ſicut quando impoſsibilis eſt approximatio in creaturis, remanet tamen potentia remota. Ad alium autem Filium natura diuina, ſeù memoria fęcunda non eſt principium quo, quia de ſe eſt determinata ad iſtum actum, & ſic nec proxima nec remota eſt potentia reſpectu alterius generationis, nec in Filio, nec in Patre.

Pro quo notandum eſt, quamquam adhuc meminimus in rationibus, & auctoritatibus adductis ex Scoto naturæ diuinæ ſolius vt principij quo, non eſt, quod eam ſegregare velimus ab intellectu, cum quo facit memoriam fęcundam, quę eſt totale principium quo, & ratio generandi in diuinis, ſed quatenus Scotus diuerſis in locis modo naturam ponit pro tali principio, mox verò memoriam ſecundum occaſiones diuerſas naturæ ſolius meminit in primo diſ. 7. quæſt. vn. §. breuiter, vel §. quia autem, & diſ. 13. quæſt. vn. §. reſpondeo, & dico, & quodlib. quæſt. 8. §. ad 3. probationem; Memoriæ autem meminit in 1. diſ. 2 quæſt. 7. §. ad primum, & diſ. 13. quæſt. vn. §. aliter ponitur, & §. ad tertium dico, & diſ. 26. quæſt. vn. littera Z. & in 2. diſp. 1. qu. 1. §. quantum ad primum, & in quodlib. quæſt 2. § ad primum dicens. Duo concurrunt in principio ſcilicet in memoria perfecta eſſentia, & intellectus, & ſubdit, totum hoc intellectus infinitus habens obiectum infinitum intelligibile ſibi præſens eſt per ſe vnum principium, & paulo ſuperius dixerat, & fortè reſpectu vtriuſque tùm in principio, tùm in termino eſſentia habet rationem principalis nimirum reſpectu intellectus, non reſpectu memoriæ, quæ conſtat ex eſſentia, & intelligibili, & intellectu, & eſt vnicum principium productiuum, non diſtinctum in duo principia productiua.

Et quidem non ſine ratione Scotus ſecundum diuerſas occaſiones ſegregauit iſta duo naturam diuinam, & memoriam fæcundam, & vtramque dixit eſſe potentiam generandi, illam remotam, hanc proximam, illam eſſentialem, & communem, hanc notionalem, & propriam, illam etiam in Filio, iſtam in ſolo Patre.

Primò, quod eſſentia ſola præcisè ſumpta ſit potentia generandi remota, probatur non ſolum ex locis ſupra adductis ex Scoto. ſed etiam D. Damaſc. lib. primo cap. 8. generatio eſt opus naturæ, nimirum vt principij quo, non quod, quia eſſentia non eſt quæ generat, ſed eſt ratio agendi, & Hylar. lib. 5. de Trin. inquit, ex virtute naturæ in eadem natura natiuitate ſubſiſtit Filius; Et confirmatur etiam ratione, nam in generatione vniuoca terminus formalis in producto eſt eiuſdem rationis cum principio formali in producente, & generans aſſimilat ſibi genitam in forma, qua gignit, & denique natura eſt vis inſita rebus ex ſimilibus ſimilia procreans. Hic autem terminus formalis in producto, & principium agendi in producente, & illud, in quo fit aſſimilatio producti ad producentem, & quod facit ex ſimilibus ſimilia eſt natura, igitur natura, & eſſentia diuina eſt principium formale, & potentia generandi in diuinis nimirum potentia remota, & fundamentaliter ſumpta.

Secundò, quod memoria ſit potentia generandi, ſeù principium quo, & ratio agendi proxima, probatur non ſolum ex locis adductis ex Scoto, ſed ratione naturali, nam quælibet natura actiua mediantibus potentijs operatur vt anima ſenſitiua operatur per ſenſus, qui ſunt potentiæ animæ, & natura intellectualis vt ſic ſuas elicit operationes mediante intellectu, & voluntate fæcundans ſuis proportionatis obiectis, ſcilicet, intelligibili, & volibili, & ſpeciatim probatur in diuinis, vbi cum eodem natura communicetur Filio, & Spiritui Sancto, non eſt cur productio illius dicatur generatio, & productio huius dicatur ſpiratio, niſi quia illa eſt ab intellectu, hæc à voluntate dumtaxat tamquam à principijs proximis, & immediatis. Et quamuis idem Scotus in quodlib. quæſt. ſecunda paragrapho ad primum dixerit, duo quæ concurrunt in principio ſcilicet in memoria fęcunda eſſentia,

& intel-

& intellectus, & in voluntate fęcunda voluntas, & eſſentia diligibilis non ſe habent ſicut remotum principium, & propinquum, ſed totum hoc, intellectus infinitus habens obiectum infinitum intelligibile ſibi præſens, non eſt, quia negauerit eſſentiam ſe ſola ſumptam eſſe principium remotum, quod alibi conceſſerit in locis citatis, & infra citandis, ſed quod memoria fęcunda conſtans ex intellectu, & eſſentia intelligibili eſt totale principium quo, & vnicum, ac ſimpliciter productiuum non diſtinctum in duo principia productiua, quorum vnum ſit remotum, alterum propinquum, nimirùm quia eſſentia & intellectus vt ſic vnita faciunt vnum principium totale, & ex quo concurrunt ad productionem.

Vtrumque hoc ſcilicet, quod natura diuina ſe ſola, & præcisè ſumpta ſit primum principium, & ratio producendi remota, memoria verò principium proximum comprehendit Scotus in primo diſ. 13. quæſt. vn. §. reſpondeo, & dico, vbi tàm de natura, quàm de memoria loquitur, quod ſit principium productiuum cum hoc diſcrimine, quod natura eſt prima ratio agendi, & primum principium, ideſt remotum in producente ſicut eſt primus terminus in producto, memoria verò ſit principium proximum, dicens, quod non eſt æquiuoca productio, ſic principium productiuum non eſt eiuſdem rationis cum termino formali producto, loquendo de termino formali primo producto, & de principio primo productiuo, ſed requiritur quod illud, quod eſt principium productiuum nō communicetur eiuſdem rationis genito, & quod illud, quod eſt terminus formalis in producto non ſit eiuſdem rationis in producente; oppoſita autem iſtorum ſunt in propoſito, quia memoria eſt formaliter in notitia genita actuali, & notitia eſt formaliter in perſona generante, licet neutrum illorum ſit prima ratio agendi, & prima ratio terminandi productionem, ex quibus vltimis verbis colligitur, eſſentiam vt diſtinctam à memoria eſſe primam rationem agendi, quod eſt eſſe primum, & remotum principium quo; memoriam verò quæ conſtat ex intellectu, & eſſentia non eſſe primam rationem agēdi quod eſt non eſſe primum, & remotum, ſed proximum principium agendi. Et in quodlibet quæſt. 2. §. ad primum in fine, ad interrogationem factam, quare non poteſt eſſentia ſola, vt diſtincta contra voluntatem, & intellectum eſſe principium com-

communicandi ſe, inquit, reſpondeo eſſentia merè intellectualis non eſt principium alterius productionis niſi, vt coincidit cum memoria, & voluntate, vbi declarat Lichetus, quod eſſentia diuina ſe ſola non eſt principium totale productiuum Filij, ſed eſſentia diuina vt perfectè pręſens intellectui diuino ſic, quod vtrũque eſt principium formale productiuum partiale, licet eſſentia diuina ſit (vt ibi ait Scotus) magis principale, ex quibus integratur vnum principium formale totale, quod dicitur memoria fęcunda, ex quo datur intelligi, quod eſſentia ſe ſola, & præciſè ſumpta eſt principium formale, principale, fundamentale, atque remotum, & cum intellectu complet totale principium formale, quod eſt proximum, & proxima ratio agendi eodem modo, quo Ariſtoteles diſtinguit principium remotum a propinquo, traditque diuerſam definitionem, & ex illis tamquam partialibus, ideſt ex principio actiuo, & alijs neceſſarijs concurrentibus ad agendum fit vnum totale, atque completum, & vltimatum principium, ſicut etiam ſecundum Scotum ex principio quo, ſeù ratione agendi, & principio quod ſcilicet ſuppoſito conuenienti completur totale, atque vltimatum, & propinquum principium agendi; ſic igitur primum principium prima radix fundamentum, & ratio agendi eſt eſſentia præciſè ſumpta, quæ coincidens cum intellectu facit totale, & proximum principium quo, & rationem agendi, nempè memoriam fęcundam; denique memoria vnita ſuppoſito conuenienti complet totum principium, atque vltimatè, & proximè productiuum. Quicquid dicant aliqui Scotiſtæ, inter quos Pater Carouin. lib. 3. diſput. prima quæſt. 10. art. 5. num. 5.

Quomodo autem eſsentia præciſè ſumpta ſit principium fundamentale, & potentia generandi remota etiam cum ſuppoſito conuenienti faciat potentiam proximam declaratur a Scoto in primo diſ. 7. quæſt. vn. §. ad primum dico, vbi ait ſi ſpecies ponatur principium elicitiuum operationis videndi in oculo ſi per ſe exiſteret non poſset eſse principium illius operationis & ratio eſset, quia non poſſet eſse in potentia propinqua ad agendum, quia non poſſet habere paſsum approximatum, quia approximatio vt dictum eſt prius requiritur ad rationem potentiæ propinquæ. Sicut autem approximatio requiritur in creaturis, vel amotio impedimentorum: ita dicitur in propoſito, quod requiritur

ritur ſuppoſitum conueniens ad agendum; ergo forma quæ eſſet principium actionis in ſuppoſito diſtincto, ſi eſſet per ſe exiſtens, nec eſſet ſuppoſitum, nec principium diſtinctum, nec in ſuppoſito diſtincto conuenienti generationi, & ex quo illud ſuppoſitum requiritur ad potentiam propinquam agendi, non poterit talis forma per ſe agere. Eſſentia autem ſi per ſe exiſtat in aliquo inſtanti naturæ, antequam intelligatur eſſe in ſuppoſito, vel perſona in illo priori non eſt ſuppoſitum agens in potentia propinqua ad agendum, iſta enim actio diſtinctionem requirit aliquorum in iſta natura, quæ non poteſt eſſe niſi ſuppoſitorum; ergo ſuppoſitum conueniens huic actioni eſt ſuppoſitum diſtinctum exiſtens in iſta natura, in nullo tali eſt natura in quantum intelligitur per ſe eſſe, ſi per ſe ſit aliquo modo antequam in perſona & ideò non poterit per ſe agere iſta actione. Et iterum diſt. 13. quæſt. vn. §. aliter ponitur, vbi oſtenditur quale ſit ſuppoſitum conueniens ad hunc actum notionalem, & conſtituens potentiam proximam ad illum, quo deficiente in Filio, & non in Patre, ſoli Patri conuenit quod generet, & conuenit quod illa potentia in eo ſit productiua, & producat, & non in Filio, in quo tamen licet illud principium non ſit potentia proxima ob defectum cõuenientiæ ſuppoſiti, remanet tamen in eo ſub ratione potentiæ remotæ, ſic dicens in quocumque eſt principium quo reſpectu alicuius productionis ei eſt principium productiuum ſi illud ſuppoſitum conueniat tali productioni, conueniens autem ſuppoſitum in diuinis ad producendum perſonam in diuinis eſt quod non habeat talem naturam productione iſta; nec aliqua alia productione, & ſubiungit, talis autem eſt Pater, ex quo neceſſariò ſequitur quod Filius, (cum habeat naturam productione iſta) ſit poſterior ea, & conſequenter non ſit ſuppoſitum conueniens ad iſtam generationem; hæc tamen natura eadem eſt in Filio, & dicitur à Scoto in vtroque loco principium quo, eſt igitur in Filio natura diuina principium quo reſpectu huius generationis, de qua in hac ratione eſt ſermo, principium in quam remotum, & fundamentale, non autem proximum, quia Filius non eſt ſuppoſitum conueniens ad iſtam generationem, propter quod in eo hoc principium ſit potentia proxima, in Patre autem (cum ſit ipſe prior hac generatione) natura quæ eſt principium quo ſimul cum ſuppoſito Patris, quod eſt principium quod, & ſuppoſi-

tum conueniens ad hunc actum complet totale principium generandi propinquum, atque vltimatum, & ideò conuenit ei vt principio quo, quod in Patre ſit productiuum, & producat, non autem in Filio; eſt igitur eſſentia diuina de ſe principium quo remotum, & cum ſuppoſito conuenienti facit principium proximum, & hoc dicitur conſiderando eam vt præciſam à potentijs intellectus, & voluntatis ſecundum quod dicitur ipſam eſſe formam, quæ eſt principium actionis, & vt ſic non dum eſt potentia notionalis, cum ſit quoddam abſolutum, & commune tribus vnita igitur ſuppoſito conuenienti dicitur potentia notionalis generandi, quia eſt propria illi ſuppoſito, & non communis alijs, ex quo ſequitur potentiam generandi denegari Filio in ratione potentiæ propinquæ non autem in ratione potentiæ remotæ ad hunc actum, de qua Scotus in primo diſ. 20. quæſt. vn. §. alterius tamen dicit potentiam quæ eſt in Patre ad actum generandi eſt eadem, & æquè perfecta in Filio (quam actum ibi bis nominat notionalem qui eſt hæc generatio huius Filij) licet non ſub ratione potentiæ nimirum proximæ vt diximus.

Quomodo etiam memoria ſit principium quo, & ratio agendi ſeù potentia proxima ſic declaratur; nam intellectus, & voluntas diuina dupliciter fęcundantur ab obiecto proprio ideſt eſſentia diuina. Primò ad actum operatiuum intelligendi, & volendi. Secundò ad actum productiuum generandi, & ſpirandi; primo modo cum omnes tres intelligent, & velint, conſiderantur hi actus operatiui quaſi producti, & propriè emanantes ab his potentijs vt in tribus, & conſequenter ſunt potentiæ intelligendi, & volendi eſſentiales, & communes tribus ita Scotus in primo diſ. 13. quæſt. vn. § præterea. Secundò vbi ait eſſentia diuina vt in Filio, & Spiritu Sancto habet naturaliter prioritatem aliquam ad intellectionem ſimplicem iſtius eſſentiæ, ſicut enim ipſa vt eſt in Patre nata eſt mouere intellectum Patris ad ſimplicem intellectionem ſui, ita etiam vt in Filio nata eſt mouere, & conſequenter vt in Spiritu Sancto. Cum autem è contra vna ſola generet per memoriam fęcundam, & duæ ſolæ ſpirent per voluntatem fęcundam, hę potentiæ ad actus productiuos, & notionales generationis, & ſpirationis ſunt potentiæ notionales, & quidem memoria fęcunda eſt potentia generandi ſoli Patri, & Filio, quia ambo ſunt ſuppoſita conuenientia

ad ſpi-

ad ſpirationem cum ſint priores illa, etenim memoria in Filio non eſt fęcunda ad generandum, ſed in ſolo Patre, & in Patre eſt fęcunda ad hunc ſolum actum notionalem generationis, non ad aliam generationem, qui nimirum in generatione huius Filij exhauſta eſt iſta fęcunditas, & ſimiliter voluntas non eſt fęcunda ad ſpirandum in Spiritu Sancto, ſed in Patre, & Filio, & in illis ad ſolam ſpirationem; eapropter negando Filio potentiam generandi, & Spiritui Sancto potentiam ſpirandi proximam ſcilicet memoriam fęcundam ad generandum, & voluntatem fęcundam ad ſpirandum poteſt rectè illis dari, concedi, & aſſignari potentiā generandi, & ſpirandi remota ſcilicet eſsentia diuina, quæ vt ſic dicitur potentia, & ratio agendi non notionalis, ſed eſsentialis, atque communis cum hoc tamen proteſtatione, quod hæc potentia eſt reſpectu actionum poſſibilium, ſcilicet reſpectu huius generationis, & huius ſpirationis, quæ poſſibiles ſunt, vt poſſibile opponitur impoſſibili, non autem reſpectu alterius generationis, quæ omnino impoſſibilis eſt, vt ſequenti articulo conſtabit; vndè ſequitur quod quamuis memoria vt fęcunda ad actum eſsentialem intelligendi ſit in tribus, & ſic ſit potentia eſsentialis vt fęcunda tamen ad hunc actum notionalem gignendi non eſt in tribus, ſed in ſolo Patre, & ſic eſt potentia notionalis, atque propria Patri, & non communis tribus. Ex quo clarè conſtat, quod eſsentia, naturaque diuina ſit principium quo, & ratio agendi, ſeù potentia generandi remota, & fundamentalis, & memoria fęcunda ſit ratio agendi, & potentia, ſeù principium quo proximum, & cum ſuppoſito conuenienti conſtituit totale principium, & vltimati completum, atque propinquum conſtans ex principio quo, & quod.

Ex dictis & conſtat non rectè aſſignaſse potentiam generandi, & ſpirandi Patrem Martinum Meurisse cap. 8. quæſt prima dum dicit in ſecunda concluſ. potentia fundamentalis generandi eſt eſsentia cum intellectu, & potentia fundamentalis ſpirandi eſt eſsentia cum voluntate, & ſubdit hoc tamen modo ſumpta non dum dici debet potentia notionalis; & in tertia concluſione potentia propinqua generandi eſt eadem eſsentia cum intellectu, quatenus vel ſunt in primo ſuppoſito, vel non dum habent terminum productum, & hoc modo ſumpta eſt propriè potentia notionalis; etenim vt probauimus potentia generandi remota,

& funda-

& fundamentalis, & nondum notionalis eſt eſsentia ſola, & præciſè ſumpta, eſsentia autem cum intellectu, quæ eſt memoria fęcunda dumtaxat ad actum generandi eſt potentia generandi, & ratio ſeu principium quo proximum, & cum vt ſic non ſit commune, ſed proprium Patri erit principium quo, & potentia generandi notionalis, vt autem eſt in ſuppoſito conuenienti quod eſt eſſe primum in tali productione complet cum illo potentiam vltimatè proximam, atque completam conſtantem ex principio quo, & quod.

Ad rationes autem adductas à Scoto reſpondetur. Sermonem ibi eſſe de alia generatione alterius Filij, ſi quidem potentia generandi habet in hoc Filio producto terminum adæquatum intenſiuè, & extenſiuè, & ideò in Filio non remanet amplius potentia generandi alium Filium ſicut neque in Patre nec proxima, nec remota, & quamuis Scotus pluribus locis vt in primo diſ. 2. quæſt. 2. §. ad vltim. argum. & quæſt. 3. §. ad quæſtio. intendat concludere de productione adæquata, non tamen iiſdem illis rationibus probat adæquationem omnimodam, nam in primo diſ. 2. quæſt. 7. §. obijcitur, inquit, quæro enim vndè probatur illa propoſitio quæ dicit, quod ſtante vno actu adæquato potentiæ ipſa non poteſt ſimul habere alium actum, ſi intelligat adæquatum ſecundum extenſionem petitur principium, & ibi agit contra Henricum, & ſimiliter ego agerem contra Scotum, qui non probat adæquatam productionem ſecundum extenſionem, quamuis igitur in prædictis rationibus adductis, & citatis non probauerit adæquationem hanc. Probandam tamen dimiſit in quodlibet. quæſt. ſecunda §. de 2 §. artic. reſpectu rationum citatarum, & reſpectu rationum hic adductarum ex quodlibet quæſt. 2. §. ad 2. probatam ſupponit ſuperiori paragrafo de 2. artic. prædictæ in quam rationes ſolum currunt de adæquatione huius generationis omnimoda nimirum, quia altera non eſt poſſibilis.

AR-

ARTICVLVS QVINTVS.

Quæ ſit ratio conſtitutiua potentiæ proximæ ad aliam generationem alterius Filij, propter quam rationem deficientem potentia hæc non conuenit Filio nec alijs perſonis, & vtrum ad aliam generationem, & alium Filium ſit aliqua potentia ſaltem remota, & fundamentaliter ſumpta.

PRO prima parte articuli, cum ſuppoſitum conueniens per ſe requiratur ad rationem potentiæ proximæ quæritur quale ſuppoſitum eſſet conueniens ad conſtituendum talem potentiam reſpectu alterius generationis, & quidem non aliundè deſumi poteſt prædicta ratio, quam ex oppoſita ratione, propter quam non conuenit vlli ſuppoſito ex diuinis talis potentia proxima: hęc autem ratio deſumitur à regula illa a ſubtiliſſimo Scoto tradita in primo diſ. 2. quæſt. 7. §. aliter poteſt argui. Principium ex ſe productiuum in quo ſuppoſito eſt à ſe, & cum productione adæquata, aut eſt in eo acceptum per productionem adæquatam (intellige de omnimoda adæquatione intenſiua, & extenſiua) illi principio non poteſt in illo ſuppoſito eſſe principium alterius productionis, at potentia generandi eſt eſſe principium productiuum in Patre à ſe, & cum productione adæquata ipſi potentiæ generandi, & in Filio eſt accepta per productionem adæquatam eidem potentiæ, igitur potentia generandi, nec in Patre, nec in Filio eſt principium productiuum reſpectu alterius generationis, & è contrario ſenſu ſi talis potentia non eſſet in Patre cum productione adæquata, nec in Filio accepta per productionem adæquatam eſſent ſuppoſita conuenientia ad aliam generationem. Probatur minor, terminus adæquatus intenſiuè eſt quando eſt productus in vltima ſui perfectione quanta eſt poſſibilis produci à ſuo principio, & terminus adæquatus extenſiuè eſt quando tot ſunt termini producti, quot ſunt producibiles ſiue ſit vnus ſiue plures, ſed hæc generatio, & hic Filius eſt terminus adæquatus intenſiuè, quia eſt infinitus, ſicut & eius principium, & extenſiuè quia vna ſola generatio, &

vnus

vnus Filius eſt poſſibilis in diuinis, igitur potentia generandi tùm in Patre, tùm in Filio eſt omnimodè adæquata, igitur nec in Patre, nec in Filio poteſt eſſe principium reſpectu alterius generationis; nunc probanda manet illa minor, quam pluribus locis Scotus propoſuit quandocumque locutus eſt de productione adæquata, non tamen probauit, ſed probationem remiſit ad quodlibeta quæſt. ſecunda §. de 2. art. vbi probat primo à poſteriori, deinde à priori.

Primò à poſteriori probatur, ſi generationes poſſent eſſe plures poſſent eſſe infinitæ, & conſequenter in diuinis de facto eſſent infinitæ, quia ibi idem eſt eſſe, & poſſe: hoc autem eſt impoſſibile, ſi quidem natura infinitatem numeralem actu maximè abhorret, quam infinitatem impoſſibilem ſecundum Phyloſophum vocat Auguſtinus immoderatam; igitur vna ſola generatio eſt in diuinis poſſibilis, & conſequenter extenſiuè eſt adæquata ſuo principio.

Secundò probatur à priori, omnis pluralitas neceſſariò finita extenſiuè, vel eſt alterius rationis, vel ſi eſt eiuſdem rationis præexigit aliam prioritatem alterius rationis, per quam determinetur ad certum numerum, & pluralitatem, ſi quidem productio eiuſdem rationis de ſe eſt indeterminata etiam ad infinitam pluralitatem, ſi non determinatur à ſuo principio ad certum numerum, ſicut in creaturis generatio hominum eſt indeterminata de ſe ad quamcumque pluralitatem etiam infinitam, puta ſi vnus homo viueret in ęternum, quia in tali caſu infinitas generationum, eſt poſſibilis, cum ſit infinitus in potentia; in diuinis autem quidquid poteſt eſſe in potentia, neceſſariò eſt in actu, & ſic neceſſariò infinitæ eſſent in actu generationes eiuſdem rationis, igitur ſi poſſibilis eſt alia generatio eiuſdem rationis præexigitur principium diuerſæ rationis ad determinandum illas ad certum numerum, quia ſi illud principium eſſet eiuſdem rationis, pariter eſſet etiam indeterminatum ad plura in infinitum, & non ad certum numerum, hoc autem principium alterius rationis determinans potentiam generandi ad certas generationes minimè in diuinis inuenitur; non enim poteſt determinari ab alio poſteriori vt patet nec ab alio quod ſit ſimul natura cum illo, quia par in parē non habet imperium, nec ab alio priori, quia non inuenitur in diuinis; alioquin hoc principium diuinum non eſſet primum,

quod

quod eſt inconueniens dicere, ergo neceſſariò ſequitur cum generationes non poſſint eſſe actu infinitæ, neque finitæ ſecundum numerum determinatum, quod vna atque vnica ſit generatio, & adæquata extenſiuè, & conſequenter non conueniat tali principio quod iterum ſit in Patre, & Filio productiuum, cum illa non ſint ſuppoſita conuenientia, ex eo quod hoc principium eſt in Patre cum productione adæquata, & in Filio acceptum eſt per productionem adæquatam, & hoc modo Scotus in quodlib. quæſt. 2. §. ad concluſionem, concedit potentiam generandi eſſe exhauſtam ad vnam generationem ſicut probatum eſt his rationibus, quod non probauerat Henricus, contra quem arguit ibi Scotus.

Ad ſecundam partem articuli ex dictis conſtat eſſe dicendum, nullam prorſus eſſe potentiam generandi in diuinis, nec quidem remotam, & fundamentaliter ſumptam ad aliam generationem, & alium Filium; ratio à priori eſt, quoniam huic potentiæ generandi non ſolum vt in ſuppoſitis non conuenit eſſe principium alterius generationis, vel quia eſt accepta per adæquatam productionem vt in Filio; vel quia eſt cum adæquata productione vt in Patre, qua ratione non conuenit ei, quod ſit in illis potentia propinqua, ſed quia principium hoc, & potentia generandi ex ſe eſt determinata ad vnicam generationem, ſecus poſſet ex ſe determinari, quinimò eſſet determinata ad infinitas; quia quod eſt ex ſe indeterminatum ad plura eiuſdem rationis non magis ſe determinat ad tot, quin ad plura, & ſic ad infinitas, & ſic infinitæ actu forent generationes in diuinis, quod eſt impoſſibile, aut ab alio diuerſæ rationis principio neceſſe eſt determinari ad tot numero finitas generationes, quod etiam eſt impoſſibile in diuinis, vt dictum eſt: Habita igitur illa vnica generatione, nec vt in ſuppoſitis Patris, & Filij, nec vt in ſe, & ex ſe eſt amplius principium productiuum reſpectu alterius generationis; vndè ex hac præciſa ratione nulla prorſus potentia, nec proxima, nec remota, aut fundamentaliter ſumpta eſt in diuinis ad aliam generationem.

Ex dictis ſequitur, atque colligitur. Diuerſam eſſe rationem quare in Filio non ſit potentia generandi reſpectu huius generationis, & quare non ſit reſpectu alterius generationis, non igitur confundendæ ſunt rationes, & ita quando Scotus denegat Filio

lio

lio potentiam generandi ex eo, quod in eo illa potentia non habet rationem prioris intelligit reſpectu huius generationis, & non alterius; reſpectu cuius poſſet habere rationem prioris, nimirum ſi alia generatio eſſet poſſibilis, & quando denegat Filio potentiam generandi ex eo quod pluralitas generationes in diuinis eſt impoſſibilis, intendit de alia generatione alterius Filij, & reſpectu huius generationis ſolam proximam negat, reſpectu alterius etiam remotam.

Hinc planè conſtat, quod ad extrema abierunt Auctores; alij negantes omninò in Filio potentia generandi etiam fundamentaliter ſumptam, alij concedentes etiam in reſpectu ad aliam generationem, quia de hac altera loqui videntur, nullam facientes mentionem de potentia generandi in Filio reſpectu ſuæ generationis, aut igitur nulla eſt potentia in Filio, ideſt reſpectu neutrius, nec huius, nec alterius generationis, aut certò ſi eſt in Filio potentia generandi fundamentaliter ſumpta cum reſpectu alterius generationis eſſe nequeat reſpectu huius generationis debet eſſe, dumtaxat remota, non proxima.

Poſiti igitur inter duas aſſertiones Scoti oppoſitas, quid dicemus ad hæc? prior aſſertio eſt, in qua concedit Filio potentiam generandi, quatenus in primo diſ. 7. §. tunc loquendo de potentia inquit, quod potentia ſumpta pro fundamento prçcisè eſt aliquid abſolutum, vbi latenter concedit potentiam generandi fundamentaliter ſumptam eſſe communem tribus cum ſit quid abſolutum, & diſ. 20. ſuperius adducta apertè concedit potentiam generandi in Filio, dicens quod eadem, & æquè perfecta potentia generandi eſt in Patre, & Filio; poſterior autem aſſertio eſt in qua denegat Filio potentiam generandi, vt in quodlibetis qu. 2. ad hanc contradictionem, dicendum eſt in prioribus locis Scotum locutum fuiſſe de hac generatione huius Filij reſpectu cuius negat Filio potentiam proximam ex ea ratione, quia non eſt prior illa, & concedit remotam fundamentaliter ſumptam, in poſteriori loco fuiſſe locutum de alia generatione alterius Filij ex ea ratione, quia in Filio hæc potentia accepta eſt per productionem adæquatam illi potentiæ vt patet in primo diſ. 2. qu. 7. quæ ratio coincidit cum ratione reddita in quodlibetis quæſt. 2. vbi ait, forma quæ eſt in aliquo ſuppoſito principium producendi productione adæquata illi formæ non poteſt eſſe alteri ſuppoſito

poſito

poſito principium producendi, ſic dicendum eſt, quod reſpectu alterius generationis, nec proxima, nec remota potentia eſt nec in Filio, nec in Patre, quia hæc potentia ex ſe eſt determinata ad hanc vnicam generationem, & ſic altera eſt impoſſibilis, tùm à priori, quia non habet principium productiuum, tùm à poſteriori quia ſi altera eſſet poſſibilis eſſent de facto infinitæ generationes in diuinis, reſpectu autem huius generationis quamuis potentia ſit ex ſe determinata ad iſtam, ipſa quantum eſt ex ſe eſt principium producendi reſpectu eius in omnibus ſuppoſitis, in quibus eſt, ideſt quantum eſt ex ſe, ſed non conuenit ei, vt producat, vel vt ſit productiua niſi in ſuppoſito conuenienti; hoc autem eſt illud, quod eſt prius illa, & ſic in ſolo Patre conuenit quod ſit productiua, & producat, in ſecundo autem ſuppoſito, quamuis ſit ex ſe productiua, vt in illo tamen non conuenit ei, quod ſit productiua, & ita manet in illo potentia generandi ſic remota, & fundamentaliter non proxima, quia vt in Filio talis potentia non habet ſuppoſitum conueniens.

Hinc patet, quid ſit dicendum ad illam regulam productam à Scoto in primo diſ. 7. quæſt. vn. §. ad formam autem; gerundiuum conſtructum cum potentia notat actum vt egredientem, vel potentem egredi ab eo ſuppoſito cui attribuitur talis potentia, ſed à ſuppoſito Filij actus generandi ſeipſum, nec egreditur, nec egredi poteſt, igitur in illo nulla penitus potentia eſt ad hunc actum notionalem. Reſpondetur, hanc regulam poſſe intelligi de potentia vel remota, vel proxima; nam quamuis ob impedimentum non poſſit actus egredi ab aliquo, non ideò neganda eſt ei omninò potentia agendi, quando verè eſt in illo talis potentia, ſed ſola proxima non remota, igitur cui ſuppoſito potentia egredi poteſt in actum conuenit potentia proxima, cui non poteſt egredi ob impedimentum, vel abſentiam alicuius neceſſarij concurrentis, licet non conueniat potentia proxima, conuenit remota: denique quando abſolutè non poteſt egredi in actum non ſolum ob impedimentum, vel defectum alicuius concurrentis, ſed etiam quia tale ſuppoſitum principio agendi caret, nullo modo conuenit talis potentia, nec proxima, nec remota. Exemplum adoleſcenti conuenit potentia generandi proxima, quia poteſt in ipſo egredi in actum cum habeat aptitudinem ad illum, puero non conuenit potentia proxima generandi, quia non

non habet aptitudinem, habet tamen potentiam ſcilicet remotam, & ſic poteſt dici puerum habere potentiam generandi; potentia vero creandi nullo modo competit creaturæ, nec proxima, nec remota, quia nec aptitudo, nec potentia eſt in creatura ad credendum: ſic in diuinis in Patre eſt potentia generandi hunc Filium proxima, quia in ipſo talis potentia eſt in ſuppoſito conuenienti, in Filio non eſt potentia proxima, ſed ſolum remota ad hanc generationem, quia hæc potentia generandi remota eſt ſola ratio agendi, & principium quo præciſè ſumptum; proxima autem potentia conſtat ex principio quo, quod eſt natura, & principio quod, quod eſt ſuppoſitum; & quamuis Filius ſit ſuppoſitum, non eſt ſuppoſitum conueniens ad hanc generationem, quia non eſt prius illa: ad aliam Filium, nec proxima, nec remota eſt potentia generandi in tribus, quia impoſſibilis eſt alius Filius in diuinis, ſicut impoſſibilis eſt creatio creaturæ, & alioquin ad impoſſibile nulla potentia eſt.

Quod ſi dicatur, neutiquam eſſe poſſe, ſicut nec fieri poteſt, vt quis producat ſe ipſum, igitur tàm impoſſibilis eſt potentia ad producendum ſeipſum, quàm impoſſibilis eſt potentia ad producendum alium Filium, ſed in tribus nulla potentia eſt ad generationem alterius Filij, igitur in Filio nulla potentia eſt, nec quidem remota ad ſui generationem. Reſpondetur, potentia remota, & fundamentaliter ſumpta eſt in Filio ad hanc generationem; quia de ſe eſt poſſibilis hæc generatio, vt opponitur impoſſibili, ſola propinqua deficit, ad aliam verò generationem, & alium Filium, nec quidem remota eſt potentia generandi, quia alia generatio eſt omninò impoſſibilis ſicut omnipotentia fundamentaliter tantùm eſt in Deo ante eſſe poſſibile creaturarum ſecundum Scotum quia tunc habebant potentiam logicam, ideſt non repugnantiam ad eſſendum, at verò reſpectu impoſſibilis ſui repugnantis cuiuſmodi eſt altera generatio in diuinis nulla pænitus potentia eſt, nec etiam remota, & fundamentaliter, & quamuis hæc generatio ſit Filio impoſſibilis, & conſequenter ipſi etiam potentiæ generandi vt in Filio ſit impoſſibilis, huic tamen potentiæ exiſtenti in Filio ex ſe conuenit hæc generatio, ideſt quantum eſt de ſe ſibi conuerſa, licet non vt in Filio quod eſt dicere eſſe quidem in Filio potentiam ad hanc generationem ſcilicet fundamentaliter atque remotam, non autem pro-

proximam, cum Filius non ſit ſuppoſitum conueniens ad hanc generationem, quod facit potentiam eſſe proximam propter rationem redditam à Scoto, quia Filius non eſt prior ſua generatione, & ſic potentia generandi non habet in eo rationem prioris ad illam, & ideò non conuenit tali potentię, quod in illo ſit productiua, in quo negatur ſola potentia proxima; ſed quando dico potentiã generandi remotam eſſe in Filio reſpectu ſuę generationis ſumo eam pro vt pręſcindit tantum à relatione potentię, ſeù potentialitatis, & principiationis, ideſt pro abſoluto, & fundamento, ſeù connotato, & materiali precisè, non autem vt pręſcindit à ratione potentię vt potentia eſt ſic abſolutè, & fundamentaliter, ſeù materialiter ſumpta, reſpectu autem alterius generationis, nec vt in Filio, nec vt ex ſe eſt omninò productiua, nec etiam in Patre diuiuo, quod probatum eſt ſupra à priori nimirum quia ex ſe eſt determinata ad ſolam iſtam generationem, & à poſteriori, quia in diuinis altera generatio eſt impoſſibilis, & ideò in Filio potentia generandi, nec vt in illo, nec quidem vt ex ſe eſt productiua reſpectu alterius generationis, & ita nulla pęnitus potentia, & ob eamdem cauſam nec eſt in Patre: Argumentum ergo Scoti adductum ex illa regula currit pro alia generatione alterius Filij, de qua loquebatur ibi Scotus.

Ex dictis colliguntur aliquę concluſiones pro maiori intelligentia huius quęſtionis.

Prima concluſio, eſſentia diuina, & memoria fęcunda inter ſe collatæ ita ſe habent, quod illa eſt prima ratio agendi, ac remota potentia generandi, atque principium quo; hæc autem eſt proxima potentia, & ratio generandi propinqua.

Secunda concluſio, vtraque hæc vt præſcindit à ſuppoſito agente eſt potentia generandi adhuc remota reſpectu totalis, & vltimatæ potentiæ atque completę.

Tertia concluſio, eſſentia ſe ſola ſumpta eſt ratio agendi, & potentia generandi non dum notionalis.

Quarta concluſio, memoria fęcunda ad actum notionalem non eſt fęcunda in tribus, ſed in ſolo Patre, & ſic propria, & notionalis potentia generandi dicitur.

Quinta concluſio, potentia generandi vltimata, atque totalis, & completa conſtat ex memoria fęcunda vt principio quo, & ratione agẽdi proxima, & ex ſuppoſito agente vt principio ꝙ.

Digitized by Google

Sexta concluſio, ratio potentię generandi propinquę, & vltimatę, atque totalis reſpectu huius generationis eſt eſſe in primo ſuppoſito ſub ratione primi.

Septima concluſio, ad hunc actum notionalem generationis in Patre eſt potentia proxima, & vltimatè completa ex principio quo, & quod, in Filio eſt ſolum remota ſcilicet principium quo magis remotum, quod eſt eſſentia diuina ſic preciſè ſumpta.

Octaua concluſio, potentia generandi alium Filium, nec proxima, nec remota, & fundamentaliter ſumpta eſt in diuinis.

Reſponſiones autem à Patre Vulpes Primum caput eſt, nam ad id, quod dicitur, impoſſibilitatem generationis in Filio prouenire ex eo quod alia generatio eſt impoſſibilis, & ideò quamuis in Filio deficiat actus generandi non deficit potentia, quia hoc non prouenit ex defectu potentię. Reſpondet hoc eſſe pucrile, & manifeſtè petens principium, aut enim inquit generatio eſt ibi impoſſibilis per locum intrinſecum, aut per locum extrinſecum, at neutro modo poteſt eſſe: Ad hoc dicimus vtroque modo eſſe impoſſibilem alteram generationem tùm extrinſecè, quia impoſſibilis eſt actualis infinitas generationum, quę neceſſariò in diuinis ſequeretur, ſi altera vltra iſtam poſſibilis eſſet vt probat Scotus, qui etiam pueriliter ageret ſecundum hunc Auctorem, ſi ratio hęc ab ipſo Scoto adducta in quodlibetis qu. 2. §. de 2. artic. non valeret; tùm etiam per locum intrinſecum ex parte ipſius ſinet potentiæ, ſi quidem potentia actiua non eſt ad omninò impoſſibile, cuius modi eſt altera generatio in diuinis non ex defectu potentiæ, ſed ex defectu rei impoſſibilis, vbi enim non eſt potentia, non eſt aptitudo, vbi non eſt aptitudo non eſt priuatio, vbi deníque non eſt priuatio nullus defectus eſt. Eſt etiam per locum intrinſecum impoſſibilis alia generatio in diuinis; quia ibi potentia generandi de ſe eſt determinata ad vnam generationem, & ideò ab intrinſeco non eſt potentia ad aliam generationem, de qua currit ratio, non autem currit de hac generatione reſpectu cuius licet deficiat actus ob defectum potentiæ proximæ, non deficit potentia remota vt ſupra probatum eſt.

Si contra arguatur, ergò nulla potentia eſt in Filio ne quidem remota, quia & iſta generatio ſicut & altera eſt illi impoſſibilis. Reſpondetur, ſicut intellectus non poteſt intelligere in intelligi-

ligibile, & tamen quantum eſt de ſe eſt potentia, & vis intellectiua ſed remota; ita quod poſito intelligibili poteſt illud intelligere, ſic natura non poteſt generare in generabile, cuius modi eſt alter Filius in diuinis, non reſtat quod ſic vis, & potentia generatiua quantum eſt de ſe nimirum remota, & fundamentaliter ſumpta reſpectu generabilis cuius modi eſt iſte Filius etiam in eodem Filio, in quo ſola potentia proxima deeſt, cum deſit in eo ſuppoſitum conueniens ad iſtam generationem, ſemper tamen natura in quocumque ſuppoſito diuino ſit quantum eſt de ſe tendit ad iſtam generationem vt ſuum proprium opus licet non vt in quocumque ſed vt in primo conueniat ſibi, quod ſit productiua, vt in ſuppoſito conuenienti, & hoc eſt quod dicimus eſſe tantum in Filio potentiam remotam, & fundamentaliter.

Secundum caput eſt, nam ad id, quod arguitur. Potentia generandi pro fundamento præciſè ſumpta eſt, quid abſolutum in diuinis ſecundum Scotum loc. alleg. diſ. 7. ſed omne abſolutum eſt commune tribus, ergo potentia generandi eſt communis tribus. Reſpondet quod tunc potentia generandi habet rationem formalem quidditatiuam, & eſſentialem potentiæ, quando in ſuppoſito habet rationem prioris ſiue ordinem naturalem prioritatis ad actum; quam quidem prioritatem non habet in Filio, ſed hæc doctrina adducta ad propoſitum deficit in duobus. Primò deficit, quia ſi loquitur de alia generatione alterius Filij, iam iſte Filius eſſet prior illa, & conſequenter potentia generandi haberet in eo rationem prioris reſpectu illius alterius generationis, ex quo neceſſariò ſequitur, ex hac ratione non eſſe denegandam Filio talem potentiam generandi etiam proximam reſpectu alterius generationis, quod ſi eam non habet, iam non iſta, ſed alia ratione probandum erit, quare Filius non habet potentiam generandi: ſi autem loquitur de hac generatione iam probauimus eſſe in Filio potentiam generandi ſcilicet remotam, licet ei deficiat potentia proxima ob defectum talis prioritatis, quam non habet in Filio ad hunc actum notionalem, de quo procedit ratio prædicta, quod ſit aliquod abſolutum, & commune tribus. Secundò deficit, quia hoc quod eſt potentiam eſſe in ſuppoſito, in quo habeat rationem prioris ad actum non pertinet ad rationem formalem quidditatiuam, & eſſentialem potentiæ, qua potentia eſt, ſed ad ſolam rationem potentiæ pro-

Digitized by Google

pinquæ, & hoc modo negatur in Filio potentia ad hanc generationem, quæ nunc eſt in diuinis, non autem potentia ſub ratione potentiæ vt potentia eſt ſicut ſupra probatum eſt.

Tertium caput eſt, nã ad id, quod arguitur ex Scoto in primo diſ. 2. quæſt. 7. §. aliter poteſt argui, quod principium productiuum exiſtens in aliquo ſuppoſito poteſt actu non producere, vel quia ab alio, à quo in agendo eſſentialiter dependet, impediri poteſt, vel quia in eo per productionem ſibi adæquatam acceptum eſt ſicuti eſt de potẽtia generandi in Filio, & de vi ſpirandi in Spiritu Sancto, ex quo colligitur, concedere Scotum vim generandi Filio, & vim ſpirandi Spiritui Sancto ſine actu generationis, & ſpirationis. Ad hoc reſpondet Vulpes, Scotum illo loco non fuiſſe locutum ex propria ſententia, ſed aliorum admittentium potentiam generandi in Filio, ex propria autem ſententia loquutum eſſe diſ. 20. huius inquit ſignum euidens eſt, quia conditionatè loquitur dicens, ſi potentia generatiua ſit in Filio, & vis ſpiratiua ſi ſit in Spiritu Sancto, ſed in primis non poteſt negari Scotum conceſſiſſe Filio potentiam generandi nimirum remotam, quamuis ſolam proximam negauerit illo ipſo eodem loco diſtinctionis vigeſimæ adducto ab hoc Auctore vt ſupra probatum eſt, & quamuis diſ. 2. illa conditio, ſi, poſita ſit à Scoto non poſuit, quia dubitauerit, ſed quia probandum dimiſit ſuo proprio loco ſcilicet in diſtinctionib. ſequen. 7. & 20. alioquin facilè eſſet eludere argumenta dicendo aliã non loqui de mente propria. Rurſus ibi in diſ. 2. ſermonem facit Scotus de alia generatione, & ſpiratione alterius Filij, & Spiritus Sancti reſpectu quarum nulla omninò potentia eſt nec proxima, nec, nec remota, dicens enim quod principium illud ſit acceptum per productionem in illo ſuppoſito, iam ſupponit vnam productionem, & aliam excludit ex eo, quod illa vna eſt adæquata, igitur de alia productione eſt in illo loco ſermo, cum autem ad aliam generationem, & ſpirationem nulla prorſus ſit potentia in diuinis, apertè ibi Scotus negaret potentiam generandi in Filio, & potentiam ſpirandi in Spiritu Sancto, nec conditionatè loqueretur, ſi pro tunc non dubitaret ſi poſſit eſſe vel non eſſe talis potentia, vel aliqua potentia generandi in Filio, & ſpirandi in Spiritu Sancto, cuius reſolutio diſtulit ad alia loca propria à nobis adducta, diſ. ſe-

ptime,

ptimę, & vigeſimę in quibus poſtea definitè aſſeruit in Filio potentiam remotam reſpectu huius generationis, & omninò poſtea eam negauit reſpectu alterius generationis in quodlibetis quæſt. ſecunda.

FINIS.

LAVS DEO, B. V. MARIÆ, ac B. Franciſci & omnium Sanctorum.

Digitized by Google

Mirabar quondam, ſi errores eſſent in Typis; Miror nunc, ſi non inſint.

Errata	*Corrige.*
Pag. 3. verſ. 17. naſcibilis	noſcibilis
pag. 5. verſ. 29. non	nos
pag. 6. ver. 17. proprias	proprius
p. 9. verſ. 3. quos	quot
ibid. verſ. 28. non verò	an verò
p. 14. verſ. 13. ſciat	ſcilicet
ibid verſ. 18. neceſſaria	neceſſarium
p. 15. v. 7. Ha	hoc
ibid. v. 37. ex genus	eſt genus
p. 21. v. 36. expugnat	repugnat
p. 27. v. 12. realijs	realis
p. 38. v. 7. Eſt	Et
p. 41. v. 35. continuens	continens
p. 55. v. 34. adeant	adhæreant
p. 67. v. 33. includuntur	includunt
p. 98. v. 16. huic	huius
p. 124. v. 26. vnum	virum
p. 131. v. 24. vni	vbi
p. 139. v. 4. claritas	charitas
p. 143. v. 34. ſibi	ſi ibi
p. 169. v. 25. Patruum	Patribus
p. 171. v. 32. relationis	relatiuis
p. 198. v. 3. non	nam
p. 239. v. 2. al cui	al qui
241. v. 2. prçſuppoſito	prçſuppoſito
349. v. 15. Non conſtituit	conſtituit
p. 332. v. 24. perfuſam	perfectam
p. 414. v. 24. autem	aut
p. 416. v. 16. pro	per
p. 432. v. 5. quam	quando
p. 426. v. 34. pro	per
p. 437. v. 31. generatio	generatione
p. 444. v. 4. produceret	procederet
p. 448. v. 15. requiritur	requiri
p. 463. v. 9. Patrem	Pater

Digitized by Google

R E G E S T V M

✠ ℐ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk.

Omnes ſunt duerniones, præter ✠ ℐ & Kk quę ſunt folia integra.

L Y C I I. M. DC. X X X X I I I I.
Ex Officina Typographica Petri Michaelis Burgundi, & Nicolai Franciſci Rubei Tranenſis.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

5-3-1

Digitized by Google